17568/B

Ad Epilepsia recente remedium expertum
à Colleg.io Montispelien. habitum

℞. Rad. Peon. ☉ Martij collect. ℥.s.
Infund. in aceto stillat. stent indigest. p hor: 24
Postea destil. in vasis vitreis et in B. M. in
capitello alembici stanneo. et aquæ stillatæ seruas.
Dosis ℥. iiij. capi queat bis in hebdomada. ℥iij
in aqua com. pulv. ℥j. Postea semel tantum.
in hebdomada et ultimo tamen in mense p annum contin.

55350.

NICOLAI CHESNEAU
MASSILIENSIS,
DOCTORIS MEDICI,
OBSERVATIONUM MEDICARUM,
LIBRI QVINQVE.

Additis in fine Medicamentorum formulis, ad omnes fere morbos, ordine alphabetico diſpoſitis.

Vt & ejuſdem Auctoris Epitome de Natura & Viribus Medicatis Luti, & Aquarum Barbotanenſium.

EDITIO NOVA.



LABORE ET COELI FAVORE.

LVGDVNI BATAVORVM,

Apud THEODORUM HAAK.

MDCCXIX.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI D. D. BERNARDO DE SARIAC, EPISCOPO ET DOMINO ADURENSI, ET SANCTÆ QUITERIÆ DU MAZ,

Regi à Conſiliis, Abbati Loci-Dei, & Scalæ Dei, ejuſdemque loci de Sariac Baroni inclyto, nec non aliorum locorum Domino.

MEDICINA, *quæ omnibus prodeſſe cupit*, Antiſtes illuſtriſſime, *cum particularium in primis ſit ſcientia; ex partibus, quibus ipſa duabus componitur, praxim maxime ea reſpicit; quam quidem, licet nexu indiſſolubili, ſcientiæ junctam eſſe oporteat, ut ipſæ ſibi mutuum ferant auxilium: Praxis tamen pars eſt, quæ ſcientiam ſtabilire ſolet; multa enim, ut ait quidam ex noſtris, ſolita-*

taria meditatio adinvenit, quæ experientia coarguit: Qui ſit, ut communi feratur adagio, praxim ſcientia longe præſtare. Licet autem Galenus aſſerat, inventionem remediorum, quæ ex ſola demonſtratione fit, in his quæ raro contingunt, experientia longe præſtare, multo magis, & majori jure, affirmare quis poterit, in his quæ ſæpe contingunt, remedia longa experientia confirmata, noviter inventis eſſe ſecuriora, & præſtantiora. Verum quidem eſt, duplicem in Medicina eſſe ſcientiam: unam quæ ad Logicam tantum, & Diſputationes pertinet; alteram vero quæ ad Artis opera conducit, quæ medentibus eſt maxime neceſſaria, & ſine qua multoties cæcutiret experientia; ita ut quis ea carens, Empiricus potius, quam Medicus dicendus eſſet: Hæc eſt praxis quæ ratione ducitur, qua Medicarum libri obſervationum replentur: Haec eſt praxis, quae viam non tantum oſtendit; ſed quae in therapia nos manu ducit: Nihil tam ſaluti aegrotantium conducibile, quos curandos ſuſcipimus, quam ejuſmodi morborum enarrationes, in quibus tanquam in tabella, videmus eorum affectus, & curationes deſcripta. Ego quidem ingenue fateor, nihil mihi magis gratum fuiſſe, & magis utile Medicinae, ab eo tempore, quo in artis operibus verſatus ſum, ipſis obſervationibus medicis. Quapropter, multo rerum uſu jam ſenex edoctus, pergratum poſteritati me facturum arbitratus ſum, ſicut & nobis majores noſtri praeſtiterunt, ſi eorum exemplo, talia conſcriberem. Hac ideo impulſus conſideratione; & multo magis ut haberem aliquid,

quid, Antiſtes illuſtriſſime, *tibi offerendum, totis viribus incubui, ad opus perficiendum: Quod licet tanquam fumus, & vapor quidam exiſtat, terrae exemplo, quae ex omnibus acceptis à corporibus cœleſtibus, nihil aliud habens, vapores, & fumos remittit, in gratiam accepti beneficii; quia haec eos non dedignantur, ſimiliter te facturum non dubito, munuſculum amice, & benevole accipiendo, quod in gratiam tuae erga ſe benevolentiae, offert, & dicat tibi,*

ANTISTES ILLUSTRISSIME,

Servus tuus ad omnia tibi addictiſſimus,

NICOLAUS CHESNEAU D. M.

AUCTOR
LECTORI BENEVOLO.

EX ſuſceptis liberis, cum Dominus reliquiſſet mihi tantum natu majorem, quaſi ſenectutis ſolatium futurum: eum latinis literis egregie incumbentem, Medicinæ deſtinaveram, & in ejus gratiam, librum hunc Obſervationum, mihi venerat in mentem conſcribere, ut in eo plurimorum morborum notitiam, cum remediis, à me longo uſu comprobatis inveniret, experientia edoctus, quantus ſit labor, & quantum temporis inſumendum, antequam doctrinæ præcepta, cum his quæ praxis edocet rite jungantur: Sed homo proponit, Deus diſponit: Cum enim philoſophiæ operam daturus eſſet, ſibi conſulens, reliquit ſeculum, monaſticam vitam amplexus; ſic orbus, quæ mihi in mentem venerant, eludens, librum jam inceptum depoſueram, non amplius videndum, nec quidquam in eo ſcripturus: Sed poſtea quieſcente animo, & Dei nutum ſequutus, conſulto cœpi cogitare, non eſſe propterea ab inceptis deſiſtendum; ſed in gratiam Reipublicæ operi jam inchoato extremam manum eſſe adhibendam: Mihi multoties pergratum fuiſſe, apud Auctores aliquid ab ipſis comprobatum inveniſſe, quorum veſtigia mihi erant inſequenda, ut poſteritati etiam pergatum facerem, ſaltem tyronibus, & Medicinam noviter factitantibus, eo quod exempla melius doceant, ipſa doctrina: Quapropter obſervationum libri, eis maxime ſunt utiles; imo & iis qui in arte jam ſenuerunt, aliquid enim ſemper novi ſeneſcentes experimur; quod ſi notatu dignum fuerit, & poſteritati fructuoſum, ad ſalutem ægrotantium, non eſt tanquam arcanum apud nos ſervandum, quo-

uſque

uſque nobiſcum commoriatur; hoc enim eſſet contra charitatis præceptum, & contra naturæ leges, quæ vult ut proximis faciamus, quæ nobis fieri deſideramus. Quiſque igitur pro viribus ſuis debet ſe Reipublicæ utilem præbere; alius in arte medica; alius in legibus ferendis, & in cauſis actitandis; aut ſecundum aliam artem quam profitetur, nec talentum ſuum in terram defodere. Iis rite perpenſis, iterum ad opus redii perficiendum, utilitatis publicæ gratia, cui tandem, Deo annuente, finem impoſuimus: Quod ſi altiorem doctrinam ſcribendi ratio non redoleat, parcant eruditi in arte; quiſque agit pro facultatibus à natura comparatis: Dummodo tyronibus non videatur inutile, ſatis erit pro mercede noſtra. Vale.

INDEX CAPITUM

Et Obſervationum, quæ continentur in Opere Nicolai Cheſneau Maſſilienſis, Doctoris Medici.

LIBER PRIMUS.

Caput. I.	*De doloribus capitis.*	Pag. 1
II.	*De catharris, ſeu fluxionibus.*	17
III.	*De affectibus ſoporem inducentibus.*	62
IV.	*De Epilepſia.*	84
V.	*De Paralyſi.*	102
VI.	*De ſpaſmo ſeu convulſione.*	112

LIBER SECUNDUS.

Caput. I.	*De ſpirandi difficultate.*	127
II.	*De fluxione in pulmones delabente, febrem continuam & acutam comitem habente.*	143
III.	*De Pleuritide.*	158
IV.	*De Phtiſi.*	171

LIBER TERTIUS.

Caput. I.	*De dolore Stomachi.*	187
II.	*De Spleniticis.*	203

De

CAPUT. III. *De Hydrope.* 220
IV. *De Cachexia* 239
V. *De Colico dolore.* 245
VI. *De Diarrhœa.* 271
VII. *De Dyſenteria.* 281
VIII. *De Lumbricis.* 298
IX. *De Nephride, ſeu renum cruciatu à calculo.* 316
X. *De lapide veſicæ.* 331
XI. *De Hæmorhoïdibus.* 342
XII. *De Menſibus retentis.* 347
XIII. *De nimio ab utero ſanguinis profluvio.* 354
XIV. *De uteri præfocatione, ſeu hyſterica paſſione.* 362

LIBER QVARTVS.

CAPUT. I. D*E Arthritide, ſeu morbo articulari.* 373
II. *De Iſchiade.* 422
III. *De Rheumatiſmo.* 427
IV. *De Febre quartana.* 434
V. *De morbillis & variolis.* 454

LIBER QVINTVS.

qui eſt de Miſcellaneis.

OBSERVATIO. I. D*E dubia valde & controverſa Iſchuriæ cauſa.* 466
II. *De dolore lumborum cum febre acuta & aliis periculoſis ſymptomatibus.* 471
III. *De abſceſſu poſt partum facto in dextro hypochondrio, feliciter a natura ſanato.* 474
IV. *De Febre quintana ſimplici & duplici.* 475
V. *De Febre continua per gangranam in genas & gingivas terminata.* 477
VI. *De humore peſtifero à capite deſcendente, cum dolore, qui tandem in ventre conſiſtens, partem corrupit.* 477
VII. *De ſanatione ulceris, quod uvulam & totum naſum depaſtum fuerat.* 478

OBSERVATIO VIII. *De alia ſanatione ulceris, jam naſi pinnam corrodentis.* 479
IX. *De notho empyemate, ſeu pectoris hydrope cujuſdam primiparæ.* 480
X. *Capitis affectus cum febre, auribus factis purulentis levatus; poſtea vero ſubſiſtente pure, magnum vitæ diſcrimen allatum eſſe, quomodo autem iterum apertæ ſunt.* 487
XI. *De morbi à vermibus curatione ſtupenda.* 488
XII. *De lue venerea cum fiſtula in pectore felici caſu ſanata.* 490
XIII. *Dolor ventris à fluxione, propter aborſum, ab utero putatus, & ejus ſanatio.* 491
XIV. *Dolor ventris pertinax & acutus, qui colica pictonica videbatur.* 492
XV. *Pleuritis putatus morbus, à vermibus exiſtens.* 493
XVI. *Rheumatiſmus, dolor nephriticus putatus.* 495
XVII. *Aphonia & principum cerebri functionum læſio à vermibus.* 495
XVIII. *Ileos à tumore circa ileon, tandem lethalis, licet venter adjutus dejiceret.* 496
XIX. *Tumor in una narium, accedente febre augeſcens, & deſinente febre recedens, ejuſque cura.* 496
XX. *Diarrhœa quæ videbatur maligna ex parvis ſymptomatibus, tamen ſanata.* 497
XXI. *Lethalis deglutiendi difficultas, à chloroſi & pica neglecta.* 498
XXII. *A nephritide, lapidem interdum in veſicam delapſum, ibi per octo dies, & amplius remanere, nullis ſe ſignis manifeſtantem.* 500
XXIII. *Dolor nephriticus ſine ullo ſtomachi conſenſu.* 503
XXIV. *Carbunculus extra peſtiferæ conſtitutionis tempus intra 24. horas interficiens, remedio neglecto.* 504

OBSERVATIO XXV. *Carbunculus non ita malignus, die quinta interficiens.* 505
XXVI. *Carbunculus inter crines deliteſcens, à perito artifice inventus & ſanatus.* 505
XXVII. *Maraſmus à vermibus, incognitus.* 505
XXVIII. *Dolor ex abſceſſu in regione renis dextri, inter peritonæum & muſculos, ulcus renis putatus.* 506
XXIX. *Dolor nephritico ſimilis ſine lapide.* 507
XXX. *Inaudita incontinentiæ urinæ cauſa.* 509
XXXI. *Lethargus veſicatorio capiti admoto ſanatus.* 509
XXXII. *Colicus dolor oxycrato frigido ſanatus.* 510
XXXIII. *Colica pictonica intra ſpatium horarum octo interficiens.* 510
XXXIV. *Carus à lochis retentis invectus, peſſario ſanatus.* 510
XXXV. *Diarrhœa maligna, præter ſpem cito interficiens.* 511
XXXVI. *De magna faciei inflatione lethali in juvene, prima hebdomada nuptiarum.* 511
XXXVII. *Juvenis in prima nuptiarum hebdomada, moriens ex eadem cauſa.* 512
XXXVIII. *Vera & certa gonorrhœæ venereæ curandæ methodus non vulgaris* 512
XXXIX. *De ulcere linguam perforante, aqua rubea ſanato.* 514
XL. *Ulcus laryngis, rubea aqua ſubtili adinventione ſanatum.* 515
XLI. *Dolor capitis & nodus in tibia, remanentes poſt ptyaliſmum 40. dierum.* 516
Tres conſtitutionum epidemicarum quarundam deſcriptiones. 518
Libellus Remediorum ordine alphabetico diſpoſitorum ad omnes fere morbos conſcriptus. 524
Ordo Remediorum Alphabeticus. 525
Epitome de natura & viribus Aquarum Barbotanenſium in Comitatu Auſcitanenſium, ſeu d'Armagnac. 579

INDEX CAPITUM.

CAPUT. I. *De Elementorum excellentia.* 579

II. *Aquam ceteris elementis longe præſtare.* 580

III. *De mirabilibus quæ de aquis prædicantur.* 582

IV. *De aquarum differentiis.* 583

V. *De cauſa perennis caloris aquarum mineralium.* 585

VI. *De Balneo, & ejus partibus.* 590

VII. *De proprietate & viribus Aquarum Barbotanenſium, & quibus mineralibus ſint imbutæ.* 591

VIII. *De morbis, quibus curandis, Aquæ Barbotanenſes ſunt idoneæ.* 598

IX. *De modo utendi luto, & Aquis Barbotanenſibus.* 601

X. *Quæ ſit anni tempeſtas magis idonea thermis adeundis.* 608

FINIS.

OB-

OBSERVATIONUM NICOLAI CHESNEAU, MASSILIENSIS DOCTORIS MEDICI

LIBER PRIMUS.

De doloribus Capitis.

CAPUT PRIMUM.

INTER corporis membra, nullum invenias Capite magis doloribus obnoxium; quippe & in ſuperioribus poſitum, aliorum excipit fuliginem, & cauſis externis obvium, ab illis ſæpiſſime offenditur: Hoc ſymptoma ita frequens eſt, ut paucos videas quos non excruciet ejus ſævitia; præcipue autem mulieres, tum propter uteri affectus; tum quod nullis, aut levibus, utantur capitis tegumentis. Viri magis hemicrania; illæ verò cephalæa magis vexantur, & uterque ſexus cephalalgia in febribus, ſine ullo diſcrimine; licet viderimus febricitantes, hemicrania multoties divelli: ſed hoc, aut in febribus malignis, aut iis qui per ſanitatem, hemicrania interdum corripiebantur, in quibus pars dolens, jam antea debilis facta, & ad patiendum diſpoſita, facilè

Caput maxime doloribus obnoxium.

Viri magis hemicrania, feminæ cephalæa magis vexantur.

cilè à vaporibus acribus afficitur; Sed qualiſcumque fuerit dolor capitis, ſi Medicus adhibeatur, inquirendum primò utrum dolor infeſtet cum febre, an ſine febri exiſtat: Si cum febri; an febris ſit cauſa doloris, ut in multis continuis, & pluribus intermittentibus, propter caloris acerbitatem, & vaporum ad caput aſcendentium acrimoniam; Deinde inveſtigandum, an cauſa doloris quæ eſt in capite, ſit etiam cauſa febris. Si febris ſit cauſa doloris, & morbus ſit, febris oppugnanda; ſi ſymptoma, ut in morbis ab inflammatione, vulnere, contuſione, abſceſſu, cauſis profligandis inſiſtendum: Ex tribus enim quibus dolores ſedantur, cauſæ ſubtractio eſt ſecurior, quam ejus mitigatio, & deterior his, ſenſus partis ſtupefactio: Quia autem multoties cauſæ tolli non poſſunt niſi ſenſim, & temporis progreſſu; urgens ſymptoma lenire cogitur Medicus narcoticis, calida præcipuè exiſtente cauſa, & ætatis habita ratione; maxima enim cum prudentia agendum, cum agitur de caput infrigidantibus. Si quis autem dolor caput infeſtet abſque febre, diſquirendum utrum ſit idiopathicus, & cauſam ſolùm habeat in capite; vel merè ſympathicus, à partibus inferioribus; vel utriuſque naturam redoleat. Si cauſa doloris ſimpliciter ſit in capite; tunc capiti ſoli proſpiciendum eſt: Si ſolo alterius partis fiat conſenſu, parti primario affectæ medendum. Si verò partim ſympathicus, partim idiopathicus dolor exiſtat, utrique parti conſulendum, modo primario affectæ, modo conſentienti, prout recens, aut vetus ſympathia extiterit; pars enim quæ alterius affectui diu conſentit, in ſe tandem aliquem concipit affectum, qui remanet etiamſi primarius tollatur: Idcirco recenti ſympathiæ citò proſpiciendum quæ fit vaporibus præcipuè ſublatis; puta, à ſtomacho, hypochondriis, utero; interdum humoribus tramiſſis per venas, & arterias: Quarum quidem partium morbi, ſunt inveſtigandi. Nam ſi bene valeant, ſuſpicandum in capite potius genitam eſſe materiam, quæ cauſa doloris eſt. Tunc verò, ſicut & in dolore capitis, quem febris continua ſequitur, inveſtigandum utrum partes extra calvam poſitæ doleant; an quæ intra ſunt afficiantur. Nam in capitis dolore, cujus materia foris oberrat, aut figitur, topicorum magis eſt locus, quam cum intus ſubeſſe creditur: In cujus rei

Optima doloris ſedandi ratio eſt cauſæ ablatio.

Recenti ſympathiæ citò proſpiciendum.

In capitis dolore diuterno topica magis conveniunt.

rei indagatione, ſagax debet eſſe Medicus. Nec omnino credendum ſignis vulgaribus, ab Authoribus deſcriptis; non ſemper enim quod dolere videtur extra calvariam, ſolum in externis poſitum eſt, quia malum quod intus latet foras ſæpè communicatur, ut viro nobili contigit, cujus cutis digito preſſa dolebat; defuncto tamen, abſceſſus inventus eſt circa meninges, præter ſpem celebris Medici, qui hoc ſigno fretus, ad ſpem aſtantes, & ægrotum erigebat: Quare etiam ſi in doloribus externis; preſſa cute digito, dolor fiat acerbior, & pili erecti ſint, doleantque in radicibus: Etiamſi dicatur meningum dolorem eſſe punctorium; & pericranium magis pati à frigore, cutim verò ab æſtu; Etiam ſi dicatur venarum, & arteriarum, dolorem eſſe gravem, & obtuſum, cæteraque quæ ab Authoribus afferuntur, ad partis externæ, vel internæ patientis dignotionem: Non ita tamen his fidendum, ut uno, aut altero ſigno præſente, ſtatim judices de parte affecta: Sed in doloribus pertinacibus, & non ſpernendis, maximè conſiderandum, quomodo ſe habeat ægrotus ad oblata, quomodo ſe habeant vires, quænam ſit partis dolentis functionum læſio: quæ ſi multum afficiantur; etiam ſi preſſa cute, partes externæ doleant; etiam ſi pili ſint erecti; etiam ſi dolor ſit gravis, & obtuſus, maxima debet eſſe ſuſpicio, partes internas noxam pati præcipuam, & illam externis per ſuturas, aut aliter communicari. Neque multum aliquando habenda eſt ratio eorum, quæ ab ægrotis referuntur; imponunt enim ſæpiſſime Medicis, perperam judicantes de ſitu, & natura doloris, in profundo eſſe affirmantes, quod in ſuperficie dolet; & gravem dolorem, acutum percipientes; eo quod ſe graviter affectum quiſque exiſtimat, ipſi etiam Medici. Rectè igitur partibus affectis, & natura doloris præcognitis, ad ea quæ experientia juvare inventa ſunt deſcendamus; in primis ad dolorem capitis à febribus continuis, & intermittentibus; ab inſolatu, & à quacumque cauſa calida.

Difficile dignoſcitur, an capitis dolor ſit internus, aut externus.

℞. Vitellos ovorum cum albuminibus numero ij. quo recentiora eò meliora, agitentur cum olei roſ. ℥. ß. aceti roſ. ʒ. ij. iis placentula roſa. Ex diſtillatione relicta, in formam frontalis concinnata imbuatur, tepide æſtate ſenibus, frigide juvenibus applicetur; hyeme vero calide.

Frontale ex ovis recentibus.

vel

℞. Olei viol. & lactis mulieris ana. ℥jß. vitellos ovor. numero ij. fiat frontale ut ſupra; ſomnum conciliat.

vel

℞. Ungu. popul. ℥ij. opii gr. iiij. miſce, fiat frontale.

vel

℞. Olei roſ. recen. aut oxicrato loti, ℥ij. cum placentula roſarum aut ſtupis leviſſimis fiat frontale, in quo etiam opii gr. iiij. ſæpe miſcentur.

Quidam ſal tritum, & linteo involutum admovent, quod ſæpe prodeſſe animadvertitur; Plurimi autem cum pane contundunt, & linteo ſuperpoſitum fronti admovent, quod magis mihi probatur.

In doloribus capitis cum febre, præcipue remotio cauſæ tentanda.

In doloribus, qui cum febre ab eadem cauſa exiſtunt, præcipuus curationis ſcopus eſt ipſius cauſæ remotio, quæ injecto enemate, ſi liceat, incipitur à venæ ſectione, cephalicæ, lateris magis dolentis, ſi appareat, aut medianæ; ſive ſit inflammatio; ſive humores acres, calidi, aut frigidi; ſive ſpiritus flatulentus arteriis incluſus: Quæ quidem venæ ſectio iteranda, ſi res poſtulet; præcipue ſi cauſa ſit calida; & in utraque ſit dolor vehemens: Deinde cogitandum de purgatione aliqua cephalica, ut eſt ſequens deſcriptio, qua dolorem capitis, per viginti dies cum febre continua infeſtantem ſuſtuli, eadem ipſa die: Tales autem exitus non ſunt ſemper expectandi, propter cauſarum varietatem, ſitum humoris, virtutis magneticæ purgantium relationes.

Per venæ ſectionem, & deinde ſpecificam purgationem.

Decoctum purgans Cephalicum.

℞. Rad. cyp. ℥ß. ſi recens fuerit; ſicci autem ʒij. folio. beton. ſampſ. chamædr. ana m. ß. flor. ſtæc. p. j. fiat ex his decoct. in aquæ ℔jß. ad conſumpt. tertiæ partis, in qua infun. folior. ſenn. mund. ℥jß. aniſi ʒj. turbith gumm. ʒjſt. zingib. ſcr. ß. agar. ʒij. ſeparatim factis infuſionibus, & expreſſ. facta, adde ſimul junctis ſaccha. ℥iiij. aquæ cinnam. ſi febris permittat; ſin minus cinnam. infuſi, cujuſcumque acceperis ʒij. capiat ℥iiij. mane, & ſero, quandiu duraverit.

Prima die, ita fæliciter à medicamento venter ſubductus eſt, ut poſtera die, reliquum inutile remanſerit, ſedato capitis dolore.

lore. Iſte ægrotus, dolore capitis cum periculo alias laboraverat, febrem continuam comitem habente; ex qua liberatus erat, auribus factis purulentis. Quod ſi febris magnæ ſit conſiderationis, cephalica calida quibuſdam frigidis temperari poſſunt, ut cichorio, oxalide, borragine, cum floribus violarum & nympheæ; melius tamen eſt iis abſtinere, ne virtus cephalicorum ſpecifica impediatur, dummodo febris permittat; Et hoc tanquam præceptum univerſale eſt obſervandum, ut ſi animus fuerit vacuandi humores ab aliqua parte, jungas cum purgantibus ſpecifica partis, ex qua humores ſunt educendi, nec multus ſit eorum numerus, ſed horum aliqua ſelectiora; ignari enim eſt, multa ſimplicium uti farragine, cui apud Authores quampluri-ma adverſantur exempla. His peractis evacuationibus dolore perſeverante, cucurbitulæ cum ſcarificatione humeris applicantur, vena malleoli tunditur, & ſanguiſugæ ano admoventur, ſi cauſa aliqua partibus inferioribus ineſſe credatur: Exiſtente verò cauſa in capite, hirudines temporibus, aut retro aures admoventur, vena frontis aperitur, ſi pars capitis poſtica doleat, ex doctrina Hippocratis; licet proſit etiam aliis partibus affectis. Veſicatoriis utimur retro aures, & ſi diu ſervanda ſunt aperta, inter ſcapulas; quemadmodum & ſetonibus. Sed ſi dolor ſit in modum hemicraniæ, & parvum locum occupet, nihil applicatione ranunculi præſtantius inveni, univerſalibus præmiſſis, ut dicetur in enarrationibus, etiam ſi febris adſit continua. Poſt hæc, pertinaci exiſtente dolore, celebratur arteriotomia juxta aurem, prope articulationem mandibulæ, quæ nullius eſt periculi, & miracula præſtat in antiquis, & pertinacibus doloribus, præcipue cum ſpiritus craſſus, horum cauſa, arteriis includitur, præ craſſitie tunicæ, aut alia de cauſa, puta obſtructione aliqua, exitum non habens. Lenientia, & anodyna ſupra ſcripta, hîc locum etiam habere poſſunt, & purgantia iteranda, ſi opus fuerit. Dolore autem capitis exiſtente ſine febre, animadverſis de quibus antea memini, utrum ſcilicet dolor ſit idiopathicus, & quanam in ſede, an à partibus inferioribus oriatur, cuilibet ſua ſunt adhibenda remedia, pro varietate cauſarum, & dominantis humoris. Si igitur cauſa exiſtat in capite, cum non adſit febris, calida non erunt pertimeſcen-

Ignari eſt, multa ſimplicium uti farragine.

Apho. 68. Sect. 5.

Applicatio ranunculi præſtans in hemicrania.

Arteriotomia juxta aurem, in antiquis doloribus miracula præſtat.

In dolore capitis ſine febre, calida non pertimeſcenda.

cenda, neque in purgantibus, neque in topicis; in quibus non tam calor, aut frigus, quam ſympathia cum cauſa doloris eſt ſpectanda: neque enim ex calore, aut frigore oritur præcipua doloris natura, ſed ex ſalibus humoribus permixtis, ut videbitur capite de arthritide; ideo ſympathia illa, quæ fere ſemper nos latet, in plurium topicorum applicatione quærenda, dum univerſalia præmittuntur, venæ ſectiones, purgationes, adhibitis in ſubſidium cucurbitulis, ſanguiſugis, & cæteris de quibus paulo ante egimus, quæ æque doloribus à cauſa calida, ſicut quæ à cauſa frigida oriuntur conveniunt: Si autem dolor fiat per conſenſum. v. g. à ſtomacho, ſtomachus expurgandus, pro natura peccantis humoris; qui ſi bilioſus, cruditati admixtus erit, & magis ipſo jejuno infeſtabit, dolor enim qui à cibo fit, cauſam aliquam fere ſemper habet in capite, præcipue ſi cibi aſſumpti non ſint hujus naturæ, ut dolorem pariant, quemadmodum allia, cepæ crudæ, vinum liberalius ſumptum, quæ apta nata ſunt excitare dolorem in quibuſdam naturis, qui dicitur cephalalgia; in cephalæa autem, & hemicrania, cauſa aliqua ſemper eſt in capite, quæ à vaporibus calidis, aut acribus excitantur, vel humoribus hujus naturæ illuc confluentibus, quorum frequenti occurſu, locus ita afficitur, ut poſtea levi de cauſa doleat: nam ſi pars aliqua tandiu fricetur, ut dolere tantillum incipiat, deinde acetum, aut aqua ſalſa ſuperiniiciatur, dolor ſtatim percipietur in parte fricata; in aliis verò minime, propter cutis integritatem: Sic in cephalæa, & hemicrania laborantibus accidit, in quibus partes, corrodentis humoris frequenti appulſu, velut excoriatæ, levi de cauſa poſtea afficiuntur, vicinis illæſis. Humor ille bilioſus, qui fere ſemper cruditatem habet admixtam, optime deturbabitur pilulis angelicis, ſeu potius agnelicis, ab authore Domino *l'Agneau*, in quibus calor, & ſiccitas baſis, quæ eſt aloë, optime corrigitur ſuccorum admixtione, ut videre eſt in earum deſcriptione, cap. de dolore ſtomachi. Si autem hæ pilulæ non ſint in promptu, præſcribatur bolus ſequens.

Si dolor capitis per conſenſum ventriculi, ſtomachus expurgandus.

Humor bilioſus, qui cruditatem habet admixtam deturbandus pilulis angelicis.

℞. Cathol. ℥ß. rhabar. ʒj. ſpirit. vitrio. gutt. iiij. fiat bolus, capiat mane cum regimine. Vel in forma liquida.

℞. Rad. gram. ℥ß. folior. cicho. borrag. & oxalid. ana m. ß. ſemi.

ſemi. frigid. major. ana ʒj. flor. viol. & nymph. ana p i, ſummit abſynth. pont p. j. ß. fiat ex his decoct. Acc. qſ. infu. folio. ſennæ mund. ʒiij. ſem. coria. ʒß. rhab. ʒj. expreſſ. facta diſſol. cathol. ℥ß. ſerap. de cicho. cum rhabar. ℥. j. fiat potio, quam ſi fortiorem deſideres, loco cathol. pone diapr. ſolut.

Cum non adeſt febris, non eſt multum curandum de caliditate pharmaci, dummodo bilis expurgetur, quæ tunc cruditatibus diluitur: imo major eſt utilitas, etiam in febribus, à bilis expulſione, quam à medicamenti calefactione: Si tamen animus eſt bilem temperandi, dum vacuatur.

℞. Rad. & folior. cichor. rad. gram. & oxal. ana ℥ß. folior. lactu. borrag. bugl. & endi. ana m. ß. ſem. frigid. major ana ʒ. j. flor. viol. & nymph. ana p. j. fiat ex his decoct. Acc. qſ. infu. tamar. ℥ß. caſſiæ recenter extr. ʒvj. diapr. ſolut. ʒij. ſerap. de cicho. cum rhab. ℥j. fiat potio, cui gutt. iiij. ſpiritus vitrio. addantur; acida enim egregie bilem temperant, & ejus impetum retundunt; quod ex Hippocrate etiam confirmatur, qui ait acetum, bilem in pituitam convertere: Sed humores ut plurimum non ſunt ſolitarii; prædominantis tamen ſemper habenda eſt ratio, quia ipſo vacuato, ſymptoma ſæpiſſime quieſcit: Deinde ſtomachus roborandus diacydonite ſine ſpeciebus, cum corallo, & cornu cervi. Si humor qui ſubeſſe creditur in ſtomacho, frigiditatis naturam æmuletur, ex fruſtrata coctione, quæ cruditas eſt, ex qua multi capitis dolores; humor ille crudus expurgandus pilulis de hiera, vel ſolis, vel mixtis cum pilulis de agarico, vel cocciis, admixtis ſine quibus, quæ propter myrobalanos ſtomachum roborant, cujus ſemper in hoc caſu habenda eſt ratio. v. g.

Acida bilem temperant, & ejus impetum retundunt.

Lib. de rari victus in morb. acut.

In purgatione ſemper humoris prædominantis eſt habenda ratio.

℞. Maſſæ pilul. coccia ſcr. ij. maſſæ ſine quibus ſcr. j. cum ſyrupo de abſyn. formentur pilulæ poſt primum ſomnum devorandæ.

Pilulæ in cruditate ſtomachi.

vel.

℞. Pilul. de agar. ſcr. ij. pilul. de hiera ſcr. j. diagrid. ſulphur. vapore caſtigati gr. iij. aut amplius pro natura ægrotantis. Fiant pilulæ cum eodem ſyrupo, capiat ut dictum eſt.

Si autem pharmacum exhauriendum eſt liquidum, gratia eorum qui pilulas devorare non poſſunt.

℞. Rad.

℞. Rad. petroſ. ℥ß. folior. menthæ, origa. abſyn. pont. ana m. ß. flor. roſ. borrag. & anthos ana p. j. ſemi. ani. & dauci ana ʒj. fiat ex his decoctio. Acc. q. ſ. infun. folior. ſennæ mund. ʒiij. ſem. coria ʒß. agar. ʒj. expreſſ. diſſolve diaphœn. ℥ß. ſyrupi roſ. purg. ℥j. fiat potio mane ſumenda; Quod ſi ægrotus facile cedat purgantibus, loco diaphæn. diſſol. cathol. Si autem humores ad exitum parandi ſunt, propter glutinoſitatem.

℞. Prædicti decoc. ℥iiij. oxymel. ſimpl. ℥j. criſt. tart. ʒß. capiat tribus diebus mane.

vel.

℞. Decoc. præd. ℥iij. ſyrupi de radic. ℥j. aquæ cinam. ʒj. ſal. abſyn. gr. iiij. pro faſtidioſis, & deliciarum amatoribus.

Probe expurgato ſtomacho, ut in officio contineatur, utatur ægrotus per intervalla pilulis de hiera, capiendo hora ante prandium, aut cœnam ʒß. ita ut venter, bis, aut ter dejiciat, ad minimum; hiera enim, inquit Galenus, totum ventrem ab excrementis liberat, & ipſum ad actiones proprias roborat; Quod ſi ægrotus deprecetur pilulas, capiat cochlear j. de ſyrupo noſtro magiſtrali eadem hora, qui in parva quantitate, optime, & blande purgat, nec ingrati eſt ſaporis, ut prædicant ægrotantes. Deſcriptio habetur cap. de ſpleneticis. Interea roboretur ſtomachus, uſu vini abſynthites, ſyrupi caryophillorum, aquæ claretæ, corticis citri, & ſimilium. Si verò doloris fons ſit ab hypochondriis, aliquis affectus in his animadvertendus eſt, ut ſunt obſtructiones, excrementorum congeries, aut ſubſtantiæ partis alicujus, in eorum regione ſitæ affectio; poſitu, gravitate, calore, dolore manifeſta; alioquin mali fons in has partes non eſt rejiciendus: Quod omnium morborum, qui per conſenſum fiunt, communis debet eſſe ratio. Eodem modo ſtatuendum de doloribus capitis ab utero, antequam affectus culpam in eum referas, quem in vitio eſſe, ex eo præcipue animadvertes, quod menſes, vel ſuppreſſi erunt, vel inordinati, & male fluentes; menſibus enim ſecundum naturam ſe habentibus; imo abundantibus, ex Hippocrate, non fiunt ab utero morbi. Si in his igitur partibus aliquis affectus deprehendatur, curetur ut cap. de ſpleneticis, de menſibus retentis, & de hyſterica paſſione docetur. Ad hæc Laurentius Joubertus, cap. de

Lib. 5. de loc. affect. cap. 5.

Stomachus poſt purgationem roborandus.

Signa doloris capitis ab utero.

Apho. 57. ſ. ct. 5.

de cephalalgia, teſtatur frequenti ſe experientia cognoviſſe, dolores capitis ab ſtomacho, partem anteriorem magis afficere; qui verò ab utero accidunt, verticem & occiput, quod etiam alii teſtantur. Communis eſt etiam Practicorum ſententia, quod ſi caput ab hepate afficiatur, in dextra parte capitis dolorem fieri; ſi verò à liene, in ſiniſtra: Hæc tamen à Rondeletio cap. 5. method. curan. morb. non probantur, quem ſequitur Sennertus, eadem ac ille adhibita diſtinctione; in conſenſu ſcillicet ab utero verticem affici, cum per venas, & arterias fit communicatio; occiput verò, cum per nervos & ſpinalem medullam: Quantum verò ad hepar, & lienem attinet; quamvis concedat Sennertus, plerumque per vaſa, venas, & arterias, materiam non magis ad dexteram, quam ad ſiniſtram communicari, propter æqualem vaſorum ad caput pertinentium divaricationem; tamen conſtare ait, dolores illos per conſenſum, non ſolum fieri, quia illa pars, magis altera ſit debilior (quod tamen ſæpiſſime in cauſa eſſe, in cephalæa, & hemicrania ſupra demonſtravimus) ſed ab hepatis cum dextra, & lienis cum ſiniſtra conſenſu. Hæc quidem non immerito à Sennerto dicuntur; Hippocrates enim, & Galenus, non ſolum in Prognoſtico, ſed & multò magis Epidem. 6. commen. 2. lateris dolorem, hypochondriorum diſtentiones, lienis tumores, & ex naribus eruptiones, ſecundum rectitudinem fieri affirmant: In his tamen omnibus, non eſt jurandum in verba magiſtri; cum nobis, ut plurimum, non conſtet, utrum per venas, & arterias; an per nervos, & ſpinalem medullam fiat communicatio: utrum fiat humore tranſmiſſo; an vapore ſurſum ad caput aſcendente, cui quacumque eſt aditus, nec venas, arterias, nervos, aut ſpinalem medullam requirit, ut cerebrum petat, ſive ab utero, ſive ab hypochondriis, ſive à ſtomacho, ſive aliunde aſcendat: ideo dolente capite, inquirendum, pars-ne aliqua inferior aliquo affectu laboret, ſuis cujuſque propriis ſignis, ut jam diximus, à quo caput etiam afficiatur. Plerumque tamen accidit, ut à capite in aliquam partem, citra ſenſum feratur humor, quæ à multis perperam creditur primario affecta, quod internoſcere, maximi eſt momenti in praxi. Poteſt etiam fieri dolor capitis, per conſenſum à toto

Capitis dolor a ſtomacho magis partem anteriorem, ab utero poſteriorem, ab hepate dextram, a ſplene ſiniſtram afficit.

Dolor capitis per Conſenſum a toto corpore, vitæ regimine curandus.

corpore, ab univerſo ſcilicet venarum genere, in præcalidis naturis, & ſanguine abundantibus, ſeu vapore acri, & temperamentum redolenti, ad caput delato, qui vitæ regimine, & ſanguinis miſſione curari poteſt: Non omnis tamen calidus humor, aut vapor, dolorem capitis affert, niſi agere poſſit in continuum, illud diſſolvere tentans, ut videmus in pluribus febribus, in quibus nullus eſt dolor capitis, propter vaporis, aut humoris qualitatem in continuum non agentem, licet præcalidam; ſed de hoc alibi fuſius. Expeditis doloribus capitis, qui fiunt per conſenſum à cauſa frigida, aut ſine febre; eos qui cauſam conjunctam habent in capite perſequamur, ſtatim à principio inveſtigantes, quænam partes doleant, ut antea docuimus; quod cum innotuerit, curatio neceſſaria tunc adhibeatur: Siquidem doloris cauſæ intra calvam poſitæ, interna magis requirunt auxilia; utriuſque tamen medela, ſi quotidiana artis præcepta velis obſervare, incipitur ab injectione enematis, & venæ ſectione cephalicæ, ſi appareat, & ſatis ſanguinis ſit datura, lateris magis dolentis, aut dextri, ſi utraque pars infeſtetur. Enema poterit eſſe hujus deſcriptionis.

Lib. 3. cap. 1. de dolo. ſtom.

Cauſæ doloris intra calvam poſitæ, interna requirunt auxilia.

Enema in dolore capitis a cauſa interna.

℞. Herbar. emoll. & mercur. ana m. j. folior. beton. ſampſ. ſalv. ana m. ß. flor. chamæm. & melil. & ſtœchad. ana p. j. ſem. anis. & fœnic. ana ʒj. fiat ex his decoctio: Acc. q. ſ. diſſol. elect. diaphœni ℥ß. hieræ diacoloch. ʒij. olei chamæm. & mellis anthoſ. ana ℥ij. ſalis parum, fiat enema ante cœnam frugalem iniiciendum, & ventre à fæcibus exonerato, ſi fieri poteſt: vel injiciatur enema matutinis horis ante venæ ſectionem, quo ejecto, capiat juſculum ægrotans, aut toſti panis fruſtulum in vino madefactum, ſi non facile ferat ſanguinis miſſionem, & poſt quadrantem, extrahatur ſanguis pro viribus: ſtatim enim à ſumpto nutrimento, ſanguis non eſt hauriendus, propter concurſum ſpirituum ad ſtomachum. Poſt venæ ſectionem unam, aut alteram, decernendum de purgatione, ex pilulis capitalibus ſupradictis, aut aggregativis, quæ ex fortioribus omnium maxime roborant, deinde aureæ; ideo, quæ nulla recipiunt roborantia, ut cochiæ, & de agarico, cum roborantibus miſcenda, præcipue cum res nobis eſt cum imbecilli ſtomacho. Si autem ægrotus deprecetur genus purgantis, Medicus ſe illi accom-

commodet, præſcribendo bolum, vel pharmacum liquidum, ut ptiſana ſupraſcripta, aut

℞. Rad. cyp. ℥ij. polyp. querc. tantumdem, folior. beto. ſampſ. ſalv. ana m. ß. flor. ſtæc. & ſummit hyſſo. ana p. j. ſem. aniſ. & pœon. ana ℥j. fiat ex his decoct. Acc. q. ſ. infun. folior. ſennæ mund. ℥ij. aut amplius, ſem. coria, ſcr. j. agar. trochiſc. ℥j. Expreſſ. diſſol. elect. diacarth. ℥ß. vel pulv. ejuſdem ℨß. ſyrupi roſ. purg. ℥j. fiat potio. Decoctum purgans in dolore capitis.

Pro delicatis, & faſtidioſis, diſſolve in juſculo, beton. ſampſ. & hyſſo. alterato, pulv. electu. diacart. à ℨß. ad ℨj. pro fortioribus, vel doſim. pulv. cornachini, qui gratioris eſt guſtus, & multò minori quantitate ſumitur, non ſolum in liquoribus diſſoluta, ſed & in forma pilularum, & parvi morſuli, azymo pane involuti, cui additur guttula una, aut altera olei ſalviæ arte chimica extracti, ut vis cathartici, melius ad partem affectam ducatur. Poſt purgationem, iteretur venæ ſectio ex altero brachio, ſi ſit cephalalgia, aut cephalæa; ſi verò hemicrania, ex eodem latere: cum autem tertia vice faciendum, aut propter doloris vehementiam, aut propter ſanguinis corruptelam, quæ materiam ſæpe cauſæ ſuppeditat, ex altero latere faciendam, ut humorum abundantia ad oppoſitum, & ſanum avocetur; fiantque cætera quæ ſupra diximus, & frigidis, & calidis doloribus convenire, ſicut & purgationum repetitiones, prout ſuadent, indicationes: cauſa deinde, particularibus, & topicis oppugnanda, de quibus jam verba fecimus in doloribus capitis, quorum cauſa febrem etiam gignit, partimque deſcribentur in ordine remediorum alphabetico, ad finem d. libri 5. duo hic proponentes, propria experientia comprobata, quorum primum eſt errhynum ſequens.

℞. Rad. hellebo. albi ℨß. folior. ſampſ. p. ij. decoque in aquæ ℥vj. ad conſumptionem terriæ partis, ore aqua pleno utere, naribus attrahendo, ex decocto parum calido, in vola manus poſito, in dolore atroci; levem enim exaſperat. Secundum eſt ſuccus ranunculi, qui cùm dolor parvum locum occupat, ad miraculum tollit: eligitur ſpecies, quæ foliis anemones aſſimilatur, & linguam mordet quam maxime maſticata, cujus folia contunduntur in mortario ligneo, aut marmoreo, facto- Errhynum in dolore capitis atroci.

que emplaſtro perforato, ut in applicatione pyrotici ſolet fieri, & loco dolenti impoſito, applicantur ſupra foramen folia ranunculi contuſa, & multo ſucco madentia, non tamen ut diffluat, emplaſtroque non perforato ſuperpoſito, duarum horatum ſpatio, cutem aperit in tenero loco, & depilato, præcipue ſi colligatur herba in loco ſoli expoſito; in capite verò, ubi pili naſcuntur, non facile aperit, ſed parte in tumorem elevata dolorem ſedat, attrahendo humores acres ſimilitudine ſubſtantiæ, cum ipſa ſit acris, & mordax, à pericranio parte valde ſenſibili, ad carnem minus ſenſibilem, cum non poteſt cutem aperire. Hoc unum advertendum, ut circa oculos ponatur in parva quantitate, propter palpebrarum, & partium circumiacentium inflationes, quas gignit ſtupendas, nullius tamen periculi; Mulier enim quædam nobilis, cum me conſulente, multoties applicatione ranunculi, ſe ab hemicrania vindicaſſet; aliquando tandem cum doloribus divelleretur, multis in locis, & nimia quantitate impoſito ranunculo, tanta faciei, colli, & partium ſuperiorum pectoris, inflatio facta eſt, colli præcipue, ut ejus, & faciei una eſſet facies; unde exterrita, miſit ad me nuntium, ut eam inviſerem: tumorem autem animadvertens eſſe ſine dolore, & tenſione, affirmavi nihil ab illo eſſe pertimeſcendum; juſſi tamen ut cohiberet ſe intra cubiculum, nullo adhibito remedio, & per ſe omnis inflatio evanuit. Cum dolor pertinaciter urget, poſt multa adhibita auxilia, tum univerſalia, tum particularia; non erit abs re, doſim laudani propinare. Vide cætera in ordine remediorum alphabetico; quibus addi poteſt quarumdam aquarum mineralium potus, & capitis irrigatio, quæ multum prodeſſe experimur.

Inflatio, & tumor partium a nimio uſu ranunculi.

Laudanum in pertinaci capitis dolore.

PROGNOSTICA.

Sanguinis aut puris, e naribus vel auribus fluxus, capitis dolorem ſolvit.

CApitis dolor vehemens, & continuus, cum febre; ſi aliquod extiterit ex indiciis exitioſis, omnino lethalis eſt: Si verò ſine talibus indiciis fatiget ad ſeptimum uſque diem, ſanguinis è naribus fluorem expectato; procedente verò tempore, id etiam eveniet, aut pus è naribus erumpet, vel auribus, ad ſalutem ægri: Si vero ad 20. diem dolor extendatur, tunc ſanguinis fluorem etiam expectabis majorem; magis vero ſuppura-

ra-

rationem, vel abſceſſum ad inferas ſedes: Sed per illud tempus, quo ſanguinis fluorem expectabis, ſpem tibi augebit, vehemens dolor in fronte, & temporibus perſeverans. Ex Hippo. & Gal. 3. progn. cap. VII.

Quibus per febrem dolor capitis cepit prima die, quarto premuntur magis; ſeptimo vindicantur: Quibus tertia die, quinto premuntur magis; nona, aut undecima. Quod ſi quinta die dolore incipiat vexari, & alia quoque ſecundum rationem illis accidant ex prioribus; decimoquarto morbus finietur. Hippocr. 3. progn. cap. XII.

Quibus ſanis repente fiunt capitis dolores, & muti fiunt, ac ſtertunt, intra dies ſeptem moriuntur, niſi febris corripiat. Hippo. 51. apho. ſect. 6. Dolor capitis in febribus, qui à principio non invaſit; inſeparabile futuræ criſis inditium eſt. Gale. lib. 1. de arte curat. ad Glauco.

Quibus febricitantibus urinæ quales jumentorum, iis dolor capitis, vel adeſt, vel aderit. Hippo. apho. 70. ſect. 4.

Caput dolenti, & circumdolenti; pus, aut aqua, aut ſanguis fluens per nares, aut os, aut aures, morbum ſolvit. Hippo. apho. 10. ſect. 6.

Uterum gerentibus capitis dolores ſoporoſi, cum gravitate exiſtentes; mali ſunt. Hipp. lib. 1. prædic.

Capitis dolor in morbo acuto, præcordium revulſum; non perfluente ex naribus ſanguine, ad phrenitidem devenit. Hippo. coac. 25. lib. 1.

Quibus ſunt capitis dolores, & ſonitus aurium, & vertigo, & vocis tarditas, & manuum torpor; eos aut apoplecticos, aut comitiales, aut obliviοſos fore expecta. Hippoc. coa. 2. lib. 2.

Qui in doloribus capitis æruginoſa vomunt, & cum ſurditate vigilant; ij. cito vehementer inaniunt. Hipp. coac. 10. lib. 2.

In vehementi capitis dolore, urinæ aquoſæ, malæ ſunt, metuendum eſt delirium, aut inflammatio, ſurſum bile tranſlata.

Vehemens capitis dolor, præter rationem ſubito evaneſcens, periculum minatur; facultatis necroſim ſæpe ſignificat.

In doloribus capitis, ſummum periculum minatur, diſtentio nervorum, inflammatio oculorum, aut ſubverſio, aut inflatio.

Vehemens dolor capitis, qui curatione non ſanatur, ſed magis exaſperatur, aſſidueque tenet: Si febris adſit, periculum inſaniæ; ſi non adſit, etiam inſania timenda eſt, ſed multo magis cæcitas.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Religioſa gravi capitis dolore vexata, omnibus fruſtra tentatis, interiit.

REligioſa quædam in hac urbe, gravi per annum capitis dolore vexata, omnibus fruſtra tentatis, tandem interiit: vocatus in diſſectione cadaveris, apertoque ſerra cranio, tumere viſa eſt meninx; qua aperta, circa baſim cerebri, & parte laterali, magna ſtatim proſiliit quantitas aquæ limpidæ, ſubſtantiaque cerebri ea parte corrupta inventa eſt.

OBSERVATIO II.

Virgo a dolore capitis obcæcata.

VIrgo quædam, cujus fortaſſe animus, ad vitam monaſticam non erat valde propenſus, inductu tamen parentum Cœnobium ingreſſa, poſt aliquod tempus cœpit dolore Capitis vexari, quo tandem obcæcata eſt. Poſt aliquot annos defuncta, diſſecto cranio, pituita gypſea circa nervos opticos inventa eſt, cæcitatis quidem cauſa, ſed non mortis, ad quam invehendam, multum fecit everſio ejus temperamenti, vita monaſtica, quod ad hilaritatem valde erat propenſum, & ad iocos.

OBSERVATIO III.

Vir nobilis acerrimo dolore capitis vexatus, ranunculo capiti inpoſito, curatur.

VIr quidam nobilis, acerrimo dolore correptus in uno temporum, quo animi erat impotens, & vix continere ſe poterat, anxius, cum febre continua, & vigil: iter faciens equo vectus, lubens, & caſu ejus domum, quia erat mihi valde notus, ingreſſus, inveni conquerentem de ejuſmodi dolore, bonoque animo eſſe jubens, imperavi Chirurgo, qui tùm aderat, ut raſo capillitio, imponeret emplaſtrum in medio partis dolentis, cujus foramen eſſet rotunditate denarii, foliaque ranunculi contuſa, eo modo quo ſupra docuimus, ſuperponeret, nec per tres, aut quatuor horas removeret; neque enim periculum eſt altæ ulcerationis in capite, ubi capilli enaſcuntur, quemad-

mo-

modum in fronte, circa oculos, & alibi, ubi caro tenera eſt; datoque hoc conſilio, cui ſtatim obtemperatum eſt, pertranſivi. Poſtera die reverſus, inveni hominem ſine dolore, parte in tumorem ſolum elevata, ſebris tamen permanſerat, quæ antea, & poſt adhibitis auxiliis ſanata eſt.

OBSERVATIO IV.

Civis febre continua correptus conqueritur de maximo dolore in uno crotaphite, & ranunculo curatur.

CIvis quidam hujus civitatis, febre continua periculo non vacante correptus, conquerebatur de dolore capitis, ſed maxime in uno crotaphite: Percunctatus num hemicraniæ per ſanitatem eſſet obnoxius; confeſſus eſt; quo audito, juſſi ſtatim, eo modo quo antea, ranunculi folia applicanda, quorum beneficio dolor abſceſſit: Quare verò ab eadem cauſa magis doleret in uno temporum, quam in alio; rationem ſupra reddidimus.

OBSERVATIO V.

Mulier febre acuta, & atroci dolore capitis laborans, abſceſſu curata.

MUlier quædam nobilis, atroci dolore capitis decumbens cum febre acuta; magis tamen conquerebatur de latere ſiniſtro: Huic multa adhibita ſunt remedia; venæ ſectiones, brachiorum, malleoli, frontis, cucurbitulæ, ſanguiſugæ temporibus, veſicatoria retrò aures; Habitaque conſultatione cum celebri Medico, non congruebant ſententiæ. Ille enim in ipſo cerebro, doloris cauſam exiſtere affirmabat, ejuſque pertinacia ægrotam morituram: Ego verò, partes tantum extra calvam poſitas affici, ideoque ſanam fore; videbatur enim mihi, aliquid inſidere in vultu ægrotantis, quod dolorem eſſe in intimis partibus non arguebat; licet ſpecie, videretur eſſe affectus uſque ad 20. cum magno periculo, poſt quem, omnis dolor Capitis in uno temporum totus conſedit, ibique nullis remediis cedens, per quinque menſes permanſit, non tamen eadem cum ſævitia; quibus exactis, cæpit humor in emunctorium cerebri ſe recipere, in eoque abſceſſum facere, obſcure tamen, ita ut vix deprehenderetur à perito Chirurgo, qui immiſſo ferro, pus prima vice non invenit; admoto tamen cataplaſmate emolliente, & attrahente, majorem de ſe præbuit notitiam, apertoque abſceſſu, & pure craſſo erumpente ſanata eſt mulier. Fortaſſe ranunculi applicatio triumphaſſet in principio; ſed nondum experientia mihi notus erat anno 1632.

OB-

OBSERVATIO VI.

Mulier ſemper dolore capitis infeſtata, caſu cranium frangens interiit.

MUlier quædam Maſſiliæ, nunquam dolore Capitis vacans; cum iter faceret mulo inſidens, decidit in ſubjecta ſaxa, quo caſu, vulnus inflictum eſt cum cranii fractura, in ſiniſtro latere oſſis coronalis, & juxta ſuturam; adeoque os fractum tenue videbatur, ut dimidiam ſui craſſitiem non æquaret, quod motu cerebri nobis erat notum: Nec mihi, & Chirurgo poterat venire in mentem, qua de cauſa cerebri diaſtole, ſumma oſſis appareret ſuperficie; mortua autem muliere nona die, ejuſque cranio diſſecto, res nobis innotuit, ſimulque cauſa perpetui doloris: Quippe in parte cranii concava, erant paſſim quam plurimæ cavitates totundæ, quarum majores, ſolum erant capitis magnarum acicularum continendi capaces, in quibus ſubintrans dura mater, in modum papillæ pluribus in locis apparebat, quod perpetui doloris cauſam fuiſſe exiſtimandum eſt; in ipſis enim foraminibus conſtringebantur meninges: cum autem è regione fracturæ ſubeſſent duo, aut tria, ex foraminibus prædictis; ideo in ſuperficie, & ſupra diploë, motus cerebri apparebat.

OBSERVATIO VII.

Dolor Capitis a lue venerea.

VIr quidam, multas, & celebres percurrens Galliæ civitates, ut à dolore capitis, quo perpetuò torquebatur, ſanaretur: Tandem veniens Maſſiliam, ſanatus eſt à patre meo; ſanata ſcilicet lue venerea, qua laborare, nec ipſi, nec aliis venerat in mentem.

OBSERVATIO VIII.

Dolor Capitis a lue venera, curatus arteriotomia, & ptiſana purgante.

CIvis nobilis Maſſilienſis, lue venerea laborans, à Medico, & Chirurgo curandus ſuſcipitur, vulgari methodo; per ptyaliſmum, quo quadraginta diebus abunde excrevit: Poſt tamen aliquod tempus, cepit dolore capitis vexari, remediis non cedente, niſi arteriotomiæ, qua octo dierum ſpatio levabatur: cum autem dolor ſemper rediret, pluribus vicibus hoc expertus, tædioque affectus, Empirico ſe commiſit, qui ptiſanæ purgantis uſu eum curavit. Vide hanc Hiſtoriam latiſſime deſcriptam lib. 5. obſ. 41.

OB-

Observatio XI.

Vir quidam ruſticus, per annum capitis dolorem perpeſſus, redeuntem Maſſilia, Aduram me convenit, multis antea fruſtra tentatis. Præmiſſa purgationi venæ ſectione, arteriam quæ juxta aurem pulſat tundendam curavi; licet autem imperitus Chirurgus tantillum arteriam attigiſſet, maximum tamen levamen percepit; neſcio autem an perfecte curatus fuerit, nihil enim de illo ad me poſtea relatum eſt.

Ruſticus levamen ſentiens, ab arteriotomia, in Capitis dolore.

De catarrhis, ſeu fluxionibus.

Caput II.

Cum ſit ſtatuendum, fere omnes fluxiones originem ducere à capite, eaſque comitem habere ſæpiſſime cephalalgiam, aut antecedentem; non incongruum erit, poſt capitis dolorem, agere de fluxionibus, ſeu catarrhis, generaliter ſumpto ejus nomine, quatenus omnem fluxionem comprehendit, qualiſcunque generis fuerit, antequam aliorum affectuum doctrinam aggrediamur: Fluxio enim ita morborum cauſa univerſalis eſt, ut omnes fere ſpecies invehere poſſit. A fluxione, humore non longius progrediente, quidam dolores capitis, præcipue autem hemicraniæ, oculorum, & aurium affectus; Si ſupra dentes humor excutiatur, odontalgiæ, oris ulcera; Si paulo inferius, gutturis inflammationes, tumores, raucedines, anginæ, muſculorum caput elevantium, & colli dolores, ſcrofulæ, & alii tumores; præterea tuſſes, difficultates ſpirandi, peripneumoniæ, pleuritides, præcipites ſuffocationes, tabes; Si in medullam ſpinalem feratur humor, aut in nervos, paralyſes, convulſiones; Præterea cordis palpitationes, cardialgiæ, cruditates; ſanguinis in venis corruptio, quo latere præſertim irruit fluxio, ventris inflationes, tumores, ulcera, corruptiones; lumborum dolores, ſtranguriæ, dyſuriæ: Teſticulorum, & ſcroti inflammationes, tumores, & ulcera, hæmorrhoïdes, herniarum occaſiones, arthritides, pedum, & tibiarum inflationes, tumores, ulcera, pruritus, herpetes, ſcabies particularis quarundam partium, aut quid ſimile: Nulla denique morbi ſpecies,

Catarrhi fere omnes origenem habent a Capite.

Hippo. epiſto. ad Deme.

Morbi a fluxione originem trahentes.

C quam

Doctrina de Catarrhis ridetur ab Helmontio.

quam fluxio non invehere poſſit. Hanc tamen doctrinam irridebit vanus Helmontius, qui eam catarrhi vocat deliramenta; aſſerens quidquid in partibus fieri à catarrhis, a ſcholis comminiſcitur; id eſſe propria cujuſque partis idiopathia, non autem à capite: Sed in totis ſuis operibus, nunquam magis illum delirantem inveni, quam in tractatu de catarrhis, in quo vult ſcholas delirare; affirmat, enim per modum concluſionis perperam ductæ, nullum vaporem ab ſtomacho ad caput ferri; quod quam falſiſſimum ſit, nemo mortalium ignorat. Quis enim poſt comeſſationes; vini meracioris potum liberaliorem; ab eſu allii, & ab ejuſmodi cibis vaporoſis, & potibus, non percipit ſibi caput gravari, & quandoque inebriari? Deinde imponens ſcholis, ut ejus mos eſt; quaſi omnium talis eſſet conſenſus Medicorum, ſolo vaporum aſcenſu a ſtomacho ad caput, fieri catarrhos; ait quod ſtante ſcholarum doctrina, ſanus, atque calidus ſtomachus, multo majores, atque plures catarrhos generaret, quam æger, atque alioquin frigidus; quod verum eſſet, ſi aliæ cauſæ potiores ad catarrhum non deſiderarentur, ut eſt præ cæteris, capitis debilitas, & refrigeratio; falſoque hoc fundamento ſuppoſito, ridiculas ducit concluſiones, quaſi vaporibus eſſet interdictum, nonniſi per gulam, & ore clauſo, ad caput aſcendere. Sed detur Helmontio, quidquid in partibus excrementi colligitur, eſſe ab earum idiopathia, nec aliunde affluere: Quænam pars eſt toto corpore, excrementis gignendis magis obnoxia, ipſo capite? quæ ſi nimis redundaverint, non effundantur in partes ſubjectas. Ubi receptaculum, quod tandem non repleatur, in imbecillo capite, eoque regurgitante, humor non defluat? præcipue ſi liquidus fuerit; quod ſumpto generaliter nomine, catarrhus vocabitur, in quamcumque partem feratur: Quod enim pulmoni datum eſt, ſurſum ſua excrementa propellere; à fortiori dabitur capiti, deorſum dimittere, cum ipſa ſuo pondere ſæpe defluant. Cæteri omnes Medici catarrhos quidem fieri, uno ore profitentur; ſed quanam in parte ſit fons & origo, non conveniunt. Veterum fuit opinio, ſicut & multorum Neotericorum, poſt Hippocratem, & Galenum, pluribus in locis, catarrhos oriri à capite: Alii cauſam fluxionum præcipuam tribuunt Jecori;

Helmontii opinio de Catarrhis.

Lib. 1. de morb. & 4.

ca-

caput tamen non rejiciunt, ut infra videbitur. Solus Schneiderus, in ſuo opere de catarrhis noviter edito, negat eos fieri ab excrementis cerebri; ſed ejus materiam ineſſe in ſanguine, & cum ipſo circumferri, & ab illo exire, per vaſa cujuſque partis, inter quas caput non recenſet, ut videre eſt toto ſuo lib. 3. de catarrhis. Sed & ille, & multo magis Helmontius, & omnes qui hac implicantur hæreſi, ſunt capite ſicco, & ex ſuis ingeniis alios metiuntur, putantes nullum à capite fieri catarrhum, ſeu fluxionem, quia ipſi non laborant. Fatendum quidem eſt, materiam catarrhorum in ſanguine plerumque ineſſe, cum ipſo circumferri, & ab ipſo exire; ſed bene valente capite, aut nulli, aut parvi fiunt, licet vitium ſanguinis adſit; capite verò imbecillo exiſtente, non peccante ſanguine fient catarrhi; quod ſi quis nolit credere, curet ſibi caput impenſe refrigerari, & ſatis nobis erit. Subit tamen mirari aſſerentem Schneiderum, materiam catarrhorum, ex ſanguine per renum vaſa; ex ſanguine per matricis vaſa; ex oculis, ex naſo, ex auribus, ex ore, per propria cujuſque vaſa; à capite autem, ſeu cerebro, per eorum vaſa non fieri catarrhos. Quæ potior eſt ratio, cur materia catarrhorum non exeat per vaſa cerebri, aut capitis; ſicut per vaſa partium illarum quas ipſe recenſet. Ego quidem rationem non invenio, cum cerebrum multis ſcateat excrementis, ſitque ex Hippocrate, pituitæ metropolis. In partibus extra calvam poſitis gigni excrementa, neminem credo ire inficias, cum experientia id demonſtret: Quoties enim in odontalgia, ſentitur humor à capite cum dolore per tempora decidere. Quoties qui hemicrania laborant, ſentiunt dolorem in partibus ſuperioribus capitis, qui deinde irruit in oculum, atrociſſime crucians. Quoties fiunt tumores in capite, qui deinde evaneſcentes, dolorum cauſæ exiſtunt in partibus inferioribus, ut dicetur ultima enarratione, & capite de arthritide. Quoties videmus infantes achoribus, & favis laborantes, quorum materia exitu prohibita, abſceſſum ſæpe facit in collo. Quoties qui fluxionibus ſunt obnoxii, conqueruntur de ſenſu frigoris in capite, poſt quem ſequuntur deinde fluxiones. In ipſo etiam cerebro excrementa cumulari, ipſius probant morbi, & in diſſectis cadaveribus autopſiæ. Spreta igitur Schnei-

Lib. de glan. Epiſt. ad Demetr. Lib. de loc. in homi. Gal. lib. 3. de ſympt. cauſ. Lib. 6. de ſani. tuen. cap. 6. Lib. 9. de uſu part. cap. 1.

Materia Cattarrhi eſt in ſanguine.

Epiſt. ad Demetr.

Helmontii & Schneideri opiniones de Catarrhis refutantur.

deri ſententiâ materiam catarrhorum non eſſe excrementum cerebri; multoque magis vani illius Helmontii deliramentis; ſigillatim excutiamus ſententias rationi magis conſentaneas, quæ ex cauſarum fluxiones efficientium inveſtigatione eluceſcent, quas ſtudioſiſſime cavere omnibus conſulo, præcipue urbanis, inter quas præcipua, & frequens, capitis eſt refrigeratio. Sed ut hoc altius animis inſideat, modum generationis fluxionum ſcire oportet, ut rei tam noxiæ certiores facti, facilius ejus incommoda vitent; alioquin peccatorum juventutis, quæ omnia ſpernit, pœnas fortaſſe luent ante ſenectutem. Parvulæ fluxiones etiam capite robuſtis, & toto corpore ſanis, fiunt ſola partium externarum calvariæ ſubita refrigeratione, qua pro tempore, impedita aliquatenus earum coctione, viæ excernendis excrementis dicatæ per cutem, præcluduntur, paſſim quæ coacta, in partes proximiores protruduntur, oculos, aures, dentes; inferius autem ſi excutiantur, velut gutta aquæ in pariete deſcendens, antequam ad ima pervenerit, abſumitur; ſic humor à capite effluens in parva quantitate: Sed ſi cauſis invaleſcentibus, magis abundaverit, majores fiunt fluxiones, quæ in varias partes irruunt, pro quantitate humoris, & ſecundum partis mittentis robur, ſuſcipientiſque imbecillitatem, à quibus humor ſæpiſſime agitur, ſicut pila in ſphæriſterio, quouſque in partem magis languidam, aut ignobilem decumbat, vi indita potentiâ natura partibus nobilibus, & ipſis viſceribus, ut quòd moleſtum eſt, longius à ſe propellant; ita ut à vertice ad pedes uſque clanculum, & ſine ſenſu, ſæpiſſime humor delabatur, præcipue ſi in magna quantitate non fuerit, omniſque qualitatis malignæ, aut multum corrodentis expers; hoc autem ægrotis, & ipſis Medicis vix credentibus, niſi rerum uſu edoctis. Sed ſi caput impenſe refrigeretur, ſubſiſtit humor per calvariam, illic varios excitans dolores, cutiſque ſæpe molli tumore craſſeſcit; hoc autem interdum ſine febri, alias verò cum febre, levi, aut acuta, pro natura putreſcentis, & incaleſcentis humoris, ex qua quidam interdum ægroti evadunt, auribus factis purulentis. Capitis refrigerationi, ſi debilitas acceſſerit, vel à natura, vel aſcititia; facilius, & magis à frigore afficimur, majorque noxa infertur; unde fluxiones augentur, &

Capitis refrigeratio Catarrhi cauſa.

Gal. lib. 2. de febr. cap. ultimo.

& frequentiores fiunt, præcipue ſi capitis debilitati, & refrigerationi, vita intemperans acceſſerit, in vini maxime meracioris potu, & veneris uſu immoderato, qui caput impenſe debilitat, præſertim jam debile exiſtens, ab ortu, vel à morbis prægreſſis, vel à cauſarum frequenti occurſu, extrinſecus refrigerantium, potiſſimum elementi humidi. His tribus cauſis fluxionum, multi quartam non tantum annumerant, ſed præcipuam faciunt; Jecoris ſcilicet caliditatem, à quo, & venis, multi vapores, inquiunt, ſurſum elevantur, qui cerebri frigiditate, ut in deſtillatione fit, denſantur in aquam, quæ fons eſt, & materia fluxionum. Sed hæc opinio parum probabilis eſt & mente potius ficta, quam rerum uſu inventa; etiamſi ducem habeat Avicennam: Certiſſimum enim eſt, Jecoris frigiditatem, aut aliquid aliud in eo, ſanguinis corruptioni conferens, longe majoris momenti cauſam eſſe fluxionum, multumque hac in re ſuperare, quidquid in ipſo viſcere extiterit; à Jecore enim refrigerato, ſanguis aquoſior gignitur, ex quo partes debiles, præcipue caput, multum ſeroſi excrementi cumulant, quod cum facilius diffluat, materia eſt gignendis fluxionibus aptiſſima: Sic etiam de ſanguine exiſtente putrido ſtatuendum; quod enim bonum eſt, facile tranſit in alimentum, reliquum vel expellitur, ſi adeſt robur, vel præ imbecillitate remanens, materia eſt fluxionum, aut alterius alicujus affectionis: Hoc autem fide mea eſſe jubeo, nullos me inveniſſe fluxionibus obnoxios, quibus tandem non ſubeſſet ſanguis in venis putridus; quod fit ſæpiſſime fluxione venas ſubeunte, de qua re fuſius cap. de arthrit. Jecur autem præcalidum, loquor hîc de viſcere, manente intra limites ſanitatis, optime ſanguinem conficit, & minime aquoſum, ideoque non aptum procreandis fluxionibus, niſi accedat magna capitis imbecillitas, propter quam, non valet, attractum etiam bonum alimentum recte conficere: Neque poteſt venire in mentem, quomodo tanta vaporum copia ſurſum efferatur ab hepate & venis, frequentis fluxionis materia ſufficiens, niſi internæ, vel externæ alicujus cauſæ interventu, ut eſt capitis imbecillitas, refrigeratio inveterata, & vitæ intemperantia, vel unius, vel duorum, vel horum trium concurſu. Nam ut multi vapores ab hepate, & venis;

Immoderatus vini meracioris, & veneris uſus Caput impenſe debilitat.

Caliditas jecoris ab Avicenna, inter cauſas Catarrhi numeratur.

Sanguis putridus fluxionum Cauſa.

Avicenna refutatur.

nis, ſurſum aſcendant, qui ſatis eſſe poſſint fluxionibus frequentibus gignendis, juxta, & circum has partes ponendus eſſet calor agens, & ſurſum vapores propellens, ut in deſtillatione fit: vel ſtatuendum eſſet aliquod attrahens in ſuperioribus poſitum, quemadmodum ſol: At caput non attrahit vapores, ut quidam volunt, excipit tantum; quod naturæ inſtinctu non admitteret, ſi in ejus vi expultrice hoc poſitum eſſet; pluresque auſim dicere, vapores ex una coctione ab ſtomacho aſcendere, potu & cibis referto, quam ab hepate & venis per quindecim dies; habet enim extrinſecus Jecur ſibi incumbens, ventriculum, multo ſe calidiorem, cogens ab iis quæ in ipſo coquuntur, vapores ſumma petere, præcipue ex vaporoſis. Sed quod me magis à ſententia Avicennæ, aliorumque hoc ipſum credentium recedere cogit, id unum eſt, innumeros me vidiſſe robuſto capite, & jecore præcalido, nullis fluxionibus obnoxios, niſi alicujus ex cauſis jam dictis interventu. Quapropter ſi Jecur præcalidum, ſanguinem nulla corruptione vitioſum confecerit, minime inter cauſas frequentis fluxionis annumerandum, ſed ad aliquod capitis vitium potius referendum, ſine quo nullæ magni momenti fluxiones, de quibus loquimur. Si autem cauſis prædictis fluxionum, adjungatur hepatis caliditas, fluxiones calidiores, & acriores erunt, ideo magis dolorificæ; quod ſolum hepati præcalido tribuendum, cum de fluxionibus agitur: Parum enim eſt quod ab ipſo, & venis exhalat ad caput, ut fluxionis quæ ſæpius repetit, cauſa eſſe poſſit: Parum quoque eſt, & pro nihilo habenda, calida illa intemperies cerebri attrahens putata, licet omnes inter cauſas fluxionum hanc recenſeant; niſi accedat ejus imbecillitas, aut ipſa refrigeratio, quæ ſæpius repetita, intemperiem ſuæ naturæ invehit, fluxionis cauſam; quæ in corporibus calidis, aut aromatibus nimium utentibus, ſæpe caloris ſenſum infert, qui in parte videtur intemperies calida, cum ſit ardor potius in humore, materia fluxionum, quæ magnæ non ſunt, in iis qui ſenſum caloris in capite percipiunt, niſi ſæpius occurrente cauſa frigida, invehatur frigoris ſenſus; quæ quidem cauſa per ſe ſola, nondum accedente imbecillitate, fluxiones excitat, vixque ex ſexcentis quoſdam invenias, quibus adſit ſemper caloris ſenſus, ex quo non

Caput non Attrahit vapores.

Jecur calidum non numerandum inter cauſas fluxionum.

non cauſæ efficientis qualitas, ſed potius cauſæ materialis, humoris ſcilicet, excrementitii, temperamentum totius, aut victus rationem redolentis; cauſam autem præcipuam, frigidam fere ſemper invenies, licet ſol principium dederit fluxioni: Cum enim quis immoratur ſub ſole, caput calefit, meatus cutis aperiuntur, humores rarefiunt, & funduntur; cum autem ſol ab ipſo, aut ipſe à ſole receſſerit, aëre frigidiore ambiente, meatuum fit conſtrictio, partiumque compreſſione rarefacti humores, & fuſi, in unum paſſim coëunt, & effluxioni impelluntur, aëre frigido ad interiora, propter meatuum rarefactionem ab inſolatu, magis ſubeunte; quare tunc magis nocet aëris frigidioris occurſus, qui fit à vento frigido, vel mora ſub dio, vel alio in loco frigido. Sed aliæ ſunt cauſæ perículoſiores in capite refrigerando, ejus ſcilicet madefactio, hyeme præcipue, ab imbribus, aut caſu in aquam. Proxima huic, mora in locis frigidis nudo capite, propter æſtum, præſertim autem ſi ſudore diffluat ſintque loca zephyris pervia. Quæ ſi bis, aut ter, non videantur in principio nocere; imo gratum ſit perflari zephyris, dum ſe calor frangat: Tamen gutta cavat lapidem, ut vulgo dici ſolet, & temporis progreſſu caput refrigeratur, imbecillum redditur, omneſque caloris poſtea, & frigoris ſentit appulſus. Quod ſi tunc temporis caput ab ortu, vel ab ictu, vel à morbis, vel alia de cauſa ſit, aut evaſerit imbecillum, fit imbecillius, faciliuſque prædictæ cauſæ agunt in partem debilem, & abyſſus abyſſum invocat. His ita ſe habentibus, frequentes fiunt fluxiones; aliis in articulos, aliis in pectus, aliis aliò; pro natura ægrotantis, & partium ſuſcipientium affectione. Quæ quidem fluxiones leviſſimis de cauſis augentur; ita ut quiſque miretur, quomodo talis evaſerit, cum antea bene haberet, & firma uteretur valetudine. Sed à privatione ad habitum, non datur regreſſus; periit enim bene utenti facultatibus natutalibus, illa capitis conſtitutio, quæ cum ſenſim, & frequenti refrigeratione, ſpatio multorum annorum, & quandoque ſubitò à cauſa potenti, talis evaſerit, multumque à juſtitiæ temperamento receſſerit; nullis auxiliis ad priſtinum ſtatum poſtea reducitur: Satis eſt ſi parum corrigatur, aut in illo ſtatu contineri, poſſit, ne in pejus ruat, ut fere fit; quod ſeptem

Cauſa fluxionum ut plurimum frigida.

Cauſæ caput refrigerantes.

Intemperies frigida capitis ſeptem modis corrigitur.

ſeptem modis acquiritur quidquid ad curationem ſpectat complectentibus. *Primus* ſtatuitur in vitæ regimine, circa res quas nonnaturales vocant; vitando quæ caput non ſolum refrigerant, & debilitant, de quibus ſupra, ſed etiam partes coctioni dicatas; ex probe enim confecto alimento, minorem caput, licet imbecillum, cumulabit excrementum. Fugienda quæ caput replent vaporibus, & fluxiones acres efficiunt, ut vini meracioris potus, allia, piper, ſinapi, omnia ſalſa, & quæcunque linguam urunt, aut mordent, ex quibus corpus non nutritur; attrahunt enim partes benigniorem ſuccum, reliquum per ſeceſſum, urinas, aut ſudores excernitur; quod ſi remaneat, cum humoribus excrementitiis diſſolutum, naturæ ſuæ ſimiles reddit fluxiones, acres ſcilicet, & calidiores, pro natura ſalium eorum quæ ingeruntur, & temperamento ægrotantis. Sed de acidis non eſt hoc ſtatuendum, temperant enim ſalſa, & calida; acetum enim ipſum, ex doctrina Hippocratis, convertit bilem in pituitam, quamvis melancholiam fermentet. Vitandus eſt quoque nimius potus; etiam ex vino dilutiſſimo; quo enim parcior, eo melior, qualiſcunque generis fuerit; ad hoc autem maxime conducet, quæ ſitim accendunt non adhibere in cibis, ſaltem tertia pars potus interdicenda, ſicut & ſatietas, præcipue ex humidis, maxime autem in cœna. In ſomno ſervanda mediocritas. Ante cibum exercitationes utiliſſimæ, ſed cavendum à ſudoribus refrigeratis. Venter ſit fluidus, ut conſecutione materiæ, vicinarum partium humiditates ad ipſum confluant. Inter animi pathemata, iram fugiant, & triſtitiam: Illa humores commovet, qui quidem agitati irruunt poſtea in inferiores partes; Hæc functiones impedit, & pedetentim, ſi longa fuerit, temperamentum evertit, etiam validiſſimum. *Secundus* modus quo fluxiones avertimus, in venæ ſectione poſitus eſt; quæ vel præſente fit fluxione, vel ad futuram præcavendam adminiſtratur. Ad prophylaxim, ſi ſanguis non peccat, neque quantitate, neque qualitate, fruſtra tentatur: ſolius enim capitis affectus eſt, qui purgatione, & aliis auxiliis melius curabitur: ſi quis tamen ratione derivationis, aut revulſionis, & ut ſanguinis qualitas illi innoteſcat, velit adminiſtrare, concedenda. Si adſit plenitudo, aut cacochymia venarum,

Primus. Modus.

Lib. de ratio. vict. in morb. acu.

Ira & triſtitia vitanda.

Secundus. Modus.

bis

bis in anno, vere ſcilicet, & autumno, pro ratione plenitudinis primum, deinde cacochymiæ minuendæ; parciori ſemper manu, ſi ſolius cacochymiæ habetur ratio, venæ ſectio adminiſtranda. At præſente fluxione nullum præſentius remedium ſanguinis detractione, quolibet anni tempore, die, & hora, ſemel, & iterum, præcipue ſi adſit aliqua febris, prius, vel poſt injectum enema, prout urget fluxio; quo autem citius fiet venæ ſectio, eo melius: Humor enim, cum jam locum in quem fluit occupaverit non ita facile divellitur; qui locus, ſi ſit media corporis regio, aut utraque infeſtetur, primo è brachio dextro, deinde è ſiniſtro, ſanguis hauriendus: Si verò altera magis, aut una ſola infeſtetur, dummodo articulationem brachii non occupaverit fluxio, aut ejus aliquam partem; ex eodem latere venam eſſe ſecandam nunc extra controverſiam eſt, duabus ſaltem primis venæ ſectionibus, ut dicetur cap. de pleuritide. Quod ſi per venæ ſectionem, & purgationem factis vacuationibus, circa renes humor, aut os ſacrum oberret, vel coxendicis ſpeciem referat; ex vena malleoli lateris dolentis, fieri poteſt derivatio, dummodo conſtet, humorem in has partes non amplius defluere, quod cognoſcitur ex paroxyſmorum ceſſatione, & dolore in eodem ſtatu permanente. Poſſunt etiam hoc animo, ſanguiſugæ ano admoveri, quæ à partibus inferioribus revellent, & à ſuperioribus, viciniſque fiet derivatio; excitat enim quandoque hæmorrhoïdes, fluxio à capite per dorſum ad illas uſque fluens. *Tertius* modus fluxionis impediendæ, in purgatione verſatur, quæ duplici de cauſa præſcribitur, ut de venæ ſectione dictum eſt, ad præſentem ſcilicet fluxionem avertendam, aut ad futuram præcavendam. In principiis fluxionum, raro purgantibus medicamentis utimur, habita ratione ſolius fluxionis: tunc enim longe præſtat venæ ſectio, præcipue ſi ex fluxione febris accendatur, aut in partes ſpiritales humor præceps eat, qui ut è longinquo educatur, validum requirit medicamentum, quo febris exaſperatur, corpus ex humorum agitatione perturbatur, vires detrimentum patiuntur, & fluxio ſæpe augetur, quæ cum tota averti non poſſit, viam primæ inſequens, pectus magis replet, aut in alias partes gravior fit, capite, & venis, ſi ſanguis peccaverit, no-

In ipſa fluxione præſentaneum remedium venæ ſectio.

Tertius Modus.

In principiis fluxionum raro utendum purgantibus.

Debile medicamentum humores tantum commovet, non educit.

vam materiam ſuppeditantibus. Si autem debile fuerit medicamentum, humores non valet attrahere, niſi pluribus diebus propinetur; quos ſi commoverit, in partem languidam, ut plurimum, decumbunt, multò magis quam ſi validum fuerit medicamentum: Quare ſatius eſt à principio purgantibus abſtinere. Sed quemadmodum in principio fluxionum, venæ ſectionem purgatione diximus longe præſtare, ſic purgationem venæ ſectione procedente morbo, & futuræ fluxioni avertendæ. Cum enim fluxio frequenter repetens ſit à capite, ut ſupra diximus, & magis cap. de arthritide demonſtrabitur; poſtquam è venis ad ipſum pertinentibus excidit humor, præ imbecillitate variis in locis cumulatur, quouſque qualitate, aut quantitate, naturæ gravis, contineri nequeat; unde neceſſe eſt ut in aliam ſedem influat, è qua non facile intra venas revocatur, nec revocandus, ſed per loca magis conferentia vacuandus, præmiſſis ſemper purgationibus neceſſariis, quæ humorum fluentium tollunt abundantiam, & ne cumulentur, quouſque ſint naturæ graves, impediunt, niſi præcox accedat cauſæ alterius occurſus, ut eſt ſubita capitis refrigeratio, aut alia humores exagitans, ut violenti corporis, & animi motus. Quicumque igitur frequentibus fluxionibus ſunt obnoxii; ſemel in menſe, & bis, vel alternis menſibus, præter æſtivos, medicamento purgante utantur, prout fluxio urgebit, & hoc valido; ita ut venter ſepties, ad minimum, abunde dejecerit; alioquin ſi alvus parum ſolvatur, tota vis medicamenti, vacuandis inteſtinis eluditur, parum; aut nihil levato capite, mali fonte: Quo autem minus videbitur purgatio neceſſaria; eo magis prodeſſe experiemur, ex minore à catharticis perturbatione; fluxionis in longum tempus averſione; & cum redierit, ejus inſigni imminutione: Quod non accidet, jam fluentibus humoribus, propter ea quæ ſupra diximus; multoque magis, propter cauſarum fluxiones efficientium concurſum, corpus noſtrum tunc temporis perturbantium. *Quartus* modus intercipiendæ fluxionis, perficitur cucurbitulis, cum ſcarificatione ſcapulis admotis, aut qua humor deorſum tendit: Tanti facio hoc auxilii genus, ut in omnibus fluxionibus quæ à capite ducuntur, tertiam venæ ſectionem illi poſtponam, majuſque emolumentum ab eo perci-

Purgatione tollenda eſt humorrum fluentium abundantia.

Purgationis Ratio.

Quartus modus. Cucurbitulæ cum ſcarificatione intercipiunt fluxionem.

ci-

cipitur; intercipit enim humores in via fluentes, & paratos in pectus, aut alio decumbere, evacuat, liberatque omnino, ſi cauſa non multam, aut novam non ſuppeditet materiam, tunc enim. *Quintus* modus venit in ſubſidium, qui fonticulis, ſive cauteriis perficitur, collo, inter ſcapulas, aut brachio inuſtis, & diu geſtatis: Sed ſi fluxio abundaverit, eluditur hoc genus auxilii, nec valet humor totus, per parvum foramen effluere: Qua propter urgente abundantia, ſetone, aut veſicatoriis utimur, quæ vim fonticulis habent multò majorem, ad fluxionem citò avertendam: Multi tamen hoc auxilii genus deprecantur, propter moleſtiam quam affert; Sane quidem, oportet remedia nos clementiùs habere, quam morbos, cum vacant periculo. Hæc duo, quemadmodum cucurbitulæ, non niſi præſente fluxione imperantur; fonticuli, futuræ præſertim avertendæ, in his qui ſemper aut frequenter fluxionibus tentantur: veſicatorium quod perpetuum vocatur, hujus eſt naturæ, longe tamen fonticulo potentioris virtutis: multum enim humiditatis quotidie vacuat, nec multi eſt tædii, quando inſigni non eſt magnitudine; ſufficit enim ut quadrata figura, duos pollices æquet: Nulla eſt fluxio quam non avertat hoc præſidium, aut valde imminuat. Inter ſcapulas geſtatur, paulo infra ſeptimam colli vertebram; ut autem ſemper apertum ſervari poſſit, emplaſtrum veſicatorium cum diapalmate temperatum, pro natura carnis ægrotantium, manet perpetuò deſuper: Aliquando licet dimittere exſiccandum, per aliquot dies, cum nimiam affert moleſtiam, iterumque poſtea admovendum, præſertim ſi fluxio redire ſoleat. *Sextus* modus abſumendæ fluxionis, & omnium validiſſimus, in diæta ſudorifica verſatur; cum enim ſupradictis nihil proficimus, ad hanc confugimus, tanquam ad ſummum præſidium, quod fallit rariſſime: Ideo cum pertinaces ſunt fluxiones, nec aliis rite obſervatis cedunt auxilis, diætam ſudorificam, tanquam ultimum remedium, & vi maxima in abſumendis fluxionibus præditum imperamus, quindecim, viginti, aut quadraginta dierum ſpatio, prout invaluere fluxiones; vivendo toto hoc tempore pane bis cocto, amygdalis torrefactis, & carnibus aſſis, cum decocto, gayaci in frigidis, & pituitoſis, ruſticeque viventibus; aut ſalſæparillæ, vel chinæ,

Quintus modus. Veſicatoria plus agunt quam cauterium aut fonticuli.

Veſicatorium perpetuum.

Sextus modus.

Aliis mediis nihil proficientibus ad ſudoritfera confugiendum,

Et quidem ex Guajaco aut ſalſa pu-rilla.

in mollioribus, & bilioſis, deliciarumque amatoribus. Poſſunt hæc non ſolum ſeorſim adminiſtrari, ſed etiam ſimul miſceri, pro varietate temperamenti: Aliquibus enim ſola radix chinæ præſcribitur, quæ, ut inquiebat Doctor quidam ex noſtris, non tam caliditate, quam tenuitate partium eſt expetenda; ideo pro faſtidioſis, & mollibus ſumenda. Aliquando miſcetur cum ſalſaparilla æquis ponderibus aut hujus duplo; interdum parum gayaci admiſcetur, ligni, aut corticis ſi ſit animus magis exſiccandi, nec eorum caliditas timeatur: gayacum enim his multò calidius, & vi exſiccandi potentius, præcipue cortice; ideo abſente febre, pauperibus, & agreſtibus præſcribitur quibus ſumptui parcendum. Horum omnium communis methodus decoctionis conficiendæ talis eſt.

Decoctum Guajaci.

℞. Limat. gaya ℔ß. infunde per 14. horas ſupra cineres calidos in aquæ ℔xij. deinde fiat decoctio lento igne, ad conſumptionem tertiæ partis, colatura ſervetur pro potu ordinario, ſaccharo, aut melle dulcorato, & cinam. aromat. ſi ægrotus velit.

Diebus autem in quibus ſudor movetur, decoctum fortius deſideratur; ita ut ſint gayaci ℥iiij. & aquæ ℔viij. infuſæ & decoctæ, ut dictum eſt, ad mediæ partis conſumptionem, de qua ante ſudoris provocationem calide ℥vj. hauriuntur, quibus addi poteſt parum aquæ cinamomi.

Decoctum Guajaci ſecundarium.

Quod ſi oporteat decoctum eſſe dilutius, propter gayaci amaritudinem minuatur doſis gayaci, vel augeatur, ſi fortius deſideras; aſſuetis enim amaritudo parum diſplicet: vel bibat de ſecundario decocto, quod gayacum ferre poteſt; habet enim virtutem in profundo, & ſubſtantiæ ejus ſolidæ fortiter hærentem; propterea ex eo fieri poteſt decoctum ſecundarium, ex magmate prioris decocti, in eadem aquæ quantitate factum, & ad mediæ partis conſumptum; bonum tamen eſt recentis gayaci aliquid addere, quartam ſcilicet, aut tertiam partem; & illud dulcorare, & aromatiſare ut ſupra: Quod ſi in prædictis decoctis, ratione majoris exſiccationis, corticem gayaci addideris; ad ℥iiij. ſcobis ligni, ℥j. aut ℥jß. corticis, ſatis erunt. Radix chinæ, & ſalſæparillæ, non ferunt ſecundarium decoctum; quid quid enim habent virium, in prima decoctione de-

po-

ponunt, propter ſubſtantiæ raritatem quæ major eſt in ſalſaparilla; de qua re fuſe diſſeruimus in Pharmacia Theorica. Qualiſcumque autem fuerit decoctio, bonum eſt ut ægrotus, utatur ea per triduum antequam ſudores moveantur, ut humores ad exitum prius diſponantur, quibus exactis, movebuntur ſudores quotidie mane, aut alternis diebus, ſi ægrotus non ferat, ſumendo in ingreſſu laconici ℥vj. decocti gayaci calidi, aut chinæ, aut ſalſæparillæ duplicatu: Radix tamen chinæ, multoque minus ſalſaparilla tanta infuſione, nec tam longa decoctione indigent ut gayacum, nec tanta aquæ quantitate, quia citius cedunt coctioni; ita ut in ℥jß. rad. chinæ. v. g. ℔ij. aquæ ſufficiant ad tertiæ partis conſumptionem, ſicut & in decocto ſalſæparillæ, quod non ita craſſum evadit; ideo bonum eſt ea ſimul miſcere, ut ſint chinæ ℥ij. & ſalſæparillæ ℥j. infuſæ in aquæ ℔viij. & decoctæ ad conſumptionem tertiæ partis; & ad medias, ſi ad ſudorem provocandum, in minori tamen quantitate, paretur. Sunt qui ad ſudorem eliciendum, infundunt in vino albo per noctem, ʒij. pulveris confecti ex gayaco, china, & ſalſaparilla, propinantque mane ſine colatura, cooperto ægrotante, quos probe ſudare vidimus; hoc autem, cum non adeſt febris. Sunt etiam qui ſibi tantum conſulentes, bis in die ægrotantibus ſudores movent, mane ſcilicet, & ſex horis à prandio; ſed hoc nonniſi robuſtiſſimis, & ruſticis hominibus, qui hac methodo citò, tutò, & jucundè ſanari poſſunt; quamvis plurimi, conſtituto pretio operi, curam præcipitant, ægrotantis damno, nulla habita ratione ætatis, temperamenti, & virium, quæ in ſudoribus provocandis, maxime ſunt ſpectanda, ſicut & in aliis vacuationibus; quod fere fit ab Empiricis. Qui igitur placide voluerit, & ſine noxa ſudorem elicere; etiam corpore bilioſo, ſudet in laconico, quod nobis in lecto nudis jacentibus, capite extra prominente, incumbit, igne in quodam ſpatio, pedibus admoto, mutatis ſubinde ignitabulis, quouſque totum corpus ſudore diffluat: *Archet*, Galli vocant. Hæc ſudandi methodus ſatis nota, omnibus præſtat: Cum enim movetur ſudor lateribus ad ignem calefactis, panniſque involutis, & pluribus corporis partibus admotis, ut vulgi mos eſt; corpus impenſe calefit, non multum ſudat, ut ego ipſe exper-

Decocto per triduum utendum antequam æger ſudat.

Maxime in ſudoribus provocandis, ætatis virium, & temperamenti eſt habenda ratio.

Sudoris provocatio in dolio difficilis.

tus ſum in me, & pondere ſtragulorum opprimitur. In dolio ignis ſtatim totus occurrit corpori; ingreſſus, & egreſſus difficilior, præcipue cum membra aliquo dolore afficiuntur; & multò magis ſi aliqua accideret lipothymia. At in cavea lecto jacemus voluptuoſe; ſudores, ipſi, nullo negotio detergere poſſimus, nulla ſtragulorum moleſtia affecti, illa enim ſuſtinet cavea; ignis pedetentim meatus aperit; membris captus etiam in ea ſudare poteſt; nulla eſt in ingreſſu, & egreſſu moleſtia, ſed ſuo tempore commotis ad votum ſudoribus, educitur cavea è regione pedum, cadentibus ſupra corpus calide ſtragulis; Ideoque in morbis qui idonea provocandis ſudoribus remedia poſtulant, hac methodo audacter utendum: Nec audiendi, qui tantopere jecoris calefactionem pertimeſcunt; errant enim præcipuam in jecore præcalido, ſtatuentes fluxionum cauſam, ut antea demonſtravimus. Ejus quidem fateor habendam eſſe rationem, ſi intemperie calida laboret; non tamen ut urgente neceſſitate, à recta curandi ratione Medicus deterreatur. Quapropter ubi timor eſt calefactionis jecoris, decoctum chinæ ſolum præſcribitur, aut ſalſæparillæ, ſi ſumptui parcendum; modus in ſudoribus eliciendis ſervatur, non multum ignem urgendo, præſertim in principio; Deterſis ſudoribus, ſumi poteſt juſculum ex herbis refrigerantibus; & ſi quis velit, inungat regionem hepatis unguento ſantalino, ante, & poſt ſudoris provocationem. Ego quidem pro certo affirmare poſſum, me ex equitatione trium horarum, ardente ſole, plus moleſtiæ, & caloris percipere, quam ex bis, aut ter, hoc modo, ſudoribus commotis. Quid etiam, ſi fide mea hoc eſſe jubeo, alicui, dum hæc ſcribo, variis artuum doloribus laboranti cum febre continua, me hanc curandi methodum adhibuiſſe, multis refragantibus, quem febris ſudantem dimiſit, & bene ſe habuit, ut fuſe dicetur in Enarrationibus. Melius tamen eſſet, uti hydrotico probatæ virtutis, ſi haberi poſſet, quod ſicut purgantia ventrem ſubducunt, & diuretica urinas movent; ita illud ſua etiam virtute ſpecifica, & nullo caloris externi adminiculo, neque proprio, ſudores eliceret. Quod maximum in Medicina arcanum, auro probatiſſimo emendum: Nullus eſſet morbus à fluxione, febre etiam acuta comitante, qui non cede-

Si hepar ſit calidum, deterſis ſudoribus, unguento ſantalino eſt inunguendum.

Optimum tamen eſt medicamentum diaphoreticum, ſi haberi poteſt ſpeſificum.

deret, & alii multi, qui indigent ſudoribus. Multa in hanc rem à Chymicis præcipue deſcribuntur, quæ opinione, potius quam re ipſa prædicantur. Sed de ſudorificis cap. de arthritide, & ſequentibus. Ego quidem cum non haberem, multoties tamen deſideratum, talem ſudorificum, quo placide, & ſine moleſtia, & ad libitum ſudores moveri poſſent; Quibus poſt adhibita quædam remedia, brevi redibant dolores; conſului ſudores ciendos in cavea, ſemel, aut bis, ſine victu exſiccante & ſine ulla alia præparatione, quod in regionibus in quibus ſunt publica laconica, commode fieri poteſt. Nunc ſudandi quidam modus cum ſpiritu vini invectus eſt ex Italia, quem valde probandum cenſeo, in doloribus à cauſa frigida; cujus talis eſt proceſſus.

Modus eliciendi ſidores per ſpir. vini ardectem.

Continue aptantur quatuor circuli æqualiter diſtantes, operculis paſſim diſpoſitis clavis affixis, ut fiat cavea, altitudine, & latitudine, ut in ea commode quis ſedere poſſit: Parte ſuperiori, ſunt duo aſſerculi in modum crucis, in quorum medio extat annulus, ut fune alligata cavea, juxta cubile ſuſpendatur tabulato, cui trochlea affixa eſt, ad demittendam caveam ſupra ſedentem, tempore ſudandi, ad cujus latera ſunt duo vaſcula ſpiritu vini plena, unum à dextris, alterum à ſiniſtris. Tota cavea, à lateribus, & ſupra, papyro glutine obducta clauditur; infra aperta manet, ut à ſedente excipiatur, qui cerea candela, accendit utriuſque ſpiritum vini, cujus calore ſudor movetur: Quod ſi corpus nimium incaleſcat, cooperculo vaſi impoſito, ſpiritus vini lateris unius extinguitur, tantumque ſudoris effluere ſinitur quantum morbus, & vires poſtulant: *Septimus & ultimus modus* fluxionis impediendæ, partis eſt generantis; & mittentis, deinde recipientis corroboratio, ſed præcipue generantis, in primis capitis, ut rite alimentum attractum conſequatur, ex eoque nihil, aut parum excrementi gignat, cauſiſque præter naturam occurrentibus reſiſtat: ut autem coctio in capite recte fiat, partibus etiam coctioni inſervientibus providendum, ut ſtomacho, & Jecori, de quibus multa capite de arthritide. Quod autem roborantia caput, etiam exterius adhibita maxime proſint, confirmatur præcipue ex lib. 2. hiſtor. Zacuti, cap. 5. obſervat. 1. de quodam Juvene, qui deſtillatione in fauces à multis annis labo-

Septimus modus.

Caput corroborandum & ceteræ partes, unde fluxio oritur.

borans, incidit in aphoniam, ex qua multis adhibitis fruſtra remediis, intus, & extra; tandem pileo ex ſerico duplicato, & interpuncto cum pulvere roborante cephalico, toti capiti raſo impoſito ſanatus eſt. Ejus deſcriptio valdè longa eſt, & pro divitibus, poſſet tamen ex ſelectioribus pro aliis componi in hunc modum.

Pulvis roborans Cephalicus.

℞. Rad. acori, pyreth. ana ℥ß. agallochi ſcrup. ij. ſant. rub. ℨj. folior. roriſm. ſalu. beton. major. orig. ſerpil. calamin. puleg. ſiccorum ana ℨß. flor. roſ. rub. ſtæc. roriſm. ſalu. camom. ſpic. nar. ana ſcrup. j. bacc. myrt. laur. ana ℨß. ſem. ani. fœni. pœon. mar. cinamo. caryophyl. nucis moſ. macis caſto. piper. long. ana ſcrup. j. Thuris, verni. maſt. ſtyr. calam. ana ſcrup. ij. fiat pulvis inter tenuem & craſſum pro pileo ſupradicto.

Alia roborantia vide cap. de Epilepſia, & de arthritide. Quod ſi à fluxione aliquid remaneat in membro motum impediens, particularis ſudoris provocatio in illo membro, aut thermæ diſcutient. De fluxione, ſeu catarrho proprie ſumpto, vide cap. de phthyſi.

PROGNOSTICA.

Raucedines, & gravedines, in valde ſenibus coctionem non admittunt. Hipp. apho. 40. ſect. 2.

Deſtillationes in ventrem ſuperiorem, ad ſuppurationem perveniunt intra viginti dies. Hippo. aphor. 38. ſect. 7.

Catarrhi frigidi diuturni.

Deſtillatio ſi in nares fiat leve eſt; pejus ſi in fauces, peſſimum ſi in pulmones, ubi periculum eſt ab exulceratione. Celſus.

Caphalæa, & hemicrania, convertuntur ſæpiſſime in fluxiones, humore in capite non amplius reſtitante.

Catarrhus cum dolore capitis, difficulter ſanatur; materiam enim fluxioni paratam ſignificat; quia dolor eſt occaſio attractionis, qua fluxio augetur.

Qui fluxione à capite laborant; iis lien minus tumet: De coriza intelligendum ex Hipp. 6. Epid. commen. 2. in fine.

Quibus nares humidiores natura, minus ſalubriter degunt: ex Hippo. Aph. 2. ſect. 6.

Qui-

Qui calida, & acri fluxione laborant, magis à ſolis ardore læduntur, quam frigore nocturno; & è contra. Autumnus fluxionibus opportunus.

Leves fluxiones neglectæ, graviores, & longiores evadunt. Celſus.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

Observatio Prima.

Religioſus quidam Ordinis S. Benedicti hujus urbis, per multos annos lumborum dolore male habens; quandoque tolerabili, quandoque corporis motum impediente, quem ipſe nephriticum pertinaciter affirmabat; ab omnibus quippe Medicis Cœnobiorum, in quibus degerat, in hanc opinionem adductus, quam Medicus hujus urbis Cœnobii ordinarius ſequens, multa ei in hunc finem remedia præſcripſerat; Cum autem dolor non abſcederet, me nondum Cœnobii Medicum voluit in conſilium adhibere. Accerſitus, ſtatim ab ipſo certior factus de iis quæ acta erant, inquiſivi num lapillos quondam ejeciſſet; Reſpondit arenulas multoties, lapillos nunquam: Sciſcitatus præterea, an cum incurvatus, & pronus in terram aliquid ageret, maxima cum difficultate corpus erigeret, ita ut per medium ſcindi videretur; quod ita eſſe confeſſo, affirmavi dolorem lumborum nullo modo eſſe nephriticum, ſed ab humore per dorſum in muſculos lumborum delabente. Aliorum autem opinione imbutus, & doloris pertinacia dubius, cum dolor urgeret, ad nephritica redibat, alterius Medici conſilio: Ego verò phlebotomiam, purgationem, ſudorifica, & thermas, conſulebam, omnia ejus arbitrio committens, ut expertis ſine fructu nephriticis, meam cogeretur fateri ſententiam. Tandem humor, qui in lumborum muſculos influebat viam mutans, in brachium dextrum delapſus eſt cum dolore, præcipue ſi eum movere cogeretur, cujus doloris novitate attonitus, iterum me conſuluit: Quærens autem ab ipſo, utrum dorſi dolore laboraret, ut antea; negavit. Diſce nunc, inquio, dolorem quem tot annis ſuſtinuiſti, non fuiſſe nephriticum, ſed à capitis fluxione, quæ nunc viam mutans, decidit in brachium.

Dolor lumborum, a fluxione pro nephritico male judicatus.

Judicatu non erat difficile, hunc Religioſum à renibus non laborare; nunquam enim urgente dolore, vomitus, nephritici comes fere perpetuus, adfuerat; adde quod ſex annorum ſpacio, & amplius, aliquis lapillus ejectus eſſet, aut retentus, mole increſcens, renum dilaceratione, ſui notitiam præbuiſſet: Quamvis autem ſe arenulas meiere affirmaret ægrotus; ego quidem vidi, nec facile laborantis relationi credidi, experientia edoctus in aliis, qui ſe falsò arenulas meiere exiſtimabant: neque ſi minxiſſet, ex his concludendum erat, dolorem eſſe nephriticum, niſi adfuiſſent alia ſigna; multi enim per longa annorum intervalla arenulas mingunt ſine dolore, præcipue tenuiores, quibus nunquam lapilli concreſcunt. Demus autem ægrotum lapillos aliquando ejeciſſe; nunquid utroque affectu, ſuo quoque tempore, quis laborare poteſt? Nam.

Observatio II.

Dolor lumborum a lapillis & fluxione.

VIr quidam nobilis 50. annorum, cui alias poſt nephriticum dolorem lapilli è renibus deſcenderant, laborabat ſæpiſſime lumborum dolore, quem nephriticum ſuſpicabatur, eo quod alias hoc affectu laboraſſet lapidibus ejectis: Sed cum vera nephriticæ paſſionis ſigna non adeſſent, quæſivi ab illo, num ante lumborum dolorem, pars aliqua ſuperior doluiſſet? Juxta ſcapulas, inquit. Ex hac relatione; etiamſi quondam vero dolore nephritico laboraſſet, hunc tamen eſſe à capitis fluxione affirmavi, quod experientia compertum eſt; nam fluxionis propagatione, variis artuum doloribus, & dorſi, & coſtarum affectus eſt, ita ut poſt alia remedia, thermas adire coactus fuerit.

Observatio III.

Prior Cœnobii a fluxione Catharctico & venæ ſectione curatus.

PRiorem quemdam Cœnobii S. Benedicti hujus urbis, cum toto Adventus tempore, & diebus feſtis Nativitatis Chriſti concionatus eſſet, dolor pedis in prima articulatione magni digiti corripuit, cum tumore, & rubore quodam, ita ut ſe lecto continere cogeretur. Curatio ſtatim ab enemate, & venæ ſectionibus incepta eſt, quibus maxima ſanguinis putredo innotuit; non valuere tamen fluxionem avertere. Anodynis adhibitis, præcipue ex pane Alutarii, de quo cap. de arthritide, do-

dolor valde demulcebatur; hæc autem non ſine febre continua, exacerbationem circa veſperam habente. Poſt aliquot dies, alterum pedem dolor cum tumore aggreſſus eſt: Sanguine ex brachio ejuſdem lateris extracto, ſemel, & iterum, de purgatione propinanda decrevimus, ex pulvere cornachino, ea doſi ut venter ſepties ad minimum dejiceret, quod ad votum ceſſit, dieque poſtera melius habuit; novus enim dolor imminutus eſt, materiæ fluentis ſubtractione: Sequenti die, tertio à purgatione, febris valida corripuit cum dolore capitis, à qua novam expectabam fluxionem, in partes jam affectas; ſed in ventrem divertit humor, eorum qui à medicamento purgante educti fuerant, viam inſequens, cum tanto dejectionum fœtore, ut vix introeuntibus eſſet tolerabilis. Neſcio ubi lateret tantæ putredinis ſoboles, poſt exhibitum medicamentum, tam egregie ventrem ſubducens: Gaudebam equidem illuc divertiſſe materiam, potius quam ad partes jam affectas, quarum omnis rubor evanuit; febriſque quieſcente alvo, ad priſtinum ſtatum rediit: Nihilominus dolore genu tentabatur; ſeque arthritidi obnoxium fore timebat, parentibus natum arthriticis; Nunquam tamen hujuſmodi doloribus aggreſſus; rheumatiſmus potius quam arthritis, à me vocabatur affectus, cui venæ ſectionibus & purgatione ſubtracta materia, dolores mitiores facti ſunt, & baculo innixus ægrotans, per cubiculum deambulare cepit: Cum tamen dolor omnino non abſcederet; ſed modo uno, modo altero pede magis doleret, deſperabat à me, ſe tempore Quadrageſimæ imminentis, concionaturum; Ego verò hoc cupienti, aſſerui diæta ſudorifica, ſaltem per octo dies, propter temporis anguſtias, utendum eſſe, qua ſola humores defluentes abſumptum iri ſperabam; nec febrim obſtare, qua adhuc laborabat. Ille deſiderio flagrans obeundi muneris ſuſcepti, facile conſenſit propoſito auxilio, præſcriptique regiminis octo dierum tempore exacto, in quo quinquies mane ſudor prolectus eſt, febris dimiſit, dolores ſedati ſunt, cepitque ſanus incipiente Quadrageſima concionatoris munia obire.

OBSERVATIO IV.

Præfectus Cohortis militum variis, in collo, cubito, & aliis corporis partibus tumoribus a fluxione vexatus, & Laconico curatus.

PRæfectus quidam cohortis militum, cum diu ſtipendia meruiſſet, pluribus acceptis vulneribus, multaque perpeſſus, cepit per intervalla, membris antea vulneratis dolere. Cauſam omnes ad partis debilitatem referebant, cujus roborandæ gratia, thermæ preſcribebantur, quas ipſe ſemel, & iterum adiit. Cum autem militandi artem ſemper coleret, affectus quolibet anno augebatur, quod non tantum membris debilitatis tribuendum putavi, ſed & fluxioni à capite in partes languidas defluenti; pluribus à veritate alienum, venis potius, & jecori cauſam referentibus. Sed anno ſequente, ſtipendia emeritus, rediit ægre obambulans, modo crure, modo pede dolens, cum tumore in collo non mediocri, & febre continua ſatis valida, qua tamen lecto non detinebatur. Vocatis Medicis in conſilium, ſtatim univerſalia præſcripta ſunt, à quibus meliuſcule habens, cætera neglexit; Sed ſibi non providens, graviora cum redirent ſymptomata, ad eadem redibat præſidia; in pejus tamen ruebat, quo magis autumnus præcipitaret, tumore colli fortaſſe ad ſuppurationem tendente, ad quam vi potius naturæ, quam medicamentis perductus eſt, tribus menſibus exactis, diuque manſit apertus: Nihilominus, cauſæ propagatione, multæ glandulæ in alio colli latere enatæ ſunt, humoris à capite deſcendentis indices, qui per humerum excurrens, toto cubito genuit tumorem magnum, & valde dolentem, qui paucis poſt diebus, abſceſſum ad maturationem perductum repræſentabat, erat enim ubique valde mollis; quidpiam tamen flatulentum ineſſe, experientia cognovimus: Nam admoto pyrotico parte molliori, & inferiori, nihil materiæ fluidæ inventum eſt, nec aperta, tumor & dolor abſcedebant, nec ſtetit amplius mollities, duro evadente tumore, quod Speculatione dignum fuit. Morbi diuturnitate pertæſus, ſuadebam ego, ut diæta ſudorifica uteretur, ſine qua, nunquam melius habiturum affirmabam; obſtabat tamen febris notatu digna, & alterius Medici contraria ſententia: Febris tamen, quamvis in pulſu non ſpernenda videretur, in cæteris parvi erat momenti; facies enim ægrotantis ſatis bona; lecto non detinebatur; cibum capiebat; vox ut per ſanitatem: Quæ omnia arguebant partes nobiles non mul-

multum affici, præcipuamque febris cauſam, ſeu occaſionem, eſſe ab humoribus à capite per muſculos, & corporis ſuperficiem defluentibus, unde fervor ſpiritus pugnantis, qui humores accendit, ut quidam volunt, præcipue Campanella, quem alii ſecuti ſunt; quod quidem in pluribus febribus, à veritate non eſt alienum, ut febris vulnerum oſtendit, & hujus ægrotantis, ſuperioriſque Enarratio, quem febris ſudantem dimiſit, vacuato humore, qui ſpiritus ad iram, ut quidam loquuntur, commovebat: Quamvis enim ægrotantis hujus ſanguis maxima ſcateret putredine, illa permanente, non ſtetit febris, ut infra videbitur. Tantus in hoc corpore fiebat quotidie excrementorum proventus, ut major fluxionis ſemper fieret propagatio: Quamvis enim è colli tumore, pus continuò efflueret, dolor tamen acerbus ſupervenit, toto uno lumborum latere, è regione tumoris colli, diffuſus ad ureteris uſque regionem, ita ut dolor nephriticus à multis crederetur; eo etiam adductis, ex urinis cum dolore exeuntibus. Sed cum aliæ partes, & infra, & ſupra, & circum renes ſint poſitæ, ſicut & in regione ureterum; erroris plenum judicium, ex ſolo ſitu innixum, quemadmodum ex ardore urinæ ductum; imo magis, cum varias habeat cauſas. Ego verò alias cauſas perpendens, didici tandem ab ægrotante non ſolum ſe in hoc affectu urinæ difficultate laborare, ſed & diarrhæa quadam cum teneſmo, quæ indicium erant naturæ, per vias expellendis excrementis dicatas, partem materiæ morbificæ excernere conantis: Præterea vomitus non aderat, doloris nephritici comes fere perpetuus. Corporis gravitas, ut lecto videretur affixus; febris non contemnenda, & major quam antea, magis propria erant muſculis dolentibus, quam renibus à lapide: Nephritici enim, ut plurimum non febriunt; deambulant, niſi acerbiſſimo recurrente dolore, nec eo ſæviente motus converſionis impeditur. Quapropter improbans nephritica jam præſcripta, injecto enemate, venam in brachio ejuſdem lateris, tundendam curavi, affirmans omnia eſſe ab humore deffluente à capite, qui paulo antea colli tumorem genuerat, deinde cubiti; & jam à longo tempore crurum, genuum, & pedum inferebat dolores. A venæ ſectione meliuſcule habuit, pulvereque cornachini purgato corpore, & qui-

 buſ-

buſdam fotibus adhibitis omnino dolor abſceſſit, nullis excretis vel minimis arenulis, ne dicam lapillis. Paucis poſt diebus novus humor delabens, ejuſdem lateris humeri dolorem intulit, etiam ſi è colli tumore, & cubiti, pus ſemper efflueret, cujus tumor non recedebat, nec dolor, novo ſcilicet, ut opinor, humoris quotidie affluxu. His ita ſe habentibus, cum ſe undique captum videret ægrotans, omnemque ſpem recuperandæ valetudinis, poſitam eſſe in diæta ſudorifica; nulla habita ratione febris, nec eorum quæ contra ſententiam meam afferebantur, facile in eam conceſſit, cepitque periculum facere, utrum cum febre continua, eſſet ſudoribus ferendis, & aliis quæ in hoc regimine imperantur, ut panis bis coctus, caro aſſa, cum decocto radicis chinæ, & ſalſæ parillæ, pro potu ordinario; ſumendo quolibet mane ℥vj. decocti, in quo gayacum addebatur, quibus ſolis, ſponte prodibant ſudores inter dormiendum. Sed cum ſudor ille non eſſet ſufficiens, membris à dolore levandis, juſſi ut quinta die mane, ſudor in cavea hydrotica proliceretur, qui commode & gratiſſime manans, cepit ægrotantem erigere ad ſpem recuperandæ valetudinis, nec falſus eſt; ſecunda enim vice, maximum levamen accepit à ſudoribus, nec tacere poterat, de tam grata, & facili ſudandi ratione. Ideo noluit alternis diebus, ut inceperat, ſed aliis ſex conſecutis diebus; quolibet mane, ſudavit in laconico, cum magna tolerantia. Febris ante tempus ſudoribus præfinitum, omnino dimiſit, mirantibus multis, & à doloribus liber ſurrexit è lecto, obambulans ſine baculi, ut ſolebat, adminiculo; tumore tamen colli & cubiti permanentibus, quibus emolliendis ad lutum barbotanenſe ſe contulit.

OBSERVATIO V.

Fluxio latus ſiniſtrum infeſtans.

CIvis quidam hujus urbis fluxione in latus ſiniſtrum laborans ſtatim me accerſendum curavit, cui venam cubiti illico tundendam juſſi: Cum autem ſanguis maxime putridus extitiſſet, credidi putredinem fluxioni materiam tribuiſſe; ideo ex altero brachio minuendum: verum extracto ſanguine è dextro latere, & recte exiliente, puriſſimus apparuit, cujus inſpectione attonitus, didici fluxiones venas ſubeuntes ſanguinem corrum-

rumpere, quod non parum mihi luminis attulit in materia fluxionum, contra eos qui omnium morborum cauſas tribuunt ſanguini.

OBSERVATIO VI.

UXor Chirurgi hujus urbis, cujus Medicus eram ordinarius, cum me abſente, febri continua cum dolore lateris punctorio correpta eſſet, alium Medicum adhibuit, qui venæ ſectionibus, purgationibus, & aliis remediis diu conflictatus, ſtetit tamen morbus, licet dolor eodem modo non ſemper urgeret: Reducem me ſtatim accerſendum curavit ægrotans, deſiderio flagrans videndi mei, exiſtimans aliquid novi inventurum profligandæ affectioni, quod ita futurum promiſi, morbique ſignis omnibus perpenſis, & omnibus quæ acta erant, agnovi ex pulſu præcipue, & tuſſis abſentia, pleuritidem nec extitiſſe veram, ſed notham, & catarrhalem, quam venæ ſectione, cucurbitularum ſcarificatione, purgatione, & fotibus ſanavimus. Sed quibuſdam diebus elapſis, rediit febris, & dolor punctorius, quæ eadem auxilia abegerunt: Cum autem hoc tertio factum eſſet, moleſte ferens tot morbi reditus, conſului ut inter ſcapulas, veſicatorium geſtaret perpetuum, ut fluxionem à capite, per brevia intervalla in latus irruentem, averteret; alioquin novo ſemper humoris affluxu, ſymptoma rediturum. Facile conſilium meum ſequuta, brevi veſicatorium ſibi inter ſcapulas applicandum curavit, quo fluente, humor doloris cauſa, & febris, interceptus eſt; nec ab eo tempore, octo annis ſcilicet, hoc affectu ut antea laboravit, geſtatque adhuc veſicatorium, quod aliquando exſiccandum dimittit, ad levamentum moleſtiæ: Quod ſi minima interdum ſentiat, fluentis iterum humoris rudimenta, ſtatim veſicatorium reponendum curat; ejuſque beneficio, licet parum moleſto, à longe moleſtiori tuetur ſe incommodo.

Femina pleuritide Catarrhali & notha laborans.

OBSERVATIO VII.

MUlier quædam hujus urbis non infimæ conditionis, temperamento ſanguineo ad atrabilarium inclinante, cum eſſet trignta annorum, à quibuſdam doloribus circa hypochondrium ſiniſtrum, & ſtomachum cepit moleſte habere, ſequente

Mulier triginta annorum, temperamenti ſanguinei, doloribus circa hypo-

chondrium ſiniſtrum & frequenti vomitu pituitoſo & amaro, vexata.

te frequenter vomitu, tum pituitoſo, tum amaro, tum ſi quid ediſſet, hoc autem præcipue mane; à quo quidem vomitu melius habebat: Cum me pro Medico ordinario elegiſſet, ejus velatione, eorum ſcilicet, qui eam curandam ſuſceperant, opinione imbuta, exiſtimabam viſcus aliquod coctioni dicatum male habere, à quo excrementa per brevia interdum intervalla, in hypochondrium depoſita, deinde in ſtomachum protruſa, vomitu ejiciebantur; hæc quidem aliquando ſine febre, cum levis erat affectio, alias verò cum febre, quo tempore in lecto, aut ſaltem in cubiculo ſe continere cogebatur: Dolor capitis etiam, interdum cum febri, interdum ſine febri aderat, in omnibus non ſibi conſtans affectus, modo enim longus, modo brevis, modo gravis, modo levis, aliquando per ſex menſes, & amplius, ſatis bene habebat, medicamento purgante, per intervalla præcipue utens, ex præſcripto meo, ut dicetur. Nam ut mihi perſuaſum erat, cumulari in hypochondrio excrementa, quouſque quantitate, & qualitate moleſta, naturam ad excretionem ſtimularent, præſcripſeram ſyrupum magiſtralem hepaticum, & ſpleniticum, ut uno, & eodem medicamento, materia per dejectiones ſubduceretur, meatus aperirentur, & viſcera roborarentur; cum autem dolores incipiebant, venæ ſectiones fiebant & revulſiones, ejus enim ſanguis ſemper vitioſus erat; ſuo etiam tempore bibebat de aquis mineralibus de S. Louboüe, quæ ad dolores capitis, & ſtomachi, prædicantur. Ex his omnibus meliuſcule quidem habebat; ſed identidem affectus revertebatur, licet raro cum violentia. Cum autem aliquando cauſæ propagatione, non ſolum prædicta ſymptomata, ſed etiam dorſi, laterum & aliarum partium dolores facti eſſent, ſciens longa experientia multarum affectionem cauſam, quæ à principio ignoratur; à capite originem ducere, aſſerui ægrotanti, me valde ad id propendere aliquam ſcilicet ſubeſſe fluxionem, quæ horum omnium ſymptomatum prima cauſa extiterat, adhuc conſtans: Quæ quidem fluxio, quoties in ſtomachum delaberetur, coctione depravata, vomitus, & doloris cauſa erat, ſicut & eorum quæ hypochondrio, & cæteris partibus fiebant, nondum autem affirmavi, me compertum habere, utrum in aliquo viſcere, permanens aliquid genitum

tum eſſet, licet non crederem; præterea quod affectus per intervalla recurreret, quod cauſæ alicujus aliunde advenientis, ut plurimum, ſignum eſt, deinde quod eſſet facie boni coloris, argumento viſcerum bene habentium, aut ſaltem leviter affectorum; temporis vero progreſſu hoc poſſe accidere, ſi remedia ſperneret: Cauſæ tandem propagatione, dolente dorſo cum ſenſu caloris urentis, & aliis partibus ſuperioribus, ut etiam antea acciderat, non amplius à me dubitatum eſt, nec ab ipſa etiam ægrotante, cauſam præcipuam ſymptomatum quæ patiebatur, à fluxione capitis originem ducere. Cum autem mei exemplo, infeſtantibus doloribus, in laconico ſudores verè tentaſſet, non multum commodi percepit, propter ſuum temperamentum, calore ſicco gaudens; præſcriptum eſt itaque balneum ex herbis carminantibus, quibuſdam malacticis admixtis, quod dolores valde demulſit, manantibus poſtea in lecto ſudoribus; aqua enim mediocriter calida, ſua actu humiditate, & potentia frigiditate, calidos & urentes humores temperat: Quod movit me ad ſudorum provocationem, hoc unum fuit, naturæ morborum medicatricis motus; ſæpiſſime enim à principio, & in progreſſu morbi, jam nunc, manantibus de nocte ſponte ſudoribus, ſicut etiam de die, cum lecto decumbit, à doloribus levatur, quod maximum fuit mihi, fluxionis accuſandæ argumentum, quam ut avertat, purgante medicamento utitur adhuc per intervalla, pyrotica geſtat; & præſente fluxione, veſicatoria admovet aliquando inter ſcapulas, cum nimis abundat, ſervato regimine in omnibus.

Non multum commodi a ſudoribus in laconico percepit; balneum vero ex herbis carminantibus dolores valdopere demulſit.

OBSERVATIO VIII.

PRivati Prætoris uxor hujus urbis, atroci dolore correpta in regione ſtomachi, & circa umbilicum, Medico ejus ordinario abſente, accerſendum me juſſit ut ejus vicem obirem: Introïens cubiculum, multas circa lectum inveni domicellas, unamquamque de dolore, ut illis mos, tanquam Medicum ſententiam ferentem: Hanc quidem colicum affirmantem; illam verò hyſtericum eſſe affectum: ut omnibus ſatisfacerem, cum jam varia enemata eſſent injecta, promiſi me utrique affectioni profligandæ remedium præſcripturum quod talis erat compoſitionis.

Mulier atroci dolore circa umbilicum & ſtomachum correpta.

 ℞. Ca-

℞. Caſto. ʒß. Opii in tegula exſicca. donec in pulver. redigi poſſit, Gr. j. cum Syru. abſyn. fiat morſul. capiat ſtatim.

Sumpto hoc, morſulo, nulla intetpoſita mora, abſceſſit ſtatim dolor ab ſtomacho, deinde qui circa umbilicum infeſtabat, maxima aſtantium admiratione, & ægrotantis levamine: At nocte ſequenti poſt mediam noctem dolor reverſus eſt circa umbilicum, libero ſtomacho. Ut humorem peccantem, & doloris cauſam, per inferiora deturbarem, præſcripſi ptiſanam purgantem; ſed reduce ejus Medico ordinario, qui palmam curæ ut opinor, ab alio præripi nolebat, ſumendi tempus procraſtinavit. Cum autem dolor ejus non cederet remediis, conceſſit ut propinaretur ptiſana, quæ hujus erat præſcriptionis.

℞. Folior. ſenn. ℥ß. Turb. Jalap. ana ʒß. Hyſſo. m. ß. Caryoph. n. vj. cinam. ʒß. inciſis incidendis, & contu. contundendis ſuperinjice vini calidi ℥viij. & vaſe cooperto, ſtent in infuſione per noctem, colaturam capiat manè: Optime quidem venter ſubductus eſt hac purgatione; dolor autem rediit hora prima poſt mediam noctem, ut antea ſolebat, circa umbilicum excrucians, libero ſtomacho; quouſque provecto jam die remitteret: Quod ſi perſeveraſſet, fotibus, ſemicupiis, inunctionibus, tentabatur, ſicut & omni tempore, ejus demulſio, emplaſtro poſtea, de baccis lauri ventri ſuperpoſito. Sed hæc omnia incaſſum fiebant præter fimi columbini in vino decocti applicationem, in modum cataplaſmatis: Cum autem dolor ſemper rediret, optavit iterum ſumere pilulam ſupraſcriptam ex caſtoreo, & opio; quo audito Medicus ordinarius, conceſſit quidem, ſed eodem tempore, juſſit injici clyſterem cum requie Nicolai, fortaſſe ut doloris ſedatio, ſoli pilulæ non tribueretur; ſed pudoris potiùs quam honoris particeps fuit, perſeverante enim dolore moleſta capitis gravitas, tota nocte, & die invecta eſt: Suſpicio nobis erat de hydrope ſicco, cùm dolor nullis cederet auxiliis, juxta Apho. Hippocratis. Quibus tormina adſunt. &c. In affectu itaque gravi, & pertinaci, probatum eſt Medicos Burdegalenſes conſulere: Interea ptiſana purgans per intervalla manè propinabatur, quæ rectè ſemper ſuo fungebatur munere, ſed dolor nunquam mutabat horam, prima poſt mediam noctem revertens, licet locum mutaſſet, hy-

Fimi columbini in vino decocti applicatio in formam cataplaſmatis dolorem levabat.

Apho. 11. ſect. 4.

hypochondrium ſiniſtrum infeſtans; ex qua quidem mutatione, non parum gaviſi ſumus, propter metum hydropis ſicci, ſi dolor ſemper eodem loco conſediſſet. Multum tamen negotii faceſſebat nobis, eadem hora doloris reditus: Pluribus autem confabulationibus, hac de re, cum collega habitis, cùm dixiſſet ſe menſe Aprili præterito, curandam inviſiſſe ægrotam, à fluxione in pulmones delabente; cum etiam mihi relatum fuiſſet, paucis ante diebus hujus ægrotationis laboraſſe ægrotantem aliqua ſpirandi difficultate ſine tuſſi; præſenſit animus, dolorem hunc eſſe à capitis fluxione, quibuſdam paroxyſmis commota; cùm ſcilicet pars mandans, ſatis excrementi cumulaſſet, quod certis quibuſdam horis fiebat; ideò qualibet nocte, hora prima poſt mediam noctem recurrere fluxionem, & in ventre dolorem, ubi humor cumulabatur: Hoc tamen Medicus ordinarius non concedebat: ego verò conſtanter aſſerui ægrotanti, me in hac eſſe ſententia, aquarumque mineralium potum, non parum levamenti allaturum, ſi tempus non eſſet pluvioſum: Ideò hoc deficiente auxilio, utendum ptiſana purgante mea, non tamen eadem hora ſumenda, ſed hora decima nocturna, tribus horis ſcilicet, ante quàm fluxio repeteret, ut tunc temporis fluens humor, in ventre moram non faceret, ſed cum dejectionibus abriperetur; hoc pacto dolorem non fieri. Non multum laborandum fuit, in affectu tam pertinaci, ad perſuadendam ægrotantem, hora igitur decima nocturna, propinata eſt ptiſana purgans, qua circa horam primam poſt mediam noctem, ventrem ſexies ſubducente, res eo modo ceſſit, ut opinatus eram: humore enim cum dejectionibus foras educto, nec in ventre moram faciente, dolor non rediit: proxima tamen nocte cum ptiſanam non hauſiſſet, dolor reverſus eſt eadem hora, verum in hypochondrio dextro: Ideò ægrotans aſſeruit mihi, ſe qualibet nocte, malle potiùs ptiſanam haurire, quam dolorem ejuſmodi perferre. Conceſſi ut duabus conſecuturis noctibus ſumeret, nec dolor eſt reverſus: Cum autem ſequenti nocte non ſumpſiſſet ptiſanam, dolor quidem rediit; ſed hora quarta matutina: Ex cujus paroxyſmi cunctatione, bene ſperare juſſi, retrocedentibus ſcilicet inimicis: ſequenti tamen nocte, conſului ut ptiſanam ſumeret, cum qua

Data hora decima nocturna potione purgante, ſexies alvum ſubducente, dolor hac nocte non rediit; Qua proxima nocte non aſſumta dolor reverſus eſt.

dolor nunquam ſtare potuit; licet autem ſequenti nocte, iterùm ſumere vellet, probante etiam Medico ordinario, nolui: ſed nunc intuendum eſſe an ſibi ſola natura ſufficeret, quod ut quiſque optabat, contigit: neque enim ampliùs reverſus eſt dolor, perfecteque ſanata eſt, ante conſultationis Burdegalenſis adventum, qua hydrops ſiccus timebatur, ſolis viſceribus cauſam morbi tribuentis, quæ tamen ſana erant: Nihil ſingulare invenimus in hac conſultatione, niſi vini emetici hauſtum, & aquarum Encautianarum potum, quo jam uſi eſſemus, ſi tempus vigente morbo opportunum fuiſſet. Cùm autem nunc idonea eſſet tempeſtas utendi ejuſmodi aquis, licet bene valeret ægrotans, placuit de illis bibere ad precautionem, quia, ut aiebat, earum uſum jam probaverat. Nunc ad præcavendum ne affectus redeat, utitur frequenter ptiſana prædicta.

Utitur ægra aquis Encautianis, ad præcautionem.

OBSERVATIO IX.

Mulier 20. annorum poſt primum partum in febrem acutam & pleuritidem occultam ſeu notham inſidens.

UXor præcipui cujuſdam civis hujus urbis, ætate 20. annorum, bene valens, præfervido autem ingenio: Quibuſdam menſibus poſt primum partum, correpta eſt verno tempore febre continua, cum lateris ſiniſtri dolore punctorio, cephalalgia, & tuſſi: vera tamen pleuritis non erat, ſed affectus, quem vulgus in hac regione, vocat pleuritidem occultam de quo cap. 2. lib. 2. Factis venæ ſectionibus, enematibus injectis, fotibus dolori adhibitis, parte poſtea inuncta, & uſu bechicorum, ut ſolet fieri: craſſa, & cocta, die quinta prodierunt à pulmonibus. Excreationes, quæ in hoc affectu minui ſolent poſt 7. diem, perſeverabant, indicio à capite, novam materiam ſuppeditari: propterea, medicamentum purgans exhibendum curavimus, hac forma.

℞. Rad. conſol. major. ℥ß. folior. beton. pulmon. tuſſil. capil. ven. ana m. ß. ſem. anis ʒß. ſummit hyſſ. flor. viol. & papav. rub. ana. ℈j. fiat ex his decoct. infun. in q. ſ. folior. ſenn. mund. ʒiij. ſem. coria. ſcrup. j. agar. troch. ʒj. expreſſ. diſſol cathol. ℥ß. mannæ calabr. ℥j. fiat potio, hæc ſatis ventrem ſubduxit.

Ab ea poſt purgationem & venæ

Poſt purgationem, & plures venæ ſectiones, etiam ex utroque malleolo, quibus propenſo erat animo, ab omnibus ore ſumendis

mendis averſa, tandem febris remiſit, perſeverante aliquatenus excreatione, ex pituita craſſa, & puriformi: ſed paucis poſt diebus, reverſa eſt, omnibus aliis exaſperatis, præter lateris dolorem, cui etiamſi ſæpius in morbi recurſu frequenti, febris comes eſſet, multoties tamen aberat: In hoc caſu, iterùm ad venæ ſectiones devenimus, quæ ut plurimum fauſtæ erant: febris tamen, & excreationes puriformes diu perſeveraverunt, unde ſibi timens ægrotans, præcipue ab pthyſi, conſilium alterius Medici adhibere placuit, qui non dubitavit fluxionem à capite, perpetuò in pulmones delabi, pthyſiſque periculum adeſſe: Quapropter, acta ſunt omnia, quæcumque fluxioni avertendæ neceſſaria videbantur. Pyrotica, veſicatoria venere in ſubſidium, non ſpretis purgationibus, poſt quarum primam, ptiſanam mihi in hoc affectu familiarem, ex chinæ decocto, cùm pulmonaria, præſcripſimus pro potu ordinario: de qua cap. de pthyſi. Cum autem ſanguis putridus valdè, ſemper, hauriretur, colore, ſcilicet inter flavum, & album, magnæ ſeroſitati, velut cymba, innatans, uſa eſt per aliquot dies apozematibus, ſanguini purificando idoneis. Pòſt hæc remittente febre, de lactis aſinini uſu menſe Septembri decrevimus: Sed ſtatim atque cepit uti, febris accenſa eſt, quæ dimittendum coëgit, & ad eam profligandam divertere, præcipue venæ ſectionibus, loco lactis, hordeata præcipientes, ad facilem ejus ſanguinis efferveſcentiam temperandum, ad quod plurimum profuit, potus aquarum mineralium de S. Louboüé, principio Octobris, à quo benè habuit reliquo Autumno, & tota hieme; erat tamen ſemper aliqua tuſſis, & excreatio, quæ aliquem humorem à capite defluentem arguebant: Ideò veris caloribus incipientibus efferveſcente ſanguine, ut anno proximo ſuperiore, eadem ſymptomata recurrerunt, febris, tuſſis, excreatio, interdum & lateris dolor, quibus profligandis, ad eadem remedia confugimus, ut ſupra. Quia autem menſe Maïo, præ cæteris tempeſtatibus, lac maxima ad hos affectus pollet virtute, iterùm de utendo decrevimus, majoribus quam antea adhibitis cautionibus, ſed idem nobis contigit; ſtatim enim febris major accenſa, dimittendum coëgit, ſtupentibus nobis, qualis eſſet temperamenti, & lactis cum eo repugnantia,

ſectiones liberatur, permanente excreatione puris & pituitæ Craſſæ.

A lactis Aſinini uſu, febris iterum accenditur.

Autumno & hieme bene habuit, remanente tamen tuſſi;

Vere inſequente poſt lactis uſum

iterum accenditur febris, autumno adveniente, potis aquis muneralibus melius iterum habuit.

tia, quod nullum, qualiſcumque generis extiterit, prodeſſe potuit. Reliquo vere, & tota æſtate ægrotavit, modo ingraveſcente, modò remittente affectu, quouſque adventante Autumno, & potis aquis mineralibus, meliùs habens, in quo ſtatu, tota hieme perſeveravit. Nullis rationibus diſſuaderi poterat, quin totius affectus cauſam, in menſium retentionem rejiceret, expoſtulans remedia provocandis idonea, ad quod qui mecum ad curationem adhibitus erat Medicus, valdè propenſo erat animo: ego verò felicem ex his ſucceſſum minimè eſſe ſperandum, quandiu natura foret imbecilla, ſed morbum arcendum eſſe: Quod ſi viribus poſteà receptis, natura ad hoc opus nullo modo ſe accingeret: tunc in iis promovendis laboraturos. Neque talibus opus habuimus, prædicta enim hieme utero concepit, nullis præcedentibus menſtruis. Cohibitis uteri geſtatione cauſis morbificis, neque vere, neque æſtate ægrotavit, ut proximis duobus ſuperioribus annis, neque ideo autumno, & hieme, liberam ſe à prægreſſo affectu exiſtimabat, ſed adventante menſe Maio, febri correpta eſt cum jam dictis ſymptomatibus, tribus, aut quatuor menſibus à partu; oportuit ijſdem nos uti remedijs, ſed ut antea, ante quam perfecte ſanaretur, fiebant recurſus; parum ſanguinis excreatione rejecit, quod maximum illi terrorem incuſſit, ſed levibus auxilijs non amplius cruentum fuit ſputum. His omnibus pertæſa, conſuluit privatim Medicum extraneum, qui nixus ijs quæ acta erant, ægræque propenſionem ſequutus, conceſſit à menſium retentione, ſymptomata omnia illi accidere, præſcribens in eum finem Juſcula purgantia, cum hepaticis, in quibus infundi jubebat ſennam & tamarindos, in colatura ſalis prunellæ ℥ß. diſſolvi; deinde ut thermas adiret. Juſcula quidem probanda cenſebam; thermas autem minime, in ægra levi occaſione febricitante, à pulmonibus laborante, & quæ ſanguinem ſpuebat. Redux è thermis non male habuit, quia tempus erat, in quo affectus quolibet anno remittebat; autumnus ſcilicet, & hiems: Quia autem menſes apparuerunt, miris efferebat laudibus Medicum; ſed alea, ut dicitur, non ſemper erit fortunata: Nam exacta hieme, cum verni calores acceſſiſſent, & multò magis æſtivi, ſemper ægrotavit, multoque pejus;

Gravida, tota geſtationis tempore bene valuit.

Sputum accedit cruentum.

Quotannis vere & Æſtate ægrota

jus; ita ut phtyſi perituram, omnes conclamarent, in thermas culpam referentes; ſed antumno appropinquante melius habere cepit, & tota hieme quaſi ſanata viſa eſt, ut illi ſemper quotannis erat ſolitum; vere autem & æſtate ægrotare, niſi prægnans eſſet; inevitabilem hanc viciſſitudinem, moleſte ferens ægrota, & ejus maritus, deſperantes ſalutem à Medicis hujus regionis, Burdegalenſes, & Tholoſanos conſulere voluerunt, convocatiſque tribus Medicis, facta eſt inter nos conſultatio, in qua collega meus qui ſemper cauſam morbi præcipuam, mecum in capite conſtituerat, ſententiam mutavit, menſibus retentis, ut quondam Medicus extraneus fecerat, referendam eſſe ſtatuens, ad quam aliquatenus propenſo fuerat animo junior Medicus, conſultationi tertius adhibitus: Ego verò proximam morbi cauſam eſſe à capite; remotam à ſanguinis corruptione, levi de cauſa æſtuante; à menſibus verò, ſi qua eſſet eorum præter naturam retentio, remotiſſimam; quam quidem non concedebam: Primo quod anno ſecundo à principio morbi, utero concepiſſet, quo tempore bene habebat, hiberno ſcilicet, quamvis menſes non prodijſſent, ſignum certiſſimum, à cauſa præter naturam antea non eſſe retentos, ſed ſola imbecillitate, & ſanguinis penuria, ad hoc opus naturam ſe non accingere, quouſque aliquid virium recuperaſſet, quod hieme appropinquante quolibet anno fiebat: Sed potior ratio, cur à menſibus retentis non prodiret affectus, hæc erat; quod in quibuſdam annis, licet menſtrua purgatio non erumperet, morbus ſemper remittebat hieme appropinquante, quod ita non contigiſſet, manente cauſa morbifica ut antea. His non perpenſis collega, hac ſolum nixus ratione, quod ægra autumno, & hieme præſertim, melius haberet; temporibus reliquis anni fluxionibus magis opportunis, ſententiam quam longo tempore coluerat depoſuit: Erat quidem res medica ſpeculatione digna ægrotantem iſtam, fluxionibus laborantem, melius habere hieme quam æſtate: Nulla tamen erat ratio cur à menſibus retentis, potius æſtate, quam hieme, fluxionibus male haberetur. Alia igitur quærenda erat; quia ſcilicet putredine, qua ſanguis hujus ægrotantis ſemper ſcatebat, vere, & multo magis æſtatis caloribus commota, propter febrem, quam

bat, autumno & hieme verò rectè valebat.

Non nulli medici morbi hujus cauſam in retentis menſibus quærunt; verum auctor a Capite hanc derivat.

quam facile tunc temporis concipiebat, non ſolum ad caput fiebat tranſlatio, ſed humoribus excrementitiis, per hiemem quieſcentibus, exagitatis; ad partes inferiores effluxio, pulmones, latus, & mammam, in qua abſceſſus factus eſt, & ad ſuppurationem perductus: Modus tamen iſte ægrotandi leviorem cauſam arguebat; autumnus enim tabidis malus, fauſtus erat; hiems fluxionibus ferax, ſalutaris. Miſſo igitur Burdegalam, & Tholoſam conſultationis noſtræ conſectario, à Medicis utriuſque Univerſitatis reſponſum accepimus, qui conjunctis ſententiis pthyſim minabantur, nulla habita mentione de menſium ſuppreſſione, ſicut de fluxione à capite. In utroque multa præſcribebantur, quæ jam facta erant; à Medicis Tholoſanis lactis aſinini potus, quem nunquam profuiſſe ſupra diximus; à Burdegalenſibus verò vaccini uſus. Cum autem ſemper infauſte aſininum potaſſet, vaccinum experiri voluit ægrotans; ſed die ſecunda illud dimittere coacta eſt, febre ut alias ſuperveniente, quæ propter æris conſtitutionem, jam ad frigus inclinantem, poſt adhibitam purgationem, & facta venæ ſectione, non fuit multæ durationis; autumno ut alias, principium ſanitatis afferente, quæ tota hieme perſeveravit, in qua prægnans facta; ſicut ver, felicem etiam tranſegit æſtatem: ſed anno ſequenti, eodem tempore, iterum ægrotavit. Denique, ut uno verbo dicam, ægrotans iſta, ab anno 1658. uſque ad hunc ipſum 1664. qui jam vertitur, ſemper adventantibus caloribus cepit ægrotare, niſi prægnans eſſet; remittentibus verò, principio ſcilicet Octobris, melius habere, hieme multo magis. Toto hoc anno bene habet, quia uterum gerit, licet ſuperiore anno, bis acute ægrotarit, menſe Auguſto, & Septembri: Neſcio quid accidet in poſterum; hic tamen modus ægrotandi ſpeculatione dignus eſt. Ego quidem rogatus privatim, deſcribere hujus morbi naturam, monebam Medicos Burdegalenſes, ægrotantem in tanto periculo non verſari, atque putaverant, ſed præcipuum ejus ſanitatis ſcopum eſſe, ſanguinis fervorem, adventantibus caloribus æſtuantem, impedire, ne febris conciperetur, quæ omnium erat primum mobile; ſed de his nihil ad nos renuntiatum eſt, licet tantum deſideraſſem approbationem juſculorum re-

Humores ad mammam delati, ibi abſceſſum efficiunt.

Per ſex annos hæc ægrota æſtate, niſi prægnans eſſet, ægrotabat; hieme vere recte valebat.

refrigerantium, uſumque modo purgantium, modo alterantium, maxime incipiente vere, venæ ſectionum, & frequentium balneorum aquæ dulcis, cum fuga eorum quæ ſanguinem calefacere, & commovere ſolent, præcipue animi motuum, inter quos, ira in diſcrimen res ſæpiſſime attulit, febrem accendens comitantibus reliquis, de quibus ſuprà.

Ira huic feminæ ſemper fuit valde noxia.

OBSERVATIO X.

VIr quidam nobilis Maſſiliæ; cum uxorem duxiſſet, primis duabus geſtationibus, maſculum in qualibet ſuſcepit, qui ſubitanea morte biennes ambo abrepti ſunt; diſſecto cranio, ſubſtantia cerebri, & ejus ventriculi ſuperiores, aqua limpidiſſima repleti inventi ſunt. Medicus qui aderat, conſuluit patri, ut ſi alium ſuſciperet, tribus diebus ab ortu, pyroticum ferro candenti inurendum curaret, inter primam, & ſecundam colli vertebram; quod cum ita factum eſſet, ſervati ſunt quos uxor poſtea peperit. Quis negabit laticem illum aquæ ſimilem extra cerebrum non poſſe effluere, & materiam catarrhorum exiſtere. Ut autem Helmontius, & ſequaces coarguantur, præcipue autem Schneiderus, qui non vult materiam catarrhorum eſſe excrementum cerebri; quod ut probet, affert inter cætera, os cribriforme non eſſe in vivis cribriforme, ſed omnia ejus foramina, nervis per ea tranſeuntibus repleri, & ita exitum excrementis negari. Has poſteriores enarrationes in confirmationem eorum quæ ſupra diximus; emendatiori ſcribendi ratione, & clarioris doctrinæ gratia, librum jam abſolutum exſcribens, attexere volui: Mirandum enim quomodo Profeſſor Medicinæ, ſola ſe ſpecie capi permiſerit: Quaſi verò nervi molles, non cedant exeuntibus excrementis, natura impellente, ad partis principis conſervationem. Dum quis coryſa loborat cum capitis dolore gravante; deinde cocta materia, velut pus craſſum emungit: Quis credet educi, ut Schneiderus, à venis narium? Ergo à capite craſſa illa materia educitur; ſi craſſa, multo magis liquidior per has vias effluet, ut in ſequentibus duabus enarrationibus patet.

Duo infantes maſculi ſubita morte extincti, cujus ventriculi cerebri aqua limpidiſſa erant repleti, ceteri poſtea nati, inuſto fonticulo inter primam & ſecundam colli vertebram, omnes fuere ſuperſtites.

OBSERVATIO XI.

Chirurgus vino ſe quotidie ingurgitans ſubito extinctus.

CHirurgus quidam Domini Epiſcopi Adurenſis, vino quotidie ſe ingurgitans, feroci delirio correptus cum febre, quo alias etiam laboreverat, derepente intra viginti horas mortuus eſt. Tam citæ mortis cauſam, ſcire volente D. Epiſcopo; cranium diſſectum eſt, ſuperiorique parte ablata, pluribus in locis, aqua limpida manu impulſa diſcurrens, ſubter Meninges, animadverſa eſt, de qua multum per nares ſternutando ejecerat, beneficio errhyni. Credidi ventriculos, hac etiam fuiſſe plenos; ſed ſatis nobis fuit, poſſe aliquid D. Epiſcopo de cauſa mortis referre. Non fatebitur tamen Schneiderus, quemadmodum omnes qui aderant, ptarmici ope, aquam è cerebro fuiſſe eductam, ſed à venis narium; Oportuiſſet ſane omnes venas narium, aqua, & non ſanguine fuiſſe repletas: Cum autem aqua eſſet in cerebro, & materia craſſa ab eo per nares exire poſſit, ut ſupra demonſtravimus, cur aliunde advenire dicendum eſt? Docet nos Hippocrates in Prognoſtico, loquens de capitis doloribus, ejecto ſanguine, vel pure, vel aqua, dolorem ſolvi. In caſu, & ictu ſupra caput, ſanguis ſæpe effluit per nares, interdum per aures; Hæc nonniſi à parte affecta: Quis igitur negabit humores noxios in capite exiſtentes, per nares, aures & per alias vias non exire? Sed ut obmuteſcat Schneiderus, & omnes ejus ſectatores.

OBSERVATIO XII.

Nobilis Baro a nimio uſu pulveris ſternutatorii, & a febre ſeptima die extinctus, cujus dura Meninx a vertice ad radicem oculorum flavo colore erat infecta.

VIr quidam Baro, non multum temperans in vini potu; tabacum in pulverem redactum, naribus omni momento attrahere ſolitus: Cum eſſent morbi tunc temporis epidemici, incidit in febrem continuam, qua ſeptima die extinctus eſt. Quia verò morbus non proceſſerat, uti qũi nunc graſſabantur in illa urbe: Multi viri nobiles cognati, & familiares defuncti, rogaverunt me, & alium Medicum, qui ad curationem etiam vocatus fuerat, ut diſſecto cranio certiores eſſent, an ægrotus intempeſtivo uſu tabaci, fato præmaturo obiiſſet; licet jam ſindone involutus eſſet inſcia uxore, cubiculum ingreſſi cum Chirurgis, primo aſpectu animadvertimus linteum, quo erat cadaver involutum, & ut hîc mos eſt conſutum, colore ſub-

flavo

flavo madidum, è regione narium, non ei abſimili, qui ſtrophiolis apparet, cum inſuflato tabaco emunguntur nares; ſtatim ſubijt animos, aliquid de tabaco nos inventuros, nec fefellit ſuſpicio; Diſſuta enim ſindone madebant nares, myxtaces; & barba, eodem liquore; diſſectoque cranio & parte ſuperiori avulſa, vidimus omnes duram Meningem, à vertice, uſque ad radices oculorum, & tempora, eodem colore flaveſcente ſuffuſam; pars verò quæ à vertice, ad totum occiput poſita erat, ſui, & naturalis coloris. Hoc viſo, ab omnibus exclamatum eſt, ab frequenti uſu tabaci interijſſe ægrotantem, ſpreta ſubſubſtantiæ cerebri inſpectione. Vellem nunc ab Schneidero ſciſcitari, unde eſſet color ille flaveſcens duræ Meningis; unde poſt mortem humor ille ſubflavus per nares effluens: Cum eſſet ei omnino ſimilis, qui ab inſuflato tabaco emungitur; Quid dicendum niſi ab eadem cauſa omnes iſtos colores exiſtere? à pulvere ſcilicet tabaci, qui ad cerebrum uſque penetrat; aut ſaltem humore qui ab eo tali colore inficitur: Quod ſi aſcenſum admittas; multo magis deſcenſum fateri coactus eris. Coronidis loco, ut fluxionum proceſſus à capite, tanquam in tabella depicti conſpiciantur; enarrationem de me ipſo proponere libet qui nunc varijs fluxionibus infeſtor; licet mihi ſanitatis munia ſatis obire permittant.

OBSERVATIO XIII.

INcipiendo igitur per ea quæ mihi contigerunt, quomodo quis non advertens, fluxionibus obnoxius efficiatur; licet à principio optime valeat: Sciendum eſt: in infantia, pueritia, & adoleſcentia, uſque ad annum ætatis 22. nunquam per noctem dormiens pileo tectus, quandiu ex patria, Maſſilia, non exceſſi: Profecto tamen annum agenti 22. juxta Ciſteronienſium civitatem, litis curandæ neceſſitate, Medicinæ curriculum emenſo, cum plaga illa, noſtra Maſſilienſi eſſet frigidior, quippe Alpibus vicina, fluxionem ſupra dentes commovit, qua per multos annos, certis quibuſdam intervallis afflictus ſum quouſque dentes molares, fere omnes avulſi ſunt: ex eo tempore nocturnum pileum geſtare coactus ſum, cepique pedetentim magis ac magis pœnas luere, quod ab exercitio ſudore diſ-

Hiſtoria morbi Auctoris, & quomodo fluxionibus factus ſit obnoxius.

fluens, nudo capite multoties frigus collegiſſem; ſed hoc parum adhuc erat, reſpectu futuræ refrigerationis. Anno 1623. & ætatis meæ 24. diſcedens Pariſios ut ex diſſectione cadaverum, ſitum, & partium compoſitionem addiſcerem, nunquam cædendos curabam capillos, quin gena ſiniſtra tumefieret; hoc quidem tota æſtate, hieme verò, cum menſe Februario cæſi eſſent, non reſtitit humor in gena, ſed ex conſtitutione frigida, majori facta compreſſione; circa unum ex Ilijs, ſiniſtrum, nocte ſequenti, inter dormiendum, defluxit, dolorem acutum, & febrem validam efficiens: Argumentum hoc jam erat, fore me in poſterum, fluxionibus in latus ſiniſtrum magis obnoxium, quam in dextrum. Expergefactus à dolore, ſtatim pulſum explorans, febremque validam inveniens, rogavi Chirurgum, qui favente fortuna, in eodem cubiculo decumbebat, ut quamprimum, baſilicam ejuſdem lateris mihi aperiret, quo ſanguinem extrahente, ut morbus poſtulabat, dolore, & febri pedetentim remittentibus, iterum dormivi, omninoque mane à febre liber ſurrexi, parum dolente latere, quod obambulando per urbem penitus abſceſſit; Inde intellexi, in ejuſmodi doloribus cum febre, nulla facta mora, ad venæ ſectionem confugiendum: Si enim Chirurgus in promptu non fuiſſet, humor defluens, in via non interceptus, omnino ad partem delapſus eſſet, in eaque alte infixus, non facile venæ ſectionis beneficio amotus eſſet. Exacta hieme diſcedens Pariſijs Maſſiliam, tranſivi per Vaſconiam, Avunculi in ea juxta Barbotam, inviſendi cauſa; qui me juramento, & ſponſione devinxit, ut viſis parentibus apud ſe redirem, Tholoſam inde profecturus, Apollinaris laureæ conſequendæ gratia, quo redux proficiſcens, cum incidiſſent mihi præ manibus commentaria, ſuper arte parva Galeni dictata à D. Queiras, Medicinæ urbis Profeſſore; operæ pentium duxi; in epitomen redigere, eo quod omnes quæſtiones, quæ pro doctoratu aſſequendo neceſſaria erant, in eis agitarentur: Itaque trium annorum ſcripta, 15. dierum ſpatio, duobus quaternionibus ſum complexus. In hoc opere perficiendo, tanta erat animi contentio, ut interdiu, noctuque ſtatim à prandio, à cœna, in illud incumberem; quod mihi optimum temperamentum, & per-

Nocte incidens in febrem, ſtatim venam ſibi ſecare jubet, qua ſecta obdormit, & mane liber a febre ſurgit.

perfectam qua fruebar ſanitatem evertit, in poſterum non amplius, in eodem ſtatu recuperandam. Cum enim quis in aliquam ſpeculationem, acrius animum intendit, pars quæ operatur, cerebrum ſcilicet, magnam partem ſpirituum quos obeundæ functionis neceſſitate, partibus tranſmittere oporteret ſibi retinet, quibus deficientibus, debiliter fiunt actiones in membris, tunc temporis munere ſuo fungentibus: Qua de cauſa, ſemper à cibo ſumpto, ad perficiendam Epitomen redienti, debilis facta eſt mihi ventriculi concoctrix, ſicut & ut opinor cerebri; Antequam enim opus perfeciſſem, ſuborta eſt mihi magna, & frequens ſalivæ ejectio noctu valde moleſta, & mane jejuno ventriculo, quo tempore, hora nona, rugitus quotidie exaudiebatur è regione lienis, perſeverans quouſque cibum ſumpſiſſem: Nihilominus opus inceptum perfeci, conſecutoque Medicinæ Doctoratu, redii ad Avunculum, perſeverante rugitu, & pryaliſmo; ubi ex motu corporis violento, in quo caput valde concutiebatur, exorta eſt mihi hemicrania, cui per longa intervalla, fui in poſterum obnoxius. Per id tempus quo apud Avunculum moratus ſum, inviſi aquas minerales & thermas de Barbotan, ſæpius rogatus à Domino loci, ut de earum viribus ſcriberem, cujus deſiderio ſatisfacturum promiſi. Quibuſdam menſibus elapſis veni in oppidum nomine Nogaro, Medicinæ factitandæ gratia, perſeverante rugitu, & ſalivatione; videbatur mihi mane ſtomachus, frigida ſubmerſus, præcipue ſi à potu non abſtinuiſſem; noctes plurimas ducebam inſomnes, aut parum dormiens, omnis decubitus impatiens, præcipue in latus ſiniſtrum, quod cruris contractionem ferre non poterat; ita ut ſemper extenſo crure ſiniſtro, mihi eſſet cubandum, ne comprimeretur hypochondrium. Nullum erat vinum excalfaciendo ſtomacho ſatis generoſum, quod mihi anſam dedit, ex cujuſdam Authoris præſcripto ad piperis pulverati uſum: Cum autem tribus diebus mane ſumpſiſſem, ſanguinem emungere cepi, res valde mihi inſueta; Ideo timens, ne ſanguis piperis uſu nimium incaleſceret, fieretque acrior, abſtinui: Nihilominus perſeverabant rugitus, ſubmerſio ſtomachi, hypochondrii gravitas, & inſomnia, quæ me in aliquem hypochondriacæ affectionis metum adducebant; quare ad uſum ſennæ confugi, & juſcula ex cichoreo agreſti, quibus

Nimium ſtudiis incumbens debilitantur, ipſi cerebrum & ventriculus, unde ptyaliſmus & rugitus;

Ut & hemicrania.

Cum generoſiſſimum vinum non eſſet calefaciendo ſtomacho, utitur pipere pulveriſato, unde hæmorrhagia narium;

bus cum nihil aut parum proficerem, eſſetque in promptu mihi vinum emeticum ad febres intermittentes doſim experiri volui, qua bis aut ter vomui pituitoſa, & amara, ventre ſexies dejiciente, quibus evacuationibus licet à principio non ſtatim bene haberem, propter vomitus agitationem; Intra tamen octo dies maximum levamen percepi hypochondrii pondere ſublevato, ceſſante rugitu, ventriculique humiditate valdè imminuta, cepique in poſterum quietius cubare, & dormire: Sed pedetentim eadem ſymptomata redibant; equitabam nihilominus, inviſendis ægrotis vocatus; appetitio ſatis conſtabat in cibis capiendis, & reliquæ ſanitatis actiones; animo tamen ſemper volvebam, qualis eſſet affectus quo laborabam: Spleniticum me eſſe putabam, propter gravitatem hypochondrii, rugitum, & inſomnia; gravitas tamen hypochondrii erat ſine duritie, cum levi interdum dolore, qui ad coſtas juxta mammam ſuppoſitas ſe proferre aliquando videbatur, alio multò magis moleſte me habente. Hujus doloris ea erat natura, propter, ut opinor, cordis vicinitatem, ut aliquando in lipothymiam incidiſſem, ſi flexis genibus orans, non ſurrexiſſem: mirabar quomodo ſurrectus, ſtatim ceſſaret moleſtia: Credebam ego lienis pondere trahi membranas, aut ligamenta, & ita circa coſtas dolorem fieri: ſed, ignarus; longè aliter res ſe habebat, erat enim & coſtarum, & hypochondrii dolor, à fluxione; ut patebit infrà. Sub id tempus moriente nobili viro, juxta oppidum Nogaro, quem à multis annis, omnes Medici ſpleniticum eſſe credebant, cujus enarratio habetur lib. 3. cap. 2. de ſpleniticis; agnovi ex ejus cadaveris diſſectione, me non eſſe ſpleniticum, ſed tantùm intemperie quadam frigida, partium ad ſtomachum, & hypochondrium ſiniſtrum attinentium laborare, propter quam debiliter fiebant earum actiones; ignarus eas, propter debilitatem, fluxiones excipere, quæ tunc citra ſenſum defluebant. Per id tempus Aduram vocatus, ut publico conſtituto pretio Medicinam in ea factitarem, diſceſſi Nogaro in eam, ubi inveni ægrotantes, qui fere ſimili, ut ego, affectu laborabant, quibus præſcribens ſyrupos magiſtrales ex ſpleniticis, iis etiam utebar: Cùm autem in dotes hieræ Pachii incidiſſem, arbitratus ſum, & illis; & mihi profuturam, nec fefellit me expectatio; ſumpta enim

Et ad febrem intermittentem uſus vino emetico poſt octo dies melius habet.

Genubus flexis in lypothymiam fere incredit, a qua ſurgens liberatur.

A doſi hieræ Pachii ſepties dejecit & perviginti

enim doſi hieræ ad ℥ß. Septies facta ventris dejectione, placidius nocte cepi cubare, corporis poſitionis magis patiens per viginti dies, quibus exactis, redibant jactationes, quod me iterum ad hieram ſumendam cogebat, qua humorum congerie vacuata, quæ per viginti dies pedetentim facta erat, iterùm redibat quies. Toto hoc anno, propter commodum, quod ſtatim à ſumpto Pharmaco percipiebam, octodecies devoravi; nunc in forma boli, alias in forma pilularum, quibus tandem partes, tot vicibus ſarcina levatæ, & aliis quæ cum purgantibus junguntur in compoſitionibus roboratæ, melius ſuo officio fungi ceperunt; unde non ampliùs rugitus in hypochondrio, nec magna gravitas, nec tantus in ſtomacho humiditatis, & frigoris ſenſus: Tamen ut in eo ſtatu permanere poſſem, oportebat me quater in anno, ad minimum, purgantibus uti, quibus, etiam ab hemicrania liber factus ſum. Cum autem profectus Maſſiliam cauſa inviſendi parentes, à purgationibus ſolitis abſtinuiſſem, aucta eſt hypochondrii gravitas, & alia ſymptomata præter rugitus, quæ me ad purgantia redire coëgerunt, ſicut & hemicrania, quæ per intervalla corripiebat: Tunc temporis, cum prædicatus eſſet mihi pulvis cornachini, emi practicam chimiatricam Hartmanni, in cujus calce additus erat de eo libellus: ut modum præparandi addiſcerem, quo parato, ut ibi docetur, uſus ſum: non ſolùm tribus annis, quibus Maſſiliæ moratus ſum, ſed aliis multis, redux in hanc regionem, & in urbem S. Severi, ut ibi toto vitæ decurſu Medicinam factitarem, propter uxoris cognatos, qui alibi manentem, ex remotiſſimis locis, ad ſe ægrotantes me veniendum rogabant: Cujus pulveris uſu, propter ſumendi facilitatem gratiſſimo, ſatis commoda fruebar valetudine. Sed deficiente pulvere, defeci & ego à purgantibus, unde principio Octobris anni 1644. & ætatis 45. correptus ſum duplici tertiana quæ paucis poſt paroxyſmis in quartanam abiit, de qua extat Enarratio lib. 4. cap. de Quartana: qua perſeverante, agnovi manifeſte caput meum, vel minimos frigoris ſentire appulſus, quod me primùm ad ſimplicem calanticam, ex corio geſtandam coëgit: Deinde invaleſcente ſemper refrigeratione, ad xylino parte interiore munitam, & ad craſſiorem. At cum refrigeratio jam altas nimis e-

dies melius habeiit.

Utitur cum fructu pulvere Cornachini.

Anno Ætatis 45. corripitur tertianâ, quæ in quartanam brevi mutata eſt.

giſſet

giſſet radices, hæc omnia non ſufficiebant arcendo frigori, amoto galero alicubi manenti, præcipuè in templo: Alias quidem, ſicut & tunc temporis, laboraveram quibuſdam doloribus, primum in plantis pedum circa talum: progreſſu temporis in media manu, in medio coxæ; tandem in articulatione pollicis pedis, ubi fere ſemper arthritis incipit. Hi omnes dolores leviter me afficiebant, & ut plurimum per modum tranſeuntis, nec minus quam à capite fieri, veniebat in mentem: quouſque illud capite impenſe refrigerato percepi: Tum verò fluxionis cauſa, refrigeratio ſcilicet, & capitis imbecillitas, ſemper in pejus ruentibus, ideoque magis abundantibus excrementis, via unde, & qua ferebatur humor, magis, ac magis mihi innotuit: Ita ut ſenſibus arbitris, agnoverim affectum, quem tam longo tempore ſpleniticum ſuſpicatus eram, ſolius fluxionis eſſe effectum, nec miratus ſum amplius, me ſemper bona facie extitiſſe, quod ex Hippocrate ſpleniticis non contingit. Agnovi etiam ab eadem cauſa, exiſtere dolorem illum, qui circa mammam ſiniſtram, & coſtas infeſtabat, præcipue cum flexis genibus nixus orarem: quæ omnia, alias à capite fieri, nihil minus cogitaveram, licet ſtudioſe ſemper ſollicitus extitiſſem, animadvertendi ex praxi, utrum Fernelii ſententia, de cauſis fluxionum, aliis eſſet veritati magis conſona, ut in pleriſque poſtea expertus ſum, & nunc in me experior, quamvis non in omnibus circumſtantiis, ut videbitur cap. de arthritide. Tunc autem à capite mihi impenſe refrigerato, magis copioſa exiſtente fluxione, non facile hærere poterat in uno loco, ita ut cum circa coſtas influxiſſet, nova ſuperveniente, cogeretur humor per viam ſolitam, alias occultam, in hypochondrium devolvere: Interdum prima ſede relicta: Alias, propagatione cauſæ, ambabus affectis: Procedente tempore, ſenſi humorem ab hypochondrio, ad inferas ſedes defluxiſſe, coxam, iſchion, genu, & pedes; Interdum enim libero hypochondrio, aliæ afficiebantur, quod ſignum erat humorem locum mutaſſe. Tandem omnino factus ſum liber à gravitate, & levi illo dolore hypochondrii, ab anno 1650. uſque in hodiernum diem 1664. ætatis 65. non autem à dolore coſtarum, qui per intervalla, etiam nunc me torquet. Poſt ſenſum illum frigoris in capite, qui me ad

Cur ſemper bona fuerit facie.

Tandem a gravitate & dolore hypochondrii per 16 annos liberatus vixit.

ad calanticam coëgit, erumpebant ſæpè de nocte, inter dormiendum, matutinis horis ſudores, in collo, pectore, & ſtomacho, quos ab humoribus à capite, per corporis ſuperficiem defluentibus fieri, pro certo habebam: ſicut & ſi ſubſiſterent, me magis doloribus obnoxium fore; quod ita contigit: Ab eo enim tempore, quo ſudores non amplius manare ceperunt, variis doloribus inſolitis ſum affectus, circa lumbos, os ſacrum, & circa regionem ureteris dextri, qui nephriticum omnino repræſentabat ex ſitu: quia autem non erat acutus, ut nephriticus, cum lapis fertur per ureteres, nec aderat vomitus: quod etiam per vices, modo ſtante, modo ſedato hujuſmodi dolore, alter oriretur in medio coxæ ejuſdem lateris, velut rei carnem incidentis, & pertranſeuntis: Arbitratus ſum, humorem aliquem defluere per muſculum obliquum abdominis, ab eoque in coxam pertranſire, & ultra: Quod proceſſu temporis compertum eſt: neque enim unquam ab eo tempore, uſque ad duodecim annos, arenulæ, aut lapillus prodierunt: licet pluries eodem dolore, & eodem modo affectus ſim. Cum autem humor fluens oberraret, modo in hanc, modo in illam ſedem, accidit mihi de nocte cardiogmos, qui dormientem à ſomno me excitavit, coëgitque in lecto ſedere, variiſque contorſionibus corporis, & manuum applicatione, ejuſmodi dolorem demulcere, qui niſi citò ſedatus eſſet, neſcio quid de me actum eſſet: tantus enim erat angor, ut videretur orificium ſtomachi, à cane dentibus apprehenſum. Dubius eram tunc temporis, an aliquis humor acerrimæ qualitatis, illuc à capite defluxiſſet, an aliunde, an in ſtomacho genitus; ſicut &, ſi à fluxione, an interiori parte, vel exteriori afficeretur ſtomachus: Cum enim variis fluxionibus eſſem obnoxius, ſi quid noxii in corpore oriebatur, huic cauſæ ſemper referendum putabam; ut plurimum autem, ita eſſe comperiebam. Nam à tredicem annis, quorum ſpacio quater hoc affectu correptus ſum, ter de nocte, & ſemel tantum interdiu, multoque levius, propter faciliorem humoris deſcenſum, ſenſi ultima vice, humore, ut opinor, magis abundante, fluxionem primum in gutture, tuſſiculam ſua acrimonia moventem: deinde inferius deſcendentem, affici œſophagum, poſtremo orificium ſtomachi: Quia autem per

Sudoribus nocturnis vexatur, quibus deſinentibus incidit,

In dolorem, qui nephriticum mentiebatur.

Poſtea nocte afficitur maxima cardialgia.

H vices,

vices, hac ſede fere relicta, parum ad latus novus fiebat dolor, non amplius dubitavi cauſam à fluxione exiſtere, partemque oris ventriculi exteriorem potius affici; ab interiori enim, non facile hac ſede relicta, ad latus divertiſſet fluxio. Secundùm illud tempus, duo animadverſione digna fluxionibus obnoxiis, mihi contigerunt. Primum quidem, cum menſe Junio levem induiſſem thoracem, ex lineo textili gummi illito, frigore ſuperveniente, ut fit ſæpiſſime in hac regione inconſtanti, in qua æſtate modo calor, modo frigus; ſenſi pluribus vicibus humeros moleſte ferre frigoris illius appulſum: Unde per vigiti dies, & amplius, tuſſi laboravi, cum excreationibus pthyſicorum ſimilibus: Rei novitate attonitus, experiri volui, quod in dubium revocabam; annoque proximo ſequenti, cum eodem menſe, eundem thoracem induiſſem, idem mihi prorſus contigit: Tum verò pro certo habui, humores à capite citra ſenſum delapſos, & per humeros oberrantes, externo frigore ſuperveniente, altiuſque propter calidam tempeſtatem poris apertis ſubeunte, ad interiora propulſos, natura amplius non valente, ut ſolebat antea, hujuſmodi influxionibus reſiſtere, propter jam inclinantem ætatem annorum 52. Hac de cauſa, ſtatui in poſterum, hujus generis thoraces non amplius geſtare, ſed Hiſpanorum more, uti quocumque tempore craſſioribus veſtimentis, & quo obſervato non ampliùs in talem affectum incidi. Secundum, quod fluxionibus obnoxiis animadverſione dignum eſt, ſanatio eſt doloris in genu, qui per tres annos perſeverabat, non erat mihi valde moleſtus, niſi per vices, ægre incedenti, præcipuè autem hieme; unde credidi frigus huic dolori occaſionem dediſſe, propter communem femoralium, hoc tempore geſtandi modum, quo genua frigori exponebantur: Ideo decrevi craſſo genuali ea tegere quo ſolo, ſine ullo alio remedio, omnino abſceſſit dolor genu, nec amplius reverſus eſt, niſi per longa temporum intervalla, & per modum tranſeuntis. Ex his diſcendum, corpora eorum qui doloribus à fluxione torquentur, omni ſtudio à frigore tueri oportere, ut defluens humor, ſe ſe per partes calidas quaſi vapor diffundat, facile ſolubilis, alioqui frigore coactus, modo in hac, modo in illa parte cumulatus hærens conſiſtet, dolorem

Leviori induta thorace per viginti dies tuſſi laboravit:

Sed adhibitis craſſioribus veſtimentis tuſſis deſiit.

lorem pariens. Rebus meis in melius non prodeuntibus, poſtquam ſudores ſponte inter dormiendum manantes ſubſtiterunt, videns excretionem hanc, ſola natura duce, pleriſque, & mihi etiam profuiſſe; ad hoc vero non ampliùs eam ſe accingentem, arte volui imitari, cum ſit ipſa morborum medicarrix. Itaque ut nimis urgentibus aliquibus doloribus, aliquod remedium afferrem, ne ab inviſendis ægrotis me averterent, confeci caveam, in qua urgente neceſſitate, ſine ulla alia præparatione, ad libitum ſudores moverem; loca non eſſe magis conferentia, ad humoris per corporis ſuperficiem perreptantis excretionem, ipſa cute; neque ad hoc ulla præparatione opus eſſe, ſubtili & aquoſa exiſtente materia, niſi meatuum apertione, beneficio caloris laconici, quo ſæpiſſimè uſus. Non ſolum in re præſenti, emolumentum percepi, ſed etiam ſupervenientibus in poſterum doloribus: Cùm enim humor manantibus ſudoribus, aſſueſceret per totam corporis ſuperficiem effundi; defluens poſtea à capite, eandem viam inſequens, in plures etiam partes diffundebatur; unde virtute diſperſa, parvæ in partibus fiebant fluxiones, facile ideò reſolubiles, niſi inſueto frigoris alicujus occurſu augeretur fluxio, intermiſſa præcipuè aliqua purgationè. Licet enim ter, ut plurimum, aut quater, poſt quam à quartana liberatus ſum, uterer quolibet anno purgante medicamento, uti adhuc ſoleo, ne cumulentur humores excrementitii in nimia quantitate; intermiſſa purgatione, quàm in fine Septembris, aut principio Octobris parare jubebam; certum erat, me gravioribus correptum iri menſe Novembri, ut ſæpius expertus ſum, etiam hoc anno. Hæc tamen omnia non impediebant quin caput meum, magis, ac magis frigoris ſentiret appulſus, quod cum me male haberet, ut huic rei proſpicerem, calanticam capillatam mihi comparavi, ut ſub ea imponerem, capiti quidquid arcendo frigori neceſſarium eſſet; ex quibus tantum emolumentum percepi, ut ſcripto non poſſit concipi. Facile crediderim, me jam à multis annis vita functum, niſi extrema capitis refrigeratio eſſet impedita, beneficio calanticæ, & xylinis pileolis ſuppoſitis: Ab eorum uſu excalfacto cerebro, non fuit mihi opus niſi raro, ſudorum provocatione, leviores enim erant fluxiones, & vagæ, niſi cum

Hippo. lib. 5. Epid. comm. 5. Galeni.

Sæpius uſu laconici a doloribus liberatur.

Propter frigus capiti magis infenſum calanticam capillatam geſtare cogitur.

iſchiade affectus, ex nimio conatu in oneris ſublevatione, quod alias mihi contigerat: Qui enim varijs fluxionibus dolorificis obnoxii ſunt, non ſemper à quacumque fluxione dolent; hæret enim ſæpiſſime humor, præcipue ſi multus non fuerit, in partibus carnoſis muſculorum, nullum, aut parvum excitans dolorem; quod ſi tunc temporis agere conetur muſculus, nimia contentione, ejus fibris contractis, excutitur humor ad tendones, aut membranas, quæ cum exquiſitiſſimo ſenſu ſint præditæ, inde acutiſſimi gignuntur dolores; ideo talibus hominibus fugiendæ ſunt hujuſmodi muſculorum contentiones.

Viſum acutiorem a geſtatione calanticæ capillatæ recepit.

Hoc etiam mihi accidit emolumenti, ex calanticæ capillatæ, & ſuppoſitorum tegumentorum geſtatione, quod non tanta fuerit mihi viſus debilitas ut antea: Ab octo enim annis quibus ijs utor, poſſum quædam ſcribere ſine ſpecillis, quod mihi antea fas non erat: Tandem verò, invita calantica capillata, & alijs tegumentis capitis, fato concedendum: Nam hoc menſe Decembri 1664. ineunte 66. ætatis anno, ſentio quocumque adhibito ſtudio, caput meum à ventis frigidis magis lædi quam antea; principio enim menſis Novembris proximi ſuperioris, pluvioſo cœlo, & ventoſo, peragre profectus inviſendis, ægrotis, duobus conſecutis diebus; licet capitio inſtructus, variis fluxionibus paucis poſt diebus, fere per menſem affectus ſum, præcedentibus, & comitantibus variis in locis capitis doloribus, velut carnis contuſæ; primo quidem in medio bregmatis, dextro deinde in crotaphite, poſtea verò in vertice: Qui quidem dolores, modo viciſſim, modo ſimul, & ſemel infeſtabant, cumulati humoris ſigna, & ad deſcenſum parati, qui mox pone aurem decidens, influxit in muſculum maſtoideum, converſionem capitis in latus ſiniſtrum impediens, cum dolore ad claviculam uſque pertingente qua parte ſterno jungitur, ubi eſt ejus exortus: Aderat mihi præterea tuſſis, portione materiæ acris in pulmones delabente; infeſtabat quoque dolor dentium, & coryza: Neque in his tantum reſtitit fluxio, ſed ulterius progrediens in articulationem humeri, & brachium, & baſim ſchapulæ, coſtaſque proximiores decidit; deinde decuſſando, aut nova fluxione à capite in latus ſiniſtrum delabente, ut mihi ſolitum erat accidere, exorti ſunt dolores in parte

Variis defluxionum incommodis vexatur.

te

te externa coxendicis, in coxa, in poplite, & tendonibus tali, me in lecto nocte decumbente. Tandem & in partibus ſuperioribus lateris ſiniſtri; dolores ſenſi in capite, in collo; in humeris, in brachio & coſtis, quibus ſponte ſedatis, partes inferiores dolebant lateris ejuſdem. Interdum quæ in dextro latere remiſerant, renovabantur, brevi abſcedentes, & iterum redeuntes, modo tantum in una parte, modo in pluribus, & eo modo, ut ſanitatis munia, nihil, aut parum læderentur, dante onus Omnipotenti, ſecundum vitæ conditionem. Nunquam in latere dextro tot mihi fuerant dolores, neque unquam in clavicula, & ſterni parte ſuperiore, niſi jam à triginta annis, quo tempore, ortus eſt mihi dolor in medio ſterni, parte magis ſuperiore, non tamen moleſtus niſi cum ſternutatio excitaretur, in qua cogebar, ambabus manibus ſternum comprimere, ad impediendam doloris ex concuſſione acerbitatem, hujuſmodi dolor tota æſtate perſeveravit, hieme, evanuit: cum autem ſequenti æſtate iterum rediiſſet dolor, hieme verò quoque remiſiſſet, miratus ſum, quomodo tempeſtate doloribus magis opportuna, omnino abſcederet ejuſmodi affectus; contraria verò rediret: volvens animo quid cauſæ eſſet, ſuſpicatus ſum hunc dolorem fieri potius æſtate, eo quod ſudore diffluens, ſolutis globulis thoracem laxarem captando frigori, quo, ſudore refrigerato, & patrim in meatibus retento, fiebat mihi dolor; nec malè ſuſpicatus ſum; coacto enim, propter facilem ſtomachi, & totius lateris ſiniſtri refrigerationem, ab eadem fere cauſa, thoracem globulis aſtrictum omni tempore geſtare, non amplius dolor reverſus eſt: Nec mirum; nulli enim auxilio, ſanationem affectus hypochondrii quo per multos annos laboravi, & ſtomachi meliorem ſtatum acceptum refero, quam harum partium tutelæ caloris, mediante duplicato mantili, quo quotidie cingebar; Tanti eſt momenti ad ſanitatem, ſola caloris partium cuſtodia: præcipue dum ſudore diffluunt. Ego verò puer, ex capite, & reliquis partibus manante ſudore, prono ipſo, innumeris vicibus me in aquam demiſi; Depoſito galero, ſolutiſque thoracis globulis, quoties ſudor moleſtus erat, frigus collegi, non tantum puer, & adoleſcens, ſed etiam vir, quouſque caput, regionem ſtomachi, & hypochon-

Quanti ſit momenti ad ſanitatem conſervandam cuſtodia caloris.

 chon-

chondrium ſiniſtrum impenſe refrigerata ſenſi, ad quæ duo proxima, non parum fecit, ut opinor, inter ſudandum aquæ frigidæ potus; gutta enim tandem cavavit lapidem, ſed equile, ut communi fertur adagio, non clauditur, niſi cum fur equum abſtulerit. Poſt hæc omnia, primum in aliis, deinde in me, rerum uſu comprobata, neminem eſſe arbitror, qui cauſam antecedentem fluxionum proximam, in capite non ſtatuat. Qui autem huic ſententiæ refragabitur, accidet illi fortaſſe, ut cuidam hujus urbis Medico, nunquam in conſultationibus à me ſtare volenti, cum ageretur de origine fluxionum in capite ſtatuenda, qui nunc feſtina laborans, perenni lapſu in pulmones præcipitante, fatetur ſuo damno, ſe humorem pone aures ſentire delabentem in guttur, & pulmones, cum magno frigoris ſenſu in capite, ita ut libenti animo, calanticam capillatam geſtandam meo conſilio acceperit, cucupha ſuppoſita cum pulveribus cephalicis: Neſcio an his, & aliis auxiliis pthyſim effugere valeat.

De affectibus ſoporem inducentibus.

CAPUT III.

Varii affectus ſoporiferi

CAtaphora, Coma, Lethargus, Caros, Apoplexia, affectiones ſunt ſoporiferæ, quæ in hoc conveniunt, quod ſoporem morboſum inducant; differunt tamen ſecundum magis, & minus, propriiſque quibuſdam differentiis: Cataphora enim leviores habet cauſas; eſt autem quædam propenſio morboſa ad ſomnum, ſine febre, à verbo (*cataphéromai*) quod eſt deorſum feror, unde Cataphora, propenſio, lapſus, & maxime ad ſomnum apud Medicos. Coma, ut verbum ſonat, ſomnum profundum ſignificat: Cum autem pro omni Cataphora Coma ſumatur ab Hippocrate, & cataphora pro comate, non tam gemina nominum ſignificatio eſt inſpicienda, quam id ad quod ſignificandum, nomen eſt impoſitum: Coma igitur, ſeu Cataphora, maxima eſt ad ſomnum propenſio morboſa, ſine febre, ab humore frigido, & humido, cerebrum ex parte imbuente,

quid ſit Cataphora,

quid Coma.

cum

cum primarius eſt affectus; ſecundarius enim ſi exiſtat, ab humoribus, & ſæpius vaporibus; ex partibus inferioribus ad caput tranſmiſſis, poteſt eſſe cum febre, & à cauſa calida; imo etiam primarium Coma, quod etiam de Caro dicendum eſt: Si enim vapor calidus; ut fit à putredine vermium, hos affectus generat, ſi mitis, & expers acrimoniæ; quidni humor in cerebro, tali natura præditus; horum enim diſtinctio, eſt tantum ſecundum magis, & minus, cauſæ ſcilicet magnitudine, quæ gravis Carum, debilis verò Cataphoram invehit, quam Galenus duplicem ſtatuit; unam ſomnolentam, aliam vigilem, cum palpebras claudentes dormire nequeunt ægrotantes, propter calidi, & acris humoris, cum frigido immiſtionem, quorum ſunt contrarii effectus. Ego verò nullam talem eſſe Cataphoram vigilantem exiſtimo; nec ullius generis ſoporem, qui ex humorum ſimul mixtorum contrarietate gignatur: Si enim calidus humor miſceatur cum frigido, qualitas unius infringet qualitatem alterius, ſicut acris, à non acri retundetur, ex eorum enim mixtione, nec caloris effectus, & acrimoniæ, quæ vigilias inferre dicuntur, nec frigoris, quod una ex cauſis ſomni creditur, exurget; ſed quid tertium, neque frigidum, neque calidum, & acre, ut ſomnum morboſum, aut vigiliam inducere poſſint: Detur tamen hoc ita eſſe, claudere ſolum palpebras, non eſt dormire, licet claudantur in dormientibus; ſicut nec habere apertas vigilare; Alioqui lepores, qui apertis oculis ſomnum capere dicuntur, non dormirent; nec ægrotantes, quos ego vidi, apertis oculis omni ſenſu, & motu privatos, tanquam in extaſim raptos, ſomnifero affectu laborarent. Ex eo igitur quod ægrotans claudit palpebras, vel potius aperire vix poteſt, etiam ſi corpus moveat, dentes comprimat, offerentiumque pocula manibus avertat; non ideo duplex affectus æſtimandus eſt, ex ſopore, & vigilia mixtus; vigilant enim: Si autem palpebras claudunt, aut attollere nequeunt; non eſt hoc ab impotentia vigilandi, ſed ab imbecillitate facultatis palpebras aperire non valentis: neque apertis oculis jacentes ſine ſenſu, & motu, vigilant; ſed palpebræ, & fere etiam oculi, convulſivo affectu laborant, ex noxa principii, aut nervi affectu, materiæ tranſlatione; quæ in nervis acrimonia, aut qualitate illis infenſa

Cataphora duplex altera vigil, altera ſomnolenta a Galeno ſtatuitur.

Cataphoram dari vigilem, negat auctor.

ſa gignit convulſionem; in cerebri ſenſu experte, affectum ſomniferum. Neque ad hoc fingenda eſt duplex materia; una enim, id efficere poteſt, ut patet in liberaliori vini potu, quod & ſomnum profundum, & convulſiones gignit. Quare in curatione ſoporis vigilantis, ſive claudantur oculi, ſive aperti maneant, quod pejus eſt, duarum cauſarum non habenda eſt ratio, ſed tantum ſomniferæ, cujus maxime proprium eſt, violenta cohibitione animales ſpiritus detinere, ne cum impetu ferantur ad organa ſenſuum, unde ſomnus; deinde qualitate, cerebro, aut nervis infenſa, ſi qua ſit, convulſionem parere, ut accidit in ebriis, juxta doctrinam apho. 5. ſect. 5. qui derepente ſi obmuteſcant, convulſi moriuntur, niſi febre corripiantur, aut, &c. Quorum quidem convulſionem, non tam à vino replente, ut putat Galenus in expoſitione, quam ab ipſius acrimonia gigni exiſtimandum eſt; vino enim epoto, ſtatim vapor acris, & adurens, ut patet in aqua vitæ, cerebrum petit, ipſumque ferit, & nervos, varios excitans effectus, pro aſſumpti vini quantitate. Si autem materia virtutis hypnoticæ particeps, qualitatem aliquam malignam præ ſe ferat, ut vapor interdum à vermibus, convulſioni tamen efficiendæ ineptum; pro vi, & copia hypnoticæ materiæ, vel coma, vel carum inducet, & pro qualitatis cerebro infenſæ conditione, coma, quod vigil dicitur, in quo palpebræ clauduntur, ægrotus tamen non dormit; membra movens, & caput, ut vim porrigentium remedia eludat; unde (*typhomania*) dicitur talis affectus, minus tamen proprie; cum, inſolentia, & furor, ut verbum ſonat, in eo non appareat. Ex his conſtat duplicem eſſe ſoporem vigilantem; unum in quo oculi clauduntur, ægroti tamen non videntur dormire, propter jam dicta: Alium in quo oculi manent aperti, videnturque ægrotantes vigilare, alto tamen comate, & mortifero ſopiti jacent, velut in ecſtaſim rapti; ut ſupra diximus. Hic affectus carum ſemper habet adjunctum cum maxima cerebri noxa, ut patet ex oculorum, & palpebrarum convulſione: Coma autem vigil, in quo clauduntur palpebræ, licet cauſas habeat leviores, ſæpe tamen mortiferum eſt. Hujus cauſam inquirens, quomodo in quibuſdam, videretur aliquis dormire, in aliis autem vigilare, torſit animum ſæpe cogitatio:

Typhomania quid.

Coma vigil ut deſcribitur ut plurimum mortiferum eſt.

tio: Tandem ex plurium ægrotantium obſervatione, perſuaſus ſum in comate vigili, partem cerebri, maxime anteriorem, circa frontem, & oculos, vapore aliquo, aut humore imbutam, non tamen multo, & craſſiori, alioquin carus fieret, in quo nullus eſt motus, ſalva reſpiratione, quemadmodum in comate vigili: Quo quidem vapore, aut humore, liberum ad palpebras, & oculos, ſpirituum acceſſum prohibente, non attolluntur præ impotentia palpebræ, cum depravata ad hoc imaginatione, unde motus præter rationem; non autem abolita, ut in caro: Qualitate tamen hypnotica gravior quædam jungitur qualitas in comate vigili, quæ contrariorum effectuum cauſa, eſt vitæ diſcriminis, licet ſit tantum una, ut ebriorum exemplo ſupra demonſtravimus; ſicut & in caro, in quo oculi manent aperti, qui vigil dici poteſt, ad differentiam alterius, minus tamen proprie, quam in comate vigili; cum in illo nullæ ſint qualiſcumque generis actiones vigilantium, ut in comate vigili, ſed tantum oculorum, & palpebrarum convulſio, ex gravi noxa cerebri, ab una, & eadem cauſa, quæ ſoporem, & convulſionem facit, ut ſupra explicavimus, & nuper vidimus in puerulo quatuor annorum, qui gravi caro oppreſſus, oculos habebat apertos, convulſis etiam brachiis, præcipue autem ſiniſtro, propter cerebri in eo latere, ſubſtantiæ corruptionem; Diſſecto enim cranio, inventa eſt in baſi ipſius cerebri, veſica alba, ovi oblongi figura, & magnitudine, cum ſubſtantiæ cerebri corruptione in latere ſiniſtro, in quo partium major erat convulſio; qua quidem veſica à Chirurgo aperta, reſilivit ad oculos fere inſpicientium, aquà in ea contenta. Sicut etiam carus diſtinguitur à quibuſdam, in morboſum, & non morboſum; ſic etiam poſſet quiſpiam aſſerere, majori autem jure, cataphoram aliam eſſe morboſam, & aliam non morboſam: ſed omnis cataphora, & omnis carus, morboſus eſt, quamvis maxima ad ſomnum propenſio, & omnis ſomnus profundus, poſſint eſſe à cauſis præter vel ſecundum naturam; Qui enim arctiſſime dormit, ſi cauſa non eſt morboſa, nunquam caro laborare dicetur, etiam ſi ſit à vino epoto, dummodo naturæ leges ſomnus non excedat; iſta enim nomina, ſolis affectibus præter naturam ſignificandis indita ſunt, potius quam actionibus naturæ demonſtrandis. Lethargus inexpugnabilis eſt dormiendi cupiditas,

Puer oppreſſus Caro & oculos habens apertos.

Lethargus quid.

ditas, propenſioque major ad ſomnum quam coma, & cataphora, cum febre lenta, cauſam habens pituitam putreſcentem in cerebri ſubſtantia: Quia autem ſomnus, qualiſcumque generis ſit, ſed præcipue morboſus, cogit nos eorum oblivíſci, de quibus admonemur; ideo gravis iſte ad ſomnum lapſus, dictus eſt lethargus à (*léthe*,) oblivio, & (*argòs*) ſeu potius (*aergòs*, nihil agens, quaſi iners oblivio. Carus eſt ſomnus profundus ſine febre, ut fertur communi opinione, à frigida, & humida cerebri intemperie, orta à pituita, ſuperiores, ut quibuſdam placet, ejus ventriculos occupante; & hic primarius eſt, & ſimplex: Qui verò fit per conſenſum, eſt à vapore humido, & magis craſſo quam in comate, febrem ſæpe habens adjunctam, quæ etiam in primario interdum reperitur; neque enim eſt de eſſentia cari, eſſe ſine febre; qui enim à putredine vermium gignitur, ſemper eſt cum febre, niſi maligna anathymiaſi, facultatis vitalis robur evertat, in aſphyxiam ſæpe deſinens. Sicut etiam coma fit in acceſſione quarundam febrium; ſic quandoque carus, cum materia craſſior eſt, ut à vapore pituitæ vitreæ putreſcentis, qui quidem ſæpius repetens, fere lethalis eſt, præcipue in ætate provectis, & ſenibus. Fit etiam carus in fine convulſionum epilepticarum; cujus cauſa, videtur eſſe ſpiritus animalis exolutio, potius quam humor, aut vapor; in eis enim valde laborans cerebrum, manet defatigatum, & quaſi attonitum, non valens ſufficientes ſpiritus conficere, nec transfundere cum impetu ad organa ſenſuum, quouſque paulatim vires recipiat; Quod etiam accidit in magnis cerebri concuſſionibus, in quibus attonitum remanet aliquo temporis ſpacio, quaſi ſomno ſopitum. In apoplexia ſomnus profundiſſimus eſt, ſine motu, & ſenſu, ut plurimum ſine febre, cum reſpirationis læſione, qua præcipue diſtinguitur à caro, in quo nulla eſt, aut parva reſpirationis læſio, quæ à ſtertore dignoſcitur, qui quo major, eò gravior reſpirationis læſio, & apoplexia periculoſior: Vidimus tamen affectum ſomniferum, & mortiferum, cum maxima reſpirationis læſione, qui apoplexia dici non poterat, de quo ultima enarratione. In his omnibus affectibus ſubſtantiam cerebri primario affici, & ſecundario ventriculos exiſtimandum eſt: Vapor enim dum coma, aut cataphoram gignit,

Carus quid.

Differentia inter Apoplexiam & Carum.

quaſi

quaſi verò rectà petat ventriculos, & illis ſolis immoretur; partes potius cerebri ſublimiores occupabit, deinde proximiores, totum denique cerebrum, ſi multus affluat. Præterea ſi cum ſubſtantia cerebri pituita perfunditur, ut in lethargo omnes fatentur, ſomnus inexpugnabilis invehitur, quo magis irrigabitur, eo ſomnus profundior; Et quo frigidior, & craſſior materia, eo gravior affectus, & ſolutio difficilior: Ideo in lethargo, non ita ſopiuntur ægrotantes, quin reſpondeant ad inclamationes, & vellicati expergefiant, quamvis ſtatim ſomno deprimantur, quod in caro non fit, quia in eo major eſt cerebri irrigatio: Quamvis autem in utroque affectu materia ſit frigida, in caro putrefactione non incaleſcit; Ideo in illo humor frigidior, & ſomnus profundior, à quo non excitantur, niſi à ſymptomate liberentur, licet admotis cucurbitulis, & carne diſſecta ſentiant, & corpus moveant. In apoplexia major eſt quam in caro cerebri ab humore perfuſio; ita ut & ſurſum, & deorſum irrigetur: nec ſoli ventriculi afficiuntur, ut quidam volunt, ſed ejus ſubſtantia multa humiditate frigida, & craſſiore, quam in caro oppreſſa, partem transfundit ad ventriculos, excretioni paratiores; unde creduntur poſtea ventriculi, ab inſpicientibus in diſſectione cadaverum, potius affici, quam cerebri ſubſtantia. Hæc autem præſertim dicuntur de apoplexia, quæ generatur in cerebro; in univerſum enim, quidquid animales ſpiritus violenter cohibere poteſt, ne ullo modo, aut ſaltem perexigue, ferantur ad organa ſenſuum, apoplexiæ cauſa dici bebet, ſive ſit humor, ſive vapor craſſus, ut à carbonibus accenſis, aut à muſto, in cellis vinariis tempore vindemiarum efferveſcente; aut aliquid aliud. Utinam cerebrum in hoc affectu, laboraret ſolum tanquam pars organica, non eſſet tam difficilis ejus ſolutio, uti eſt, cum viæ à ventriculis pateant, excrementis etiam craſſioribus. Minus probatur mihi ſententia eorum, qui à ſola intemperie frigida, apoplexiam quoque fieri exiſtimant: Cum enim intemperies ſubito non fiat, ſed paulatim, impoſſibile eſt, quin tempore accerſat materiam. A frigore externo, apoplexiam ſubito quidem invehi, fatendum eſt, humoribus intro propulſis; ſola autem refrigeratione ſine materia, nequaquam, fieret potius catalepſis, ſi intemperiem frigidam,

Quicquid ſpiritus animales cohibet ne in organa ſenſuum influant, poteſt eſſe cauſa Apoplexiæ.

Qui fiat Catalopſis.

 gidam,

gidam, & ſiccam cerebri, cauſam habere credamus: Hunc tamen affectum, inter ſomniferos proprie non recenſemus, cum quidam eorum videant, obloquantur, & recordentur eorum quæ acta ſunt. Magis videtur redolere, ſpeciem quandam convulſoriæ diſpoſitionis, cum corpus in eo rigidum maneat, apertis oculis, ſi aperti erant, & totum corpus in eodem ſtatu, in quo deprehenſum eſt à ſymptomate: Quod ſi vehemens fuerit, ſenſus omnes prehenduntur, & extaſis quædam videtur; Cum verò de vehementia remittit, interdum nonnihil vident, ſubaudiunt, & obloquuntur, ut jam diximus: Spirituum animalium in cerebro, & toto corpore congelationem dicas, non tamen perfectam, mors enim ſequeretur; ſed tantam, ut ad motum, & ſenſum ſint inepti, excepta reſpiratione. Hæc ſpirituum rigida detentio, ſeu congelatio, ut quidam vocant, nec à frigida cerebri intemperie, ut placet Galeno, primo & per ſe, nec à ſubita refrigeratione, nec à ſanguine, ut vult Aëtius, nec ab humore melancholico ſimpliciter, ut communis eſt ſententia, invehitur. Primo quidem à ſubita refrigeratione, immediate fieri nequit catalepſis; frequentius enim accideret, cum frequentiſſime caput refrigeretur. Ab intemperie frigida & ſicca, multo minus, ſubitò enim fit catalepſis, & deſinit; intemperies verò pedetentim, & ægre tollitur. Omnium minime probabitur, ſanguinem calidum, & humidum, hujus affectus cauſam eſſe, etiam ſi à quibuſdam plenitudine, aut craſſitie diſtendere dicatur; Quoties ſanguinis plenitudo, aut craſſities, ſine catalepſi? Similiter dicendum de humore melancholico, ſi ſpectetur, ut natura frigidus, & ſiccus: Rudis eſt hæc, & corti ce tenus, rei tam abſtruſæ cauſarum indagatio, proximam conſtituere in qualitatibus elementariis, aut in plenitudine, ſeu craſſitie alicujus humoris: Quemadmodum lactis coagulatio, non à frigidis, ſed à proprietate ſpecifica cogentis; Sic ſpirituum illa in cerebro, & toto corpore rigida detentio, quæ ſpecies coagulationis eſt, nec à ſubita refrigeratione, aut intemperie frigida, & ſicca, nec à melancholia, niſi corruptione, aut alia quapiam alteratione, qualitatem illam induat figendi ſpiritus, ut quaſi congelati, aut coagulati immoti permaneant, & partes ab ipſis illuſtratæ; quemadmodum ſal illud Glauberi, de-

A ſubita refrigeratione non fit Catalepſis, ut nec ab intemperie frigida.

de quo in ſua Appendice generali, centu, 2. arcan. 34. & 35. quod liquores paucis horis, in dura fruſta glaciei ſimilia coagulat; ſpirituum tamen, propter ſubſtantiæ tenuitatem, non poteſt eſſe tanta coagulatio, ideo cito ſolvi poteſt; quo autem fortior, eo omnium ſenſuum interceptio major, & lethalior affectus: In quo ſane non eſt opus, ut humor ille jam dictæ qualitatis parens, ſeu vapor, totum cerebrum, aut majorem illius partem occupet; ſufficit, ut in epilepſia, quod ex quadam ſede, licet parva, qualitas illa transfundatur, qua omnes ſpiritus ſubitò comprehenduntur; eſt enim catalepſis comprehenſio, ſicut catoche detentio, quæ apud Recentiores idem ſonant; quamvis Antiquioribus non item. Vide Galenum, & Neotericos. Hic affectus, eſt omnium qui in Medicina tractantur, admiratione maximè dignus, atque rariſſimus: mirum enim quomodo factus, citò ſæpè deſinat; multoque magis, quomodo toto cerebro, & reliquo corpore rigida detentione affectis, ſtet ſalva reſpiratio. Non poſſum hic afferre, niſi quod ſcriptum eſt cap. de diffic. ſpirand. Pulmones naturalem quamdam vim habere ſe ſe movendi, qua ſervantur apoplectici ad quoddam tempus, & dies; ſic & cataleptici. Sed de hoc affectu, cum raro veniat curandus, hactenus ſatis. Ut autem horum omnium affectuum ſupradictorum ſoporem inducentium, accuratior notitia haberi poſſit, ſomni naturalis conditio apprime tenenda eſt, ut contrarii oppoſitione facilius innoteſcant. Somnus naturalis apud Galenum, dicitur converſio nativi caloris ad alimentum, ex fatigatione, & ſiccitate: At ſomnus naturalis alias habet cauſas, & proximiores, præter ſiccitatem, & fatigationem, quæ ſub una ratione formali continentur; Ideò à quibuſdam definitur, & recte, placida cohibitio ſpirituum, ne cum impetu ferantur, ad organa ſenſuum; ſive extrinſecus hoc adveniat, à cantu, aquarum murmure, motu cunarum, aut lecticæ; ſive hoc fiat intra corpus, à vapore eſculentorum, & potulentorum; ſive hoc fiat à vi ſola cerebro innata; cum laboribus, & vigiliis ex hauſti ſpiritus; non velens enim affatim, & cum impetu, novos continuò transfundere, recipit ſe in gremium ſuum, ut præteritam illorum jacturam reſarciat, unde ſomnus, qui fit leni ceſſatione tranſmiſſionis,

Catalepſis & Catoche, a veteribus pro diverſis habitæ ſunt affectibus.

Lib. 3. de cau. pul.

Somni naturalis cauſa & conditio.

quæ cohibitio dici poteſt, & converſio Galeni, nativi caloris ad pabulum. Si igitur placida cohibitio, animalium ſpirituum in cerebro, naturalis ſomnus eſt; violenta, ſopor præter naturam erit. Quæ ſi levis cataphoram invehet; ſin ultra, & cum febre, lethargum; ſi gravior, & ſine febre, carum, licet etiam febris cum eo eſſe poſſit: Si graviſſima ſit ſpirituum cohibitio, ut illis via fere, aut omnino obſtruatur ad organa ſenſuum, apoplexiam faciet, quæ etiamſi debilis, difficile ſolvetur. His ita dilutis, & apertis, ad curandi rationem veniamus, incipientes ab apoplexia, in qua tanquam in affectu præcipiti, ſtatim à venæ ſectione incipiendum, è cephalica, ſi appareat, vel mediana, lateris à quo fiebant fluxiones, aut hemicraniæ, ſi his ægrotus per ſanitatem erat obnoxius; ſin minus, è latere dextro: Nec formidandum quod à quibuſdam ſcribitur, ſectionem venæ, vel occidere, vel liberare; facta enim cum prudentia, virium ſcilicet, & ætatis habita ratione, primum nunquam eveniet ratione evacuationis, nec ſecundum niſi rariſſime, & ſuccedente ut plurimum paraplegia, quæ ſæpè in priorem affectum recurrit. Præterea venarum turgentia, & modus ſanguinis reſilientis, utrum parum, aut multum ſit detrahendum indicabunt: Quapropter; licet non conſtet de plethora, & morbus ſit frigidus, venæ ſectio ſemper eſt imperanda, ut ſaltem ſanguinis miſſione commotis humoribus, & ſopitis ſpiritibus excitatis, quæ obſtruunt, etiam moveantur. Inſuper quædam apoplexiæ ſpecies eſt, ex Hollerio, quam ſanat ſubita, & diligens ſanguinis detractio: Quod etiam confirmat Zacutus, obſ. 20. lib. 1. prax. miran. & lib. 1. Hiſtor. Medic. princ. obſ. 31. Sicut & de ſanato apoplectico, admotis cucurbitulis in occipitio, cum profunda ſcarificatione, prius acri enemate injecto. Ideò non eſt expectandum, ut enema injiciatur, ſed dum paratur, ſtatim ab his quæ potiora putantur, incipere oportet. Si à prima venæ ſectione pulſus fiat melior, & reſpiratio ſit facilior, iteranda eſt ex altera cephalica; ſin hæc deteriora, omittenda, & loco ejus cucurbitulæ cum profunda ſcarificatione ſcapulis ſunt affigendæ, parte jugularium, proximiori, injecto, & rejecto enemate poſt primam venæ ſectionem, quod ſic parari poteſt.

Hippo. appo. 42. ſect. 2.

Cura Apoplexiæ incipienda a venæ ſectione.

Licet morbus ſit a cauſa frigida tamen vena ſecanda.

Et ſtatim acre Enema injiciendum.

℞. Her-

℞. Herbar emoll. centau. minor. mercur. orig. puleg. abſyn. ana m. flor. chamæm. & melil. ana pii ſem. ani ℨj. fiat ex his decoct. Acc. ℔j. tantum, diſſol. diaphœ. & hieræ diacol. ana ℨiij. olei rut. & chamæm. ana ℥iß. mellis deſpu. ℥ij. ſalis gem. ſcrup. j. fiat enema, à quo acrius parabitur mox deſcribendum. Interea decoquatur pulegium cum pipere in aceto; & calidum frequenter narib. admoveatur, ut vapor inſpiratione ad cerebrum introducatur. Fiant aſperæ frictiones extremorum, & dorſi, præcipuè autem colli. Cieantur ſternutamenta pulvere hellebori, cum quo modicum caſtorei ſit admixtum, aut decoquatur hellebori radix cum foliis ſampſuci, ut cap. de doloribus capitis ſcriptum eſt, & turundis in decoctione calida madefactis, narium interiora illinantur; quamvis hoc genus auxilii non probet Jacotius, in ſcholiis ſupra Hollerium, cum ſit humor, inquit, in corpore cerebri, non autem in ventriculis: Verum quidem eſt, ſternutamentis facilius educi excrementa quæ in ventriulis detinentur, ſed cum ſubſtantia cerebri, in hoc conatu tota concutiatur, quod in ipſa infarctum eſt, etiam deturbari poteſt, aut loco dimoveri, facilius poſtea trahentibns, aut expellenti naturæ ceſſurum. Præterea inſerviunt ſternutamenta ad morbi, ſeu ſymptomatis gravitatem agnoſcendam; utrum ſcilicet, facultas ſit valde ſopita, nec vim eorum ſentiat, ſicut nec cucurbitularum applicationes; quamvis parum fidendum, etiam ſi natura non videatur multum ſopita. Ejecto priori enemate ſupra ſcripto, aliud injiciatur acrius, cujus hæc poterit eſſe deſcriptio.

Frictiones aſperæ conveniunt, ut & ſternutatoria.

℞. Rad. cyp. & valeria. ana ℥j. folior. alth. mercur. cent. minor. orig. puleg rutæ, abſyn. Lauri ana mj. ſummit hyſſo. & ſalv. flor. chamæm. & milil. ana m. ß. flor. anth. & lavend. ana pii. ſem. ani. & cumi. ana ℨj. bacc. lauri, & junip. ana ℥ß. fiat ex his enematis decoctio. Acc. ℔iß. diſſolve diaphæn. & hieræ diacoloc, ana ℨiij. olei rut, & mellis anthos. ana ℥ij. ſalis gem. ℨß. fiat enema, cui addi poteſt in decocto croci metall. ℨß. & amplius; aut fiat decoctio ℨj. ejuſdem croci, in vini albi ℥iij. quæ colatæ cum enemate miſceatur; Et ſi valentius enema deſideres, colocynth. & radicis ellebo. nigri ana ℨij. cum aliis decoquantur.

Deſcriptio Enematis contra Apoplexiam.

His

His omnibus brevi tempore paractis; quam primum fieri poterit, decernatur medicamentum purgans, quacumque hora, in hoc enim affectu, temporum anguſtiis urgemur; quod quidem validum eſſe oportet. Vulgare fit, ex ℥j. ſcrup. iiij. fortiorum pilularum coccia, aut aggregat. & gr. iiij. caſto. in aqua vitæ diſſolut: Ego verò probarem potius doſim merc. vitæ, v. g. gr. vj. aut vini emetici, ſi deſint.

Purgans & vomitorium contra Apoplexiam.

℞. Vitri antimo, à gr. iiij. ad vj. aut jecor antim. à gr. vj. ad xij. pro viribus ægrotantis, decoque in vini albi ℥iiij. ad quartæ partis conſumptionem, colaturæ adde aquæ cinamomi ℥ij. & propinetur. Si injecta enemata præter rationem moram faciunt, ſollicitanda eſt dejectio acribus balanis, adjiciendo in communibus pulverem hieræ diacoloc. cum ſale gemmæ; vel incidatur fruſtulum ſaponis in formam glandis. Interea ſi habeatur aqua D. de Candale, aut aliqua imperialis dicta, immittatur in guttur deglutienda: Poteſt in hunc finem piper pulveratum ad ʒß. infundi in ſpiritu vini, ℥iij. cum pugillo foliorum pulegii minutim inciſorum, & uſu ut alia recipi, quarta quoque hora repetendum. Applicetur quoque cucurbitula, exemplo Fracaſtorii, raſo capiti, ea parte qua ſutura ſagitalis occipitali jungitur, fiantque profundæ ſcarificationes & breves, ut arteriæ, quæ aliquando negotium faceſſere ſolent, minus attingantur. Cuncurbitulis remotis, loco ſartaginis candentis, foveatur caput decocto ſimplicium cephalicorum in vino, & aceto, ut infra dicetur confecto, vel ut ſcribitur in ordine alphabetico. Quidam Practici, non timent venas jugulares aperire, quod non vacat periculo, propter hæmorrhagiam, & ligaturæ incommodum, magis ſcilicet impedita reſpiratione, cujus potiſſimum defectu pereunt apoplectici; Sed hæc apud illos fiunt cum cautione, leviter enim fit ligituræ conſtrictio; anguſto foramine fit apertio, à qua ſtatim ſolvitur ligatura, vulnus miſtura Galeni occluditur, quæ componitur ex thuris pii, aloës pi, ſubactis cum ovi albumine & pilis leporinis, è ventre præcipuè detractis, minutiſſimè inciſis. Verum ſi una ſalus in hoc præſidio, quare tam inſolens. Ego quidem, etſi exempla afferantur, eorum qui hac apertione evaſerunt; paucos, & nullos exiſtimo, vera detentos apoplexia

Cucurbita in ſutura ſagittali applicetur, cum ſcarrificatione.

Non nulli medici venas jugelares aperiunt, ſed cum periculo.

Lib. 5. de Meth. med.

xia liberari, niſi in ea ſpecie, de qua ſuprà ex Hollerio, & Zacuto, quam per ſimilitudinem apoplexiam dici facile crediderim: Multi enim Medici, non curant ſæpiſſimè propria quorumdam ſigna perpendere, hominemque caro laborantem apoplecticum affirmabunt, ſicut & in aliis affectibus, in quibus curatio minoris eſt gloriæ, ſi alio nomine vocentur. Multi etiam inter dormiendum ſtertunt; quantò magis ſi caro laboraverint; Fallax itaque erit in iis, ſicut & in quibuſdam aliis, diſtinctionis ſignum quod affertur à Medicis, inter carum, & apoplexiam, quod dilucide patebit, ex ſcriptis in ultima enarratione hujus capitis. Quod autem traditur à quibuſdam, venas jugulares tundendas, quia ipſæ in apoplexia obſtruuntur, ideoque apoplecticas dici; commentum eſſe exiſtimo, magna enim vaſa non obſtruuntur; implentur quidem, & tument, exiſtente plenitudine: Sed detur venas jugulares poſſe obſtrui, quid tum? Spiritus animalis non fertur per eas, ſed alimentum; niſi jam nunc recepta de circulatione ſanguinis doctrina, hunc dicas ab arteriis, ſuſceptum per jugulares, ad cor præcipitare, quarum obſtructione ſubmergitur, & oppletur cerebrum, impedita ſpirituum libera tranſmiſſione; obſtrui tamen jungulares, ut exiles venas, à materia craſſa, & tenaci, nemo conceſſurum arbitror; Si enim internæ jugulares obſtruerentur, quid juvaret externarum apertio: Dicamus igitur, ſolo ſanguinis plenitudine diſtendi, & oppleri jugulares, ſicut & capitis vaſa, liberumque ſpiritibus motum impediri, quem ſubita, & diligens ſanguinis detractio reſtituit, ut ſupra diximus ex Hollerio. Idem dicendum de obſtructione carotidum, non autem de ea, quam gigni in rete admirabili docet Fernelius, quam fieri poſſe concedimus; Ideo arterias juxta mandibulæ articulationem tundendas juberem, quarum apertio vacat periculo, potius quam jugulares; potiſſimum in illa ſpecie, quæ fit à redundante ſanguine, ut conſtat ex illo juvene apud Aëtium, cap. de catalepſi, quem ſanguinis fluxus è naribus, quarta die ſuperveniens liberavit; Et ex illa nobili muliere, quam Sacutus Luſitanus ſanitati reſtituit, venæ ſectione quater repetita, octo horarum ſpatio, ſumpta indicatione à menſibus tunc temporis fluere ſolitis: Ideo Hali Abbas abſtinet

Venæ Jugulares non obſtruuntur, ſed quidem replentur.

Lib. 5. Pathol. cap. 3.

Hali Abbas abſtinet a venæ ſectione, niſi turgeant.

net à ſanguinis miſſione in apoplexia, niſi venæ turgeant, quia tunc non fit à ſanguinis copia, quod in curanda apoplexia maximè eſt conſiderandum; multa enim ſanguinis copia, cauſa exiſtente, nocerent, ut ſartago ignita, ad cerebrum calefaciendum, & fundendos humores frigidos, dropax, phœnygmi, veſicatoria, fotus herbarum cephalicarum, & alia caput calefacientia, à quibus cauſa exiſtente ſanguinis plenitudine abſtinendum: E contra verò in ea ſpecie, quæ frequentior eſt, parum aut nihil juvat venæ ſectio, quam genuit humor frigidus, & pituitoſus, cerebri ſubſtantiam replens; tempus autem anni, ætas, & temperamentum ægrotantis, venarumque turgentia, qualis naturæ ſit apoplexia indicabunt. In caro, eadem curatio adhibetur quæ in apoplexia, minori tamen cum præcipitatione omnia fiunt, cum res non ſint in tanto diſcrimine. Verum ſi fiat per conſenſum, habenda eſt præcipuè ratio loci, à quo vapor aſcendit; Si ab ſtomacho, vermes fere ſubeunt, aut eſus rei cujuſdam ſoporem inducentis præceſſit, ut cicuta, fungi, opium, vini potus; aut, ut accidit in convalituris, facultas nimio cibo opprimitur. Si igitur aliquid ore ſumptum eſt ſoporiferum, vomitu rejiciatur, ſi adhuc in ſtomacho contineatur; Si verò prolapſum eſt ad inteſtina, enematibus advocetur acribus, aut medicamento purgante deturbetur, deinde ventriculus, & caput antidotis roborentur: Putredo ſi ſcateat in inteſtinis, enematibus etiam, & purgante pharmaco, cui aliquid contra vermes ſit impoſitum, foras propellatur: Ab hypochondriis extra inteſtina, non fit carus, niſi in quibuſdam febribus à putredine, quarum fomes in illis ſubeſſe exiſtimandus eſt; qui quidem carus, augetur febre invaleſcente, & remittit declinante: Hic non indiget curatione, niſi qua febris profligatur; Sicut qui ſymptoma hyſtericæ paſſionis eſt, & qui vulneribus quibuſdam capitis ſupervenit, curatur ſublata cauſa efficiente. Quæ de caro curando dicimus, eadem prorſus in cataphoræ curatione, & comatis obſervanda ſunt; cum ab eadem cauſa, ſed debiliori, ut antea diximus, procreentur, ſicut & lethargus, qui cataphora cum febre dici poteſt: Ex qua apertiſſimè conſtat, lethargum nunquam fieri à ſimplici intemperie frigida, ut quidam ſcribunt, cum intemperiem frigidam, per ſe febris eſſe cauſam,

In Caro eadem adhibetur curatio, quæ in Apoplexia,

ut & in Cataphora & Comate.

ſam, ſit impoſſibile; Ideo in ejus curatione, prius habenda eſt ratio pituitæ putreſcentis in cerebro, & febris, deinde frigidæ intemperiei, ſi qua ſit: Ratione igitur febris, aut ſola revulſionis gratia, venæ ſectio eſt adminiſtranda, prius injecto enemate, ſanguiniſque è cephalica detrahendum, quantum vires, ætas, plenitudo; & morbi natura, ferre videbuntur: Cætera deinde obſerventur ſine præcipitatione, ut de apoplexia ſupra diximus: Cum enim omnes hi affectus ſoporiferi ſint cognati, ſolumque differant ſecundum magis & minus, propriiſque quibuſdam differentiis, ut antea diximus, curatio unius alteri adhibetur, pro uniuſcujuſque cauſæ, & ſymptomatum varietate. Quare prius de apoplexiæ curatione egimus, quæ præ cæteris fortiorem habet cauſam; ut ex ea ſumatur, quod aliis affectibus ſoporiferis congruum videbitur, pro uniuſcujuſque cauſæ, & ſymptomatum differentiis. Qua propter in lethargo, quia febris comitatur, multi reſpuunt impenſe calefacientia capiti admota, ut dropaces, phœnygmos, ſinapiſmos, & veſicatoria; Alii verò utuntur: Hujus rei deciſio, ſumi debet ex febris natura, quæ ſi parva, conceduntur, ſin minus, abſtinendum; Omnia autem prudentia Medici adminiſtrari debent, qui ad ea quæ magis urgent, convertere ſe didicit: cujuſcumque tamen naturæ ſit febris, cucurbitulæ cum ſcarificatione vertici impoſitæ, in omni affectu ſoporem inducente conveniunt, cujus cauſa eſt in capite. Practici utuntur in lethargo oxyrhodinis, quæ nihil, aut parum videntur profutura; mallem ego uti fotu capitis ex decocto ſequenti univerſalibus præmiſſis,

Affectus ſoporiferi non differunt niſi ſecundum magis & minus.

℞. Rad. cyp. valeria acori ana ℥j. folior. beton. ſampſ. ſalu. puleg. hyſſo. calam. orig. ana mi, flor. chamæm. & melil. ana pii, floru roriſm. ſtœc. & lavend. ana pi, bacc. lauri, & junip. ana ℥ß. fiat ex his decoctio in aceto, & caput raſum, ab applicatione cucurbitulæ calide foveatur; multum laudat hoc remedii genus Riverius, in omni affectu ſoporifero. Quidam diſtingunt lethargum in idiopathicum, & ſympathicum; Idiopathicum verò, in eum qui fit primo, & per ſe, & eum qui alteri morbo ſuccedit: Ego verò tantum unam ſpeciem lethargi invenio, qui fit ex nimia irrigatione cerebri pituitæ putreſcentis. Si enim lethargus fiat ex hujuſmodi pituita putreſcente

Fotus ex herbis cephalicis.

ſubſtantiam cerebri irrigante; in affectibus autem ſoporoſis per conſenſum, nulla eſt pituita putreſcens, ſicut & in lethargo qui phrenitidi ſuccedit: Cur talis affectus, carus, coma, aut cataphora, potius non dicetur, quibus etiam febris interdum jungitur: In his itaque pituitæ putreſcentis in cerebro non eſt ratio habenda, ſicut in vero lethargo: ſed focus in partibus inferioribus exiſtens ſubtrahendus; vel naturalis cerebri calor, præcedenti inflammatione exolutus, refocillandus antidotis, & fotu herbarum cephalicarum in aqua aut vino, vel in ambobus, ut per febrim licebit, parato, addita octava parte aceti. Cum autem materia aliqua eſt expurganda, ſacculus ex baccis lauri, & rad. hellebori nigri, ana, ſi decoquatur in prædicto decocto, & poſt fotum ſuturæ coronali applicetur, ut docet Hartmannus cap. de mania, facile crediderim ægrotos hujuſmodi ſopore oppreſſos, non parvam utilitatem percepturos. Zacutus in hunc finem, retro aures pyrotica apponit. Vide obſervationem de lethargo lib. 1. praxis hiſtor. cap. 1. Et lib. 1. praxis miran. obſer. 17. de lethargo, ferro candenti excitatis cruſtulis in vertice, occipitio, & circumcirca, curato. Quod autem ſpectat ad purgationem in curatione lethargicorum, à multis non probatur in principio, medicamento præcipuè valido; fortaſſe propter authoritatem Hippocratis lib. 3. de morb. Cum moriturus, inquit, eſt lethargicus, multum, atque id liquidum infrà egerit. Sed hac de cauſa, non exiſtimo à purgatione eſſe abſtinendum à principio; Imo forti utendum, ut humor ille putris citò educatur, cum intra ſeptimum diem, qui lethargo laborant moriantur; Quod ſi moriturus, multum atque id liquidum infrà egerit, facultate retentrice cum toto pereunte, quod mirum non eſt: In principio igitur, aut nullo modo, propter morbi brevitatem poteſt decerni purgatio in lethargo. Sic experientia edocti ſententiam Hippocratis accepimus.

Poſt aures cum fructu applicantur pyrotica.

PROGNOSTICA.

COma quod virium imbecillitatem ſequitur, valde exitioſum; ſicut quod morbos calidos, & ſiccos ſequitur, ut poſt phrenitidem, & in quibuſdam febribus.

Coma minus periculoſum, quod à frigida intemperie ſola pen-

pendet, quam quod à frigida, & humida; & hoc minus quam illud, quod fit à contrariis intemperiebus.

Carus ſemper malus, & comate pejor.

Carus à vulnere capitis, malus.

Lethargicus intra 7. dies moritur; ſi hos evaſerit, ſervatur.

Tremor in lethargo lethalis.

Lethargus parotide exorta, aliquando ſanatur.

Lethargus peripneumonia periculoſior. Gal. lib. 4. de cau. pulſ.

Lethargus fit ut plurimum, nullo præcedente morbo; aliquando poſt phrenitidem, calidiori, & ſubtiliori materia reſoluta.

Cum moriturus eſt lethargicus, multum, atque id liquidum infra egerit. Hippo. lib. 3. de morbis.

Catalepſis lethargo periculoſior.

Catalepſis à melancholico ſucco, difficilius curatur, quam quæ fit à ſanguine, & curata fere in melancholiam deſinit.

Apoplexia morbus acutiſſimus.

Apoplexiam fortem ſolvere eſt impoſſibile, debilem verò difficile. aphor. 42. ſect. 2.

Raro quiſpiam evadit ex apoplexia, ſine partis alicujus reſolutione; quod ſi omnia membra reſoluta ſint, cito rapiuntur; Quidam in apoplexiam iterum incidunt.

Quicumque ſani capitis dolore de repente corripiuntur, & ſtatim muti fiunt, & ſtertunt, intra 7. dies moriuntur, niſi febris prehenderit. Hippo. apho. 51. ſect. 6.

Non minus periculum pendet aliquando ex febre, quam ab ipſa apoplexia, ex Aretæo.

Raro febris apoplexiæ ſupervenit.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

PRofectus in vicinum hujus urbis oppidum, allaturus opem mercatori gravi ſomno ſopito, qui lethargi limites videbatur excedere; nihil enim ad inclamationes reſpondebat, vellicatus tamen ſentiebat grunniens: Curationem ſtatim à venæ ſectione orſi ſumus, enemata injecta ſunt; circa veſperam, cu- *Lethargus feliciter curatus.*

curbitulæ cum profunda ſcarificatione, ſcapulis, admotæ ſunt; ſequenti die mane ſcammonii præparati gr. xiiij. cum gr. iiij. caſtorei, in aqua betonicæ juſſi propinanda, quibus venter optime dejecit: Juſſi abiens ut magnum veſicatorium ſcapulis imponeretur, à quo ſolo excitatus eſt à ſopore, ut vulgi erat opimo, qui ſalutem, aut mortem, tribuit ultimo remedio quod adhibetur.

Observatio II.

Lethargus ab incenſis carbonibus in cubiculo clauſo.

MAſſiliæ P. quidam ordinis Sancti Augnſtini, cum ſe lecto reciperet, accendit carbones in angulo cubiculi; tabularum enim non ex aſſeribus, ut in hac regione, ſed ex ſolo gypſo conficitur tignis incumbente. Cum autem rei neceſſariæ ad conficiendum panem, cura eſſet ei demandata, eſſetque hac de cauſa, die ſequenti ante lucem ſurrecturus; ſtatuto tempore elapſo, venit Frater ad oſtium, dormientem, ut putabat, excitaturus, cui fortiter pulſanti nihil reſpondit, altiſſimo quippe ſomno depreſſus: Res ad P. Priorem delata, venit ipſe, oſtium vi aperiendum jubens, quo aperto, inventus eſt Pater jacens in lecto, oculis clauſis, librum ſecundum ſe apertum habens, lampade extincta prope lectum clavo affixa; legentem enim carbonis vapor ſenſim invaſerat, gravi ſomno ſopitum detinens, à quo inclamationibus, nec corporis vellicationibus excitare valentes, Chirurgum, & Pharmacopœum acerſendos curarunt, qui propinata aqua cœleſti, cucurbitulas apponunt ſcapulis. Interea vocatus, invenio jacentem ægrum, & adhuc ſopitum: Quod autem omnes, & me attonitos detinebat, unum erat; aves ſcilicet quamplures, circa cubiculum gratia cantus in caveis detentas, corporis varia compoſitione jacentes mortuas. Nemini in mentem venire poterat, quid hoc rei eſſet: Quidam dæmonem quendam intraſſe in cubiculum credebant; Alii alia affirmabant. Tandem res innotuit, inventis in angulo cubiculi carbonum cineribus, quibus viſis, juſſi omnes feneſtras ſtatim aperiri, adductiſque duarum feneſtrarum foriculis, in quibus erant extrinſecus cancelli, aves in caveis interjectis incluſæ, mortuæ non erant, imo bene valentes; ad eas enim carbonum varpor clauſis foriculis perveni-

re

re non potuerat. Breve Pater iſte excitatus eſt, apertis feneſtris, aëre puro intrante cubiculum, qui apoplexia periiſſet, niſi grande fuiſſet cubiculum, erat enim inſtar aulæ; niſi etiam ſummo mane oſtium fuiſſet apertum, ut aliquis vapori mortifero eſſet exitus, & aëri puro introïtus.

OBSERVATIO III.

PAter quidam Sancti Benedicti incidit in affectum lethargi ſimilem à quo vix excitari poterat; aliquibus fruſtra tentatis, hauſta doſi mercurii dulcis gr. vj. à periculo mortis liberatus eſt.

Lethargicus Mercurio dulci curatus.

OBSERVATIO IV.

CIvis quidam hujus urbis, cum morbi acuti periculum evaſiſſet, redeunte ciborum appetitione, rogavit inviſentem conſobrinum, ut de offa panis ſecalini ad ſe mitteret, multo enim deſiderio de ea manducandi flagrare ajebat; ille gaudens conſobrino ſatisfacere, miſit hora prandii, ſcutellam plenam offæ ſecalinæ, qua ſe ingurgitans, incidit verſperi in ſomnum profundum, nocteque mortuus, eſt. Ætatis erat 50. annorum.

Reconvaleſcens ſe ingurgitat offa ſecalinæ panis, & eadem nocte morbo ſoporoſo interiit.

OBSERVATIO V.

MUlierem quandam ſexagenariam, aut circiter, ex præcipuis hujus urbis, jam ſurgentem à ſimili morbo, extremaque à Medicis, quorum unus eram, facta ſalutatione; audivi peregre profectus inviſendis ægrotis, vita functam eſſe, cujus inſperato rei nuntio attonitus, reditus moram ægre ferebam, ut mortis cauſa mihi innoteſceret, quæ ciborum ingurgitatio fuerat, ut in ſuperiori ægrotante. Cum enim ruſticus lepuſculum ad eam detuliſſet, ſupra vires de eo manducans, incidit in ſomnum profundum & mortua eſt. Quare Medici ſint ſolliciti, ab ægris ſe recipientes monere, præcipue ſeneſcentes, ne multo cibo facultatem adhuc infirman opprimant, indicto mortis periculo, ut duobus his ægrotis contigit.

Mulier ſurgens a morbo, lepuſculi nimium commedens eadem nocte morbo ſoporoſo extinguitur.

OBSERVATIO VI.

UXor Conſiliarii hujus urbis, laborans febre duplici tertiana, ſubintrante quolibet paroxiſmo, incidebat in ſoporem profundum ſex horarum: A Medico ordinario venæ ſectio-

Mulier tertiana febre laborans,

quæ cum gravi ſopore incipiebat, ab ea vomitorio curata.

ctionibus, & purgante adminiſtratis, febris, & ſopor, in paroxiſmis redibant. Cum autem in uno proxiſmo, ultra decem horas ſopor protraheretur, nec excitari poſſet, abſente Medico ordinario, vocatus ſum à marito, qui me ingredientem etiam, atque etiam rogavit, ut ſi quid arte mea valerem ad ſalutem ægrotantis; non dedignarer proferre; quod me facturum promiſi, ſtatim atque eam vidiſſem: Ingrediens cubiculum inveni ægram altiſſimo ſopore depreſſam, vigente adhuc paroxyſmo, oculos tunc apertos habentem, nihil tamen videntem, ne lucernam quidem ad ipſos admotam. Ab aſtantibus, & Phormacopœo, certior factus de omnibus quæ acta erant, & de natura morbi, affirmavi præcedenti medicamento purgante, materiam febrilem tantum fuiſſe commotam, unde majori evaporatione in paroxyſmo ſequenti, caput magis repletum fuerat; ideo aliud propinandum eſſe, præcique ſurſum purgans, cujus natura, facultatis excitandæ, & materiæ morbificæ expurgandæ idonea eſſet, ab ipſis enim fontibus, ut ait Fernelius, humores noxios evocant vomitoria, quod medicamentum deorſum purgans, etiam ſæpius exhibitum, non valeret efficere. Tunc temporis fama percrebuerat, Ludovicum xiv. Regem noſtrum, dum Caleſii peſſime ægrotaret, à vino emitico, priſtinæ valetudini reſtitutum; Ideo hoc medicamentum, me valde probare pro ægrotante, aliamque ſalutis non eſſe viam: De regio medicamento diſſerentem audientes cognati, omnes unanimiter conſenſerunt, ut præberem ægrotanti, licet inſolens eſſet in hac urbe, & pro deleterio haberetur. Cum autem propter temporis anguſtias, non liceret jecur antimonii infundere, juſſi ut Pharmacopœus gr. vij. acciperet & vini albi ℥iij. parum & leniter decoqueret, addendo in colatura cochlear j. aquæ cinamomi, ſtatimque deglutiendam infuſionem præberet ægrotanti, quo rite per cochleare tubulatum peracto, poſt ſemiquadrantem, cepit ægra toto corpore concuti, ſignum vomitionis brevi adfuturæ; ideo nocte jam adulta, domum redii, præcipiens Pharmacopœo, ut poſt ſecundam vomitionem, parum juſculi ſorbendum daret ægrotanti, & quoties iterum vomeret; quod ita factum eſt: Cum autem tertiò, & quartò vomuiſſet, ejecit puriformia quædam,

ex

ex rupto abſceſſu, ut omnes credebant. Ego verò mane ſurgens, inviſi ægrotantem, ſciendi cupidus quæ illi acciderant, mihique relatum eſt, poſt tertiam vomitionem materiæ illius puri ſimilis, expergefactam eſſe; explorans autem pulſum, comperi febrem adhuc perſeverare, remiſſior tamen: De cætero loquebatur ægra, beneque ſe habebat ad ea quæ offerebantur, gaudens cum marito, & omnibus cognatis, tanquam ab inferis eſſe revocatam, nec amplius in ſequentibus paroxyſmis, ſoporoſo illo affectu correpta eſt; licet febris ad finem uſque autumni protraheretur, fere ſcilicet per menſem. De materia autem puri ſimili vomitu rejecta, quæ ex abſceſſu rupto putabatur, negavi hoc ita eſſe; nullus enim dolor in ventre, aut alibi præceſſerat; nec ulceris poſt ruptum abſceſſum ſignum ullum remanſerat: Materiam illam puriformem, ex pituitæ potius vitreæ putreſcentis portione extitiſſe, cujus anathymiaſi, tempore paroxyſmi repleto capite, ſopor ille invehebatur, ſolutu difficilis, propter vaporis craſſitudinem naturam materiæ è qua exhalabat redolentis, quæ chronicarum febrium intermittentium, ut hæc fuit, etiam cauſa eſt.

OBSERVATIO VII.

CElebris hujus urbis Cauſidicus, liberali corporis proceritate, & ſatis obœſus, cum in aula ſuperiori domus ſuæ ſemper habitaſſet, propter ſenilem ætatem 60. annorum, ingraveſcente ejus corpore, placuit in inferiori degere: Poſt aliquot tempus mane ſurgens, non bene habebat, unde iterum decumbere coactus eſt, ſtatimque forti apoplexia correptus, hora decima matutina obiit, omnibus à Medico ordinario, & à me incaſſum adminiſtratis. Aploplexia lethalis.

OBSERVATIO VIII.

MUlieri apoplecticæ cum nihil proficeret, nequidem vulgaria purgantia à Medico ordinario præſcripta; vocatus juſſi vinum emeticum propinandum, à quo & vomitus, & dejectiones motæ ſunt, quæ mortem avertere non potuerunt. Tanta eſt in apoplecticis cerebri occupatio, ut nullis valeat præſidiis expediri; Omnes enim quos ego vidi ſine condonatione abrepti ſunt, aut ſaltem paraplegiam non effugerunt. Mulier apoplectica incaſſum adhibitis remediis, interiit.

Quod me magis Hipprocati fidem facit adhibere, quam apoplecticos curaſſe gloriantibus; neque enim, ut ſupra diximus, quod apoplexia vocatur, vera ſemper eſt apoplexia, etiam ſi cum ſopore ſtertor adſit, ut videbitur in ſequenti enarratione.

OBSERVATIO IX.

Conſul Comate vigili interiens.

VOcatus in urbem Montis-Marſani, ut primarium urbis Conſulem, *Marie* Gallicè, inviſerem, quem apoplexia correptum fama erat, ingredienti cubiculum, ſtatim occurrit mihi Medicus ordinarius, qui nobilem ægrotantem apoplexia detineri, quærenti mihi affirmavit, quod primo aſpectu facile credidi; jacebat enim tunc ægrotus oculis clauſis, & ſine motu, cum maximo ſtertore, qui carum, ut ſcribitur, ab apoplexia diſtinguit. Pulſu explorato, qui ſatis validus erat, de his quæ pro curatione acta erant percunctanti, reſponſum eſt mihi, venæ ſectionem fuiſſe adminiſtratam, & cucurbitulas ſcapulis admotas cum ſcarificatione; nunc alia eſſe decernenda, reſpondi, nullumque potentius eſſe remedium vino emetico, in omni ſoporoſo affectu, quod propinandum libenter conceſſit; verum in urbe non fuit in promptu: Quærens à Pharmacopœo utrum jecur antimonii paratum haberet, reſpondit etiam; accipe igitur, dixi, gr. vij. & decoque recte pulveriſata, in vini albi ℥iiij. ad conſumptionem quartæ partis, colaturæ adde aquæ cinamomi coclear j. ſtatimque propina ægrotanti; hoc ſtatuto, quiſque ad dormiendum, quia nox erat, ſe recepit, præter eos quibus ægri cura demandata erat. Mane ſurgens, accepi vinum emeticum nihil præſtitiſſe, nullus enim vomitus ſubſequutus erat, neſcio quale jecur antimonii adhibuerat; non parum tamen irritam exhibitionem ægre tuli. Interea adverteram ægrotantem, dum aliquid ſorbendum offerebatur, caput ad latera moventem, ut conatus porrigentium eluderet; quod ſi caput contineretur, manus admovebat, ut averteret ſorbitiones. Cum verò omnis apoplexia, ſit motus, & ſenſus abolitio, cepi in dubium revocare hujus morbi naturam; ſollicitus autem magis de ſtatu ægrotantis, ad aliud tempus remittens, ingreſſus ſum ejus cubiculum, pulſumque exploratum valde imminutum inveni; ideo de ſalute deſperans, facta certæ mortis

ad-

adfuturæ prognoſi, diſceſſi; hunc tamen Empiricus quidam curandum ſuſcepit, admovens capiti candentem ſartaginem, & alia adhibens remedia, quæ mortem ſerotinis horis avertere non potuerunt: Ego verò in itinere inter equitandum, animo volvebam qualis eſſet iſte affectus, in quo æger gravi quaſi ſomno ſepultus, ſterteret clauſis oculis, membra tamen moveret; ultra enim cataphoram, & lethargum erat; carus, ex Medicorum doctrina, eſſe non poterat, quia membra movebat, & maximus erat ſtertor; Neque etiam apoplexia, in ea enim eſt motus, & ſenſus abolitio; hic autem ægrotus ſi importune urgeretur, caput, & brachia movebat; Tandem poſt aliquod tempus, hoc ſæpe mente revolvens, ſtatui apud me hunc affectum non eſſe ſimplicem, ſed compoſitum, ex quadam nervorum ad diaphragma pertinentium obſtructione, & cerebri ſoporoſa diſpoſitione, quam ſupra, coma vigil appellavimus, in quo ægroti videntur dormire, quia clauſi ſunt eorum oculi; revera autem non dormiunt, quia ſi importune ad aliquid agendum urgeantur, movent caput, & brachia, ut irritos aſtantium conatus efficiant quaſi agnoſcentes, quo animo res agatur: Longe magis autem habet de ſopore affectus iſte, quam de vigiliis; multi enim inter dormiendum, pungentibus manus imponunt pulicibus, & capiunt, quas omnino expergefacti, inter digitos inveniunt, & alia faciunt tanquam vigilantes, quorum poſtea non recordantur, quia inſtinctu fit hoc potius, quam ratione. Quare in hoc comate vigili, in quo clauduntur oculi membra autem movet interdum ægrotans, cauſa levior eſt, quam in ſimplici; gravior autem omnibus in quo oculi manent aperti, propter ea quæ ſupra diximus, loquentes de comate vigili. Ex hac igitur affectione ſoporifera, & quadam nervorum diaphragmatis, ex quarta, quinta, & ſexta, interdum ſeptima, vertebrarum colli conjugatione prodeuntium obſtructione, illuc parte materiæ tranſlata, genitus fuerat, ægrotantis iſtius affectus; Quæ enim in anteriori parte cerebri conſtiterat, comatis vigilis cauſa erat: pars autem ad nervos prædictos delata, læſæ reſpirationis, & ſtertoris ſine apoplexia. Ex his conſtat, & ex ſupra dictis in apoplexia, fallax eſſe in ea ſtertoris ſignum: ſicut interdum motus, & ſenſus abolitionem, incipien-

te morbo, nondum ſcilicet integre via ſpiritibus intercepta. Quibuſdam poſt annis, vidi ſartorem in hac urbe, qui in affectu ſoporifero cum maximo ſtertore, ſumpto vino emetico caput movebat, & toto ſe corpore contorquebat, qui octo horarum ſpacio obiit.

De Epilepſia.

CAPUT IV.

Epilepſia inter morbos occultos numeratur.

NUllus eſt inter morbos, qui aſtantium animos magis in admirationem rapiat, & cujus paroxyſmi nobis timorem magis incutiant, ipſa epilepſia: Non mirum ſi morbus ſacer dicatur, & aliis nominibus apud Authores vocetur, galliceque, *haut-mal*, nominetur; occultam hoc nomine, naturæ ejus indagationem eſſe ſignificantes, & alte philoſophandum, ſi exquiſitam de ea notitiam habere velimus, quæ plurimorum torſit animos, multa, & varia, de ipſa differentium. Verum abſit verbo invidia, morbus iſte, ſive ſymptoma, non eſt aliis quamplurimis abſtruſioris naturæ, nec ita ſe res habet, ut à multis ſcribitur: Quod enim palpitatio eſt cordi, talis omnino eſt epilepſia cerebro; Nam cum in eoſdem uſus, habeat utrumque principium ſuam ſyſtolem, & diaſtolem, harum ratione, ambo ab iiſdem cauſis, ſimili ſymptomate affici par eſt, verum, cor à levioribus cauſis palpitare docet experientia; tanquam enim vitæ principium, ne leviſſimum quidem rei noxiæ occurſum ferre poteſt, quemadmodum cerebrum, quod graviores affectus tolerare poteſt, ſine vitæ diſcrimine; Ideo nonniſi qualitatis malignæ interventu, epilepſia corripitur quæ eſt ejus palpitatio, quam non omnis maligna qualitas excitat, ſed cerebro proprietate quadam inſenſa, cujus præſentia ſtatim concutitur, nervoſis in conſenſum tractis. Sicut enim corde palpitante, ipſæ quoque arteriæ palpitant: ſic cerebro in epilepſia palpitante, muſculi ſuo modo palpitant, alium non habentes motum, niſi contractionis, & extenſionis, quibus ſubſalientes, principio ſuo conſentiunt; Quævis enim pars corporis, motu aliquo prædita, ſive naturali, ſive voluntario, præter facultatem

Cauſa ejus eſt palpitatio cerebri.

tem expultricem omnibus communem; ut arceat quod moleſtum eſt, velut principio ſuo condolcat, agit proprio illi dato à natura motu, ſed citatiore, propter cauſæ morbificæ inſtantiam: Ita quæ parum moleſta ſunt, placide, & pedetentim cor excernit, tanquam pars ſimilaris, & tanquam pars organica; Quæ verò jam modum excedere incipiunt, celeriori, & majori quam antea diaſtole, & ſyſtole, arcere nititur; Cum autem nimium gravant, aut multum adverſantur, qualitate præcipue maligna, palpitationis ſæpe motu expellere contendit: quæ dicitur cordis immoderata concuſſio, vehementi diaſtole, & ſyſtole moleſta. *Quid, & unde Cordis palpitatio.* Eodem prorſus modo, cerebrum quotidiana excrementa, quæ præter modum non urgent, per meatus ad id comparatos, ſenſim, & ſine moleſtia excernit; Quæ verò non facile cedunt, ſternutationis motu, ſæpiſſime excutit: At ipſum aggrediente qualitate maligna, & proprietate quadam illi infenſa, ſubſalit, concutitur, & more cordis palpitat, ut illam à ſe propellat: quæ quidem palpitatio, epilepſia eſt; ſimili ratione dicenda cerebri immoderata concuſſio, vehementi diaſtole, & ſyſtole graviſſima, muſculis in conſenſum adductis, cum omnium functionum animalium læſione, motricis depravatæ, ſenſitivæ, & principis abolitæ; Quod cordi accidere non poteſt, functio enim vitalis in corde, non aboletur ſine ipſius, & compoſiti deſtructione. Verum cerebro affecto à graviori cauſa evadimus, quia non eſt ut cor ad vitam ita neceſſarium, multiſque & gignendis, & continendis excrementis aſſuetum: Ideo graviores, & longiores ferre poteſt palpitationes, quas ſine præſenti periculo, cor non ſuſtineret. Hujus ſymptomatis cauſa in cerebro, non qualiſcumque ut in corde, ſed humor tantum aut vapor malignæ qualitatis particeps, & cerebro à natura infenſus, cujus incurſu, ſtatim concutitur & ſubſalit, non valens præ qualitate maligna, quæ totum habet illum occupatum, ſpiritus nec tranſmittere, nec multos conficere, ſed omnibus tanquam in arce cohibitis, ſibi conſulit, quouſque ſe ab hoſte expedierit, unde omnes ejus functiones læduntur; quæ omnia carus excipit: Non quidem madeſcente nimia humiditate ſubſtantia cerebri; ſed ipſo præ labore quieſcente, & jacturam ſpirituum prius reſarciente, antequam ad organa ſenſus transfun- *In ſoporem ut plurimum terminatur epilepſia.*

 dat,

dat, quod ſoporis, & paroxyſmi totius finis eſt: Qui quidem ſopor, ſeu quies, præcedenti ſemper reſpondet labori; ita ut longum paroxiſmum, longa ſuſcipiat quies, brevem autem, brevis. Humor ille malignus, aut vapor, horum paroxyſmorum cauſa, vel in ipſo cerebro gignitur, vel à partibus inferioribus enaſcitur; unde duplex epilepſiæ ſpecies: Una quæ fit in cerebro, idiopathicam vocant; altera quæ fit per conſenſum, tranſmiſſa aura quadam maligna, à partibus inferioribus ad cerebrum; à manu, pede, ſtomacho, utero, & hypochondriis, quam ægrotantes ipſi, aſcendentem ſæpiſſime percipiunt, ſenſu cujuſdam rei frigidæ ſurſum perreptantis: Aliquando nullum frigus percipitur; ſed ſtatim atque vapor excuſſus eſt à ſede, partes per quas defertur, ſucceſſive agitantur, & convulſorie ſubſaliunt, quouſque vapor ad cerebrum pervenerit; cujus primo occurſu incipit paroxyſmus epilepticus. Hæc ſpecies à ſolis fit vaporibus; Primaria, etiam ſi à vapore aliquando fiat, imo & qualitatis ſimplicis effuſione fieri poſſit, magis tamen ab humore gignitur. Neque fingere ſibi oportet, materiam obſtruentem, vel quantitate moleſtam; quantitas enim materiæ, quæ nunquam multa eſt in hoc affectu, parvæ eſt conſideratonis; longe autem ſecus qualitatis malignæ intentio, quæ à minera effunditur latitante, vel in baſi, vel in aliquo cerebri receſſu. Si enim à partibus longinquis, pede, v. g. parvo exiſtente foco, & ſenſum fugiente, aura venenata cerebrum petit; à fortiori latens minera in ipſa parte, quamvis parva, diffundet, quæ in venenatis, & malignis qualitatibus, intenſiſſimæ ſolet eſſe virtutis, licet quantitate valde exigua. Nam cum ſubit admiratio, in aliquo pedis, aut manus receſſu, nulli obvia ſenſui hujus mali latere mineram, non poſſum non aſſerere, eodem plane modo, rem in cerebro ut plurimum ſe habere; in aliqua ſcilicet ejus parte, cauſam iſtius ſymptomatis inhærere, quamvis alteratio unde duxit originem, toti cerebro inſidere poſſit: Hoc autem maxime accidit in epilepſia, cui cauſæ externæ principium dedere, ut capitis refrigeratio, madefactio ab imbribus, aut caſu in aquam; unde cerebro refrigerato, & debili facto, vidimus accidere epilepſiam in viro militari: Cum autem à cauſis externis pars aliqua cerebri, ut plurimum, magis

Non tam a quantitate, quam a maligna qualitate materiæ, producitur epilepſia.

gis

gis patiatur quam altera, in latere debiliori, fomitem mali potius conſiſtere veriſimile eſt. In epilepſia verò quæ cauſam habuit internam, vel à parentibus, vel à pravo alimento, ut in hydrope ſæpe contingit, toti cerebro cauſa inhærere poteſt; licet omnibus ſit in confeſſo, partem præcipue nobilem, ut vocant, excrementa, quantum fieri poteſt, longe à ſe, aut ſaltem in ſui aliquem minoris momenti receſſum protrudere; Imo auſim dicere, humorem epilepſia prægnantem, ad pedes uſque à cerebro expelli, unde paroxyſmi epileptici poſtea exurgunt: Quemadmodum accidit mulieri de qua lib. 5. obſerv. miſcell. obſer. 6. agitur, in qua humor valde malignus, à cerebro excuſſus, ad latus uſque umbilici, ſucceſſive inferens dolorem in partibus per quas tranſibat, pervenit, ibique hærens carnem corrupit in modum gangrenæ. Huic autem alterationi, qua cerebrum aptum factum eſt gignendæ materiæ, epilepſiæ parenti proximæ, licet frigus externum principium dederit, in qualitatibus tamen elementariis, neque in ulla ſecundarum, ſtatui debet proxima ejus cauſa, ſed in aliqua ex ſpecificis; & ita ſpecifica, ut ſi alterius naturæ eſſet, epilepſiam non faceret: Ideo epilepſia, ſive tanquam morbus, ſive tanquam ſymptoma ſpectetur, dicenda eſt cerebri, aut alterius cujuſque partis alteratio, qua apta nata ſit gignendæ materiæ ichoris, aut vaporis ſimili, qualitatibus cerebro proprietate ſpecifica infenſis, cujus occurſu totum concutitur motu palpitationis ſimili, cum læſione functionum, &c. ut jam dictum eſt, nervoſa in conſenſum trahens, quæ ſuo modo etiam palpitant, quouſque cerebrum noxia excuſſerit, apparente in ore ſpuma, & alto ſubſequente ſopore. Hujus alterationis præviæ diſpoſitiones, vel à parentibus epilepticis ducuntur, vel à quadam aëris conſtitutione regioni innata, aut in uterum maternum invehuntur, ex qualitate quadam ſanguinis menſtrui, aut ex cerebri madefactione & refrigeratione, ut ſupra diximus, unde gignuntur excrementa, ad hujus ſymptomatis ſemen concipiendum parata, ab agente ſpecifico, ſine quo nulla epilepſia. Cum autem, ſive in ventriculis, ſive in alia cerebri parte, fiat paulatim excrementorum generatio, tandiu ea ſuſtinet natura, quouſque non tam quantitate, quam infenſa ſibi qualitate proritetur ad ex-

Epilepſia cauſam habens internam, eſt vel hæreditaria vel a pravo alimento.

Cauſa epilepſiæ.

expulſionem, motu palpitationis, propter cauſæ malignitatem, & inſtantiam, unde inſultus epilepticus, quam diximus fieri, non ſolum ab humore, in illa ſpecie quæ vocatur idiopathica; ſed & à vapore, & ſolius etiam qualitatis malignæ tranſmiſſione: Quamvis communi omnium fere ſententia humor ſubeſſe credatur; craſſus quidem, ſecundum antiquos; tenuis verò ſecundum neotericos. Nam ſi in partibus inferioribus fomes reperitur, vaporem tantum emittens, ad hujus mali generationem; Quis negabit, in aliqua cerebri parte minoris momenti, talem generari poſſe, è quo vapor excuſſus, ſtatim faciat inſultum epilepticum. Hoc teſtatur hiſtoria Fernelii de abſceſſu in cerebro: & in alio de portione meningis corrupta, in quibus teter vapor epilepſiæ cauſa erat. Præterea ſi qualitatis interventus cerebro infenſæ requiritur ut fiat epilepſia; Quis ſola ipſius tranſmiſſione invehi poſſe non credet, exiſtente ſaltem minera in cerebro, aut circa ipſum, ut in his, de quibus ſupra ex Fernelio? Fateor quidem in epilepſia idiopathica, humorem ut plurimum ineſſe ichori ſimilem, qui vel ſenſim cumulatur in ventriculis, vel in alia cerebri parte, ut tempore paroxyſmi in illos excuſſus, per infundibulum infra protrudatur, aut per alias vias, magis convenientes pro ſede humoris. In epilepſia autem quæ fit per conſenſum, fatendum eſt, qualitatis malignæ tranſmiſſionem, difficile fieri poſſe, ſine exhalationis interventu, cum qua fertur ad cerebrum; à partibus enim longinquis, ſolam qualitatem uſque ad cerebrum tranſmitti poſſe, creditu non eſt facile, niſi eſſet illi lex indicta à natura, ut hanc potius, quam aliam partem adoriatur; quemadmodum fit in quibuſdam venenis. At dicet aliquis, ſi epilepſia idiopathica fiat à ſolo vapore, aut ſolius qualitatis malignæ tranſmiſſione, quare tranſglutitionis ſonitus exauditur in paroxyſmo, & in fine ſpumæ fit generatio, quæ humoris deſcenſum arguunt; Cui reſpondebitur, ſonitum illum deglutientis ſimilem, qui in paroxyſmo ſubauditur, magis eſſe à convulſorio motu muſculorum laryngis, qui ſunt organa vocis, quam à vera deglutitione, quæ tam citò non repeteretur, ſi vera eſſet deglutitio. Præterea quod tranſglutitur, & ſpumæ exiſtit materia, non ſemper humoris morbifici portio eſt, nam in epilepſia

Humor epilepſiam generans a veteribus craſſus a neotericis tenuis creditur.

Lib. 2. de morb. venen. cap. xv.

Quare deglutitionis ſonitus exauditur in paroxiſmo.

lepſia quæ fit per conſenſum, cujus materia eſt exhalatio, ſonitus ille, ſi adſit, & ſpuma, humorem non arguunt, ſaltem morbificum, exhalatio enim non deſcendit, nec convertitur in ſpumam. Dicendum igitur ſonitum illum in hac ſpecie, & ubi cauſa mali non eſt humor, effici à muſculis laryngis convulſorie agitatis; ſpumæ autem materiam, eſſe à glandulis, quæ pituitam oris partibus, & gutturi ſuppeditant; vel fieri ab excrementis, motu compreſſionis cerebri tunc temporis excuſſis, & in gutture agitatis: Motus autem ille muſculorum laryngis, quo major, eò epilepſia gravior; magnam enim cerebri agitationem ſignificat, à cauſa admodum irritante, & maligna; ita ut aliquando liveſcat vultus ægrotantis, velut in ſuffocatis, ut multoties vidimus in infantibus, pueris & etiam hominibus, quod non accidit, niſi cum fortis eſt epilepſia. Multas refert Sennertus Hiſtorias, ſcribens de cauſis epilepſiæ, ut probet omnem fieri à vaporoſa, & tenui materia, nullamque fieri obſtructionem in ventriculis, quibus demonſtrare poſſumus, è quadam cerebri parte, vel meningum; imò & interna calvariæ corrupta, auram venenatam effundi, epilepſiæ effectricem; quid ſi ſolam qualitatem dixerimus? Sed de hujus affectus natura, & diagnoſi, ſatis ſuperque dicta ſint: Ad ea nunc quæ ad curationem magis pertinere videbuntur animum convertamus: Circa quæ, hoc in primis Medicos monitos velim, ne arte venefica laborantes ægrotos epilepſia, curandos ſuſcipiant, perditur enim oleum, & opera, malumque potius exaſperatur, quam curatur. Epilepſiæ hæc ſpecies, magis frequens eſt quam putatur, difficileque interdum, ab ea quæ à cauſis naturalibus fit diſtinguitur; verum ut plurimum diſſonant paroxyſmi; in vulgari enim epilepſia idiopathica, homo derepente, & inopinanter ea corripitur, cadens in terram ſine ullo ſenſu, apertis palpebris, cum omnium muſculorum frequenti, & brevibus intervallis ſucceſſiva contractione, & extenſione: Ideò manus, brachia, pedes, tibiæ, coxæ, & totum corpus, convulſorio modo ſubſaliunt, genæ, & labia, in acutum frequenter ſe ſe porrigunt, & hinc inde moventur, apparente ut plurimum in ore ſpuma inclinante paroxyſmo, quem profundus excipit ſopor, à quo excitati, nullatenus eorum quæ acta ſunt recordan-

Symptomata epilepſiæ idiopatticæ,

Illius, quæ fit per conſenſum.

tur ægrotantes. In epilepſia per conſenſum appropinquantem ſentiunt quidem paroxyſmum; at ſtatim atque aura venenata cerebrum attingit, in terram concidunt, eodem planè modo affecti ut in idiopathica epilepſia. Venefici utramque ſpeciem arte diabolica infligunt, quæ à vulgari, paroxyſmorum varietate diſtinguuntur. Epilepſiæ enim quæ à cauſis naturalibus invehuntur, eo modo habent hominem ut diximus: At quæ à veneficio excitantur, inſolita habent ſymptomata; vel enim invadunt cum clamoribus, & ululatibus; vel tempora paroxyſmi obloquentur; vel motus convulſorius non erit perpetuus: vel in gyrum vertetur æger, quaſi ducens choreas, antequam in terram cadat: Quibuſdam non erit totius corporis concuſſio, ut in quodam ſacerdote apud Hollerium, qui ſolo capite tantum concutiebatur, quod fieri ait rariſſime, & in parva epilepſia. Vidimus tamen re vera parvas epilepſias, in quibus moderata erat totius corporis concuſſio, & breviſſimæ durationis, & ſopor ferè nullus omnia autem fiebant ut in magna epilepſia, ſaltem in genere, & cum minori violentia: Quod ſi hæc non fiant, ſed tantum quædam, aut unum, vel alio modo; ſuſpecta debet eſſe de veneficio epilepſia. Multas hac de re Hiſtorias refert Sennertus, lib. 2. inſtit. par. 3. ſect. 1. cap. IX. loquens de epilepſia; quibus videre eſt, quoſdam ſola capitis concuſſione, & oculorum elevatione affici; alios in terram non cadere; & alia aliis accidere, quæ non videntur mihi vulgares indicare epilepſias, aut alios eſſe affectus: Vertigines enim viſæ ſunt, ut ipſe ait, in quibus accidentia erant adeo ſimilia epilepſiæ, ut vix dignoſcerentur, & à Medicis dubitaretur, utrum epilepſiæ, an vertigines eſſent nominandæ: Verum epilepſiæ duo ſigna ita aperta ſunt, motus ſcilicet convulſivus totius corporis, & ſpuma in ore, ut ipſis apparentibus, de ea non ſit dubitandum: Horum tamen ſymptomatum confuſio, ſuſpectam mihi ſemper facit de veneficio epilepſiam; præſertim ſi multum diſſonent à vulgaribus epilepſiæ ſignis, aut aliquid horrendum, & inſolitum habeant. Certiores igitur facti his conjecturis, epilepſiam à cauſis naturalibus originem ducere, curatio, quamvis difficilis, ſuſcipiatur; præcipuè ſi 25. annum non tranſcendat æger: quæ eſt idiopathica, ex Hippocrate incurabilis. Nullus tamen affe-

Aphor. VII. ſect. 5.

affectus, præter ipſius partis corruptionem ſine medela eſt, ſi ejus propria antidotus non ignoretur: Quæ quidem in hoc affectu, & in pluribus aliis, apud Medicos artis Chymicæ amatores quærenda eſt, præcipuè apud Hartmannum in pract. chymiat. titulo, de Epilepſia: Et in comm. ſuper baſilicam chymi. Crollii, titulo Specific. capitale; & titu. Epilecticum medic. quibus in locis videbuntur notatu digniſſima, multaque explanata, quæ ab aliis, ſummo calamo attinguntur, aut obſcura relinquuntur: Ante tamen uſum antidotorum, ſemper univerſalia præmittenda ſunt, præſertim ſi epilepſia fiat ab humore. Sed ut omnia recta cum ſcribendi methodo perſequamur; ſciendum eſt epilepſiæ curam adhiberi, vel ut primariæ cerebri affectioni, vel ut ab aliis fomitibus prodeunti, quæ per conſenſum fieri dicitur: In utraque, vel extra paroxyſmum, vel in ipſo paroxyſmo: & adhuc vel in adultis, vel in infantibus. Curatio primariæ affectionis in paroxyſmo, ſi gravis ipſe non fuerit, nihil movendum: Si autem paroxyſmus violenta contractione, & duratione videatur periculo non vacare, liveſcente præcipuè facie; tunc aliquid moliri oportet venæ ſectione, ad derivationem, vel plenitudinem tollendam, ſi qua ſit; cucurbitulis ſcapulis admotis: Interiora narium inungantur oleo ſuccini: fumus ſuccini naribus ſubdatur; ſi aqua, aut ſpiritus aliquis antiepilepticus habeatur, detur coclear j. cum gutt. ij. aut iij. olei ſuccini, vel detur oleum cum aqua cinamomi: Quod quidem oleum, Medicorum omnium Philochymicorum teſtimonio, paroxyſmum jam jam invadentem avertit, ad guttulas duas exhibitum in vehiculo convenienti, ut aqua florum, aut radicis pœoniæ, florum tiliæ, lavendulæ, ceraſorum nigrorum, vel ſaltem betonicæ, per parva intervalla repetendo. Si cui autem ſit in animo, habere ſpiritum antiepilepticum non multi laboris, & ad præcautionem, & in ipſo paroxyſmo, hunc componat.

Chimica medicamenta anti epileptica.

Quid in ipſo paroxyſmo agendum.

Oleum ſuccini optimum anti epilepticum.

Spiritus anti epilepticus.

℞. Rad. valeri. ſylveſ. ℥j. viſci querc. decreſcente luna collecti, à die 15. Auguſti ad 8. Septembris, rad. pœon ana ʒij. ung. alcis, cran. humani, violenta morte perempti, ana ʒiß. caſto. ʒj. flor. tiliæ, pœn. lavend. ana pii, ſem. rutæ, ani. & pœo. ana ʒj. cerebri bovis parum in furno aſſi & minutim poſtea in-

ciſi ℥iß. omnia vel minutim inciſa, vel contuſa infunde in ſpiritu boni vini, qui primus in deſtillatione aſcendit, ad eminentiam duorum digitorum, vaſe optimè clauſo per 15. dies, in loco tepido, alternis diebus parumper movendo, quibus exactis, per linteum tranſmitte ſine expreſſione: Ex fœcibus ſal extrahe, ſi velis, & cum liquore conjunge, doſis cochlear j. cum gutt. ij. olei karabes, & gutt. iij. ſpiritus vitrioli.

Excitandis ægrotis in paroxyſmo, non ſolum adultis, ſed & infantibus, multis ſe vicibus expertum fuiſſe teſtatur Valleriola, quod ſequitur, ductus authoritate Dioſcoridis quam ipſe affert.

℞. Mellis ſcyllit. ʒß. ſucci rutæ ℥j. propinetur incipiente paroxyſmo cuneo dentibus interpoſito, quem bonum eſt relinquere toto tempore paroxyſmi, ne lingua lædatur.

Ego authoritate Valleriolæ, non autem Dioſcoridis, hoc utor remedio; quia cap. de ruta hortenſi, non ait Dioſcorides ejus ſuccum valere contra epilepſiam; ſed tantum cap. de ruta ſylveſtri, ſcribit eam valere contra epilepſiam, ſine partis deſignatione & parandi modo, afferens paulo poſt, eſum rutæ ſylveſtris noxium eſſe. Non poſſum hic probare quod omnes ferè coſulunt, membra ſcilicet coërcenda eſſe tempore paroxyſmi, exiſtimantes ex illa convulſivi motus cohibitione, levari muſculos; ſed tantùm abeſt: Cum enim cohibitio hæc ſit violenta, impediatque muſculi contractionem ad terminum ſuum pervenire, quò longius abeſt ab illo, eò major fit villorum muſculi contentio. In paroxyſmo ſpeciei quæ fit per conſenſum, omnia ſupradicta poſſunt adminiſtrari, præter venæ ſectionem partium, quæ ſuprà mineram exiſtunt, & præter ea, quæ vapori maligno, quocumque modo aſcenſum parant ad caput, ſi jam invaſerit paroxyſmus; ſed eorum loco, præcipuè autem cum rudimenta illius, tantum percipiuntur in parte, in qua exiſtit minera, fiant fortes ligaturæ paulò ſupra, ſi commode fieri poſſint, ut in brachiis, & tibiis, ut aſcenſus vapori impediatur. Si autem hoc fieri non poſſit, exiſtente foco in ſtomacho, hypochondriis, aut matrice, articulorum pedis fiant ligaturæ dolorificæ, frictiones aſperæ coxarum, & tibiarum, applicenturque cucurbitulæ juxta inguina. Interea non ſpernan-

Membra non ſunt coërcenda tempore paroxyſmi.

Ligaturæ in partibus unde adſcendit vapor ſæpe paroxyſmum impediunt.

nantur antidoti ſupradictæ, nec infra ſcribendæ. Infantibus epilepſiam per conſenſum fieri non deprehendi, neque etiam facile eſſet agnoſcere, ſed omnes tanquam idiopathica laborantes curantur: Iis in paroxiſmo multa convenire poſſunt, quibus in adultis utimur, habita ratione ætatis. v. g. coclear. i. de ſucco. rutæ, & dimidium mellis ſcyllitici, vel aliquid de ſpecifico infra deſcripto, quod componitur ex theriaca, aqua flor. pœoniæ, & ſpiritu vitrioli: & ſic de aliis præſidiis. Sedato paroxiſmo, de affectu radicitus tollendo, ſi fieri poteſt, cogitandum, optimo in primis vivendi regimine, tenui ſcilicet, exſiccante, & parum calefaciente: vinum tamen nocet perquam maximè, & veneris uſus: Multi enim ſemel, & bis, corripiebantur in hebdomada inſultibus epilepticis, vinum bibentes; quos abſtemios, vix ſemel in menſe invadebant: virum etiam adhuc inter vivos, quandiu vixit uxor, pluries in anno paroxyſmus epilepticus adoriebatur, quem ab ipſa defuncta, vix ſemel invaſit: nunc tamen ſi coëat cum muliere, brevi recurrit paroxyſmus, & eadem hora, ut mihi retulit, qua fuit coïtus. Vitæ regimini ſtatim accedant pharmaca, incipiendo ab enemate, cujus talis poterit eſſe deſcriptio.

Sedato paroxyſmo de affectu radicitus tullendo cogitandum.

℞. Rad. polyp. querc. ℥ß. folior. alth. malvar. mercur. centau. minor. rutæ, calamen. orig. ana mß. flor. chamæm. & melil. ana pii, flor. ſalv. ſtœc. & lavend. ana pi. ſem. aniſi, & rutæ, ana ʒj. fiat ex his decoctio enematis: Acc. ℔j. diſſol. hieræ diacolo. ʒvj. olei rut. & mel. anthoſa. ana ℥iij. ſalis gem. ſcrup. ß. fiat enema, hora commoda injiciendum.

Enema anti epilepticum.

Ab enemate, hora idonea aperiatur cephalica lateris magis affecti, quo magis gravantur, aut dolent capite, aut cadunt incipiente paroxyſmo; tantumque ſanguinis detrahatur, quantum vires, morbus, & plenitudo poſtulant, putredinis ſaltem animadvertendæ gratia, quæ ſi appareat, ut fere fit, ex altero etiam brachio detrahendum, purgatione interpoſita ex cephalicis, ut

℞. Rad. valer. ſylv. recent. ſi haberi poſſit, rad. pœon. maris ana ℥ß. ſi autem ſiccæ ſint rad. ſufficiunt utriuſque ʒij. folior. beton. ſampſ. hyſſopi, ſalviæ, ana m. ß. flor. borrag. roriſm. & pœon. ſummit. florentium lavendulæ, ana pi. ſummit rutæ pß.

Purgans ex herbis cephalicis.

ſem. ani. & pœon. ana ʒj. corticis citri. ʒß. fiat ex his decoctio, infunde in q. ſ. folior, ſenn. mund ℥ß. ſem. corian. ʒß. agar. troch. ʒj. expreſſioni diſſolve elect. diacarth. ℥ß. aut pulv. ejuſdem ſcrup. ij. Si autem humor melancholicus videatur eſſe cauſa ſymptomatis, loco diacarthami, diſſol. confect. Hamæch. ʒiij. ſyru. roſa. ſolut. ℥j. fiat potio.

Si quis à liquidis averſus, pilulis magis delectetur, poterit ex maſſa cocciarum, aut aggregativarum, aut fœtidarum, aut de agarico, quæ aliis ſunt debiliores, purgari in hunc modum.

℞. Maſſæ pilul. fœtid. ʒj. aut ſcrup. iiij. in fortioribus caſto. gr. iiij cum gut. j. aut ij. olei ſalv. chymici, fiant pilulæ.

vel

℞. Maſſæ pilul. coccia. vel aggregat. ſcrup. ij. maſſæ pilul. de agar. ſcrup. j. caſto. iij. cum guttula una, aut altera olei ſuccini, fiant pilulæ. Si quis velit uti purgantibus ex officina chymicorum depromptis, quæ potiora putantur, nec ſane ſine ratione, multa in eorum ſcriptis inveniet; ſi tamen in promptu non ſint.

Purgantia Chimica.

℞. In robuſtis mercu. vitæ gr. iiij. aut vj. pro viribus, capiat cum aliqua conſerva cephalica.

vel

℞. Merc. vitæ gr. ij. merc. dulc. gr. xij. probe terantur ſimul in mortario, & capiat cum aliqua conſerva; longe minori cum perturbatione purgat noxios humores, quam mercurius vitæ; qui cum ſale communi longo tempore tritus, multum deponit de virtute emetica.

Pulvis Cornachini aliis non cedet, aucta doſi ſtybii detonati. v. g.

℞. Scammo. vapore ſulphur. caſtig. & ſtybii deton. ana gr. xij. cape cum juſculo cephalicis alterato, gutt. iiij. ſpirit. vitrioli inditis; aut cum ſyrupi de ſtæc. q. ſ. & gutt. una, aut altera olei ſalv. vel ſuccini, fiant duæ pilulæ, aut morſulus.

Repetantur quibuſdam menſibus purgationes, quinto decimo quoque die, poſt quas utatur æger, quinque, aut ſex diebus continuis, mane jejuno ventriculo, & trib. horis ante paſtum, aliquo ex ſpecificis ſupradictis, aut conſule Authores jam citatos, ſicut & Riverium in praxi. Ego hoc expertus ſum, ſicut & alii.

℞. Aquæ

℞. Aquæ pœon. ℥iij. theria. vet. ʒj. ſpirit vitrio. gutt. iiij. capiat modo jam dicto.

vel

Ex ſimplicibus ſpiritus vini antiepileptici ſupra deſcripti, vel ex omnibus, vel ex valentioribus, & guſtui gratioribus, poteſt fieri pulvis antiepilepticus, ſpiritu vitrioli imprægnatus; aut tabellæ parari poſſunt cum ſaccharo, aqua theriacali diſſoluto, aut aliqua ex ſpecificis, tunc autem loco cranii pulverati, magiſterium paratur ex eo, affundendo ſupra cranium pulveriſatum viciſſim bis, aut ter, de ſpiritu vitrioli, fermentando, & levi calore abſtrahendo; Nutritio dicitur Pharmacopæis: Sic pulveres liquoribus imprægnantur.

Dum hæc geruntur, caput exterius roborandum cephalicis, ex quibus fiunt cucuphæ, & emplaſtra, aut pulvis, quod melius eſt, capiti raſo inſpergitur, & calanticæ concavo villoſo; novuſque, veteri pulvere abſterſo, quolibet mane imponitur: Pulveris talis poteſt eſſe deſcriptio.

℞. Rad. cype. & calami aromat. ſiccorum ana ʒij. cinam. caryophl. nucis moſch. ana ʒj. macis ʒß. folior. beton. ſampſ. ſalu. hyſſo. ſicco. ana ʒij. ſtyr. & benioin ana ʒj. In præſenti autem affectu, rad. pœon. pulv. ʒij. ſem. ejuſdem & viſci quer. ana ʒj. Et pro divitibus moſchi gr. iiij. ambar. griſei gr. ij. fiat pulvis; ex cujus materia cum lada. ℥ß. olei karab. ʒj. olei de ſpica, & ceræ q. ſ. facies, ſi velis, emplaſtrum. Quidam cum fœlici ſucceſſu capiti cauteria inurunt; adultis, ſutura coronali, infantibus verò in collo. Poſt hæc uti aquis mineralibus qualitatibus vitrioli imbutis, non eſſet incommodum: habet enim hoc minerale, aliquid ſpecificum in hoc affectu; Aut diæta cum guayaci decocto inſtituatur per 40. dies.

Pulvis chephalicus

cauterium in ſutura coronali cum fructu inuritur.

Si epilepſia fiat per conſenſum, advertendum ex qua parte malignus exhalet ad cerebrum vapor: Si à manu, vel pede, purgato corpore, aliqua, & magis convenienti, ex ſupradictis formulis, aperiatur ſalvatella ipſius manus affecta, aut pedis, ſi ille afficiatur, deinde veſicatorium ſuperponatur: quo ſanato, theriaca in modum cataplaſmatis deſuper applicetur, quibuſdam guttulis ſpiritus vitrioli immixtis: Si à ſtomacho vapor aſcendat, quæ purgando excitant vomitum, aliis præſtant, ut mer-

Non ſæpe utendum mercurio vitæ.

mercurius vitæ, & aqua benedicta: non eſt tamen ſæpe utendum mercurio vitæ, deſcenſum enim facit recti inteſtini irreparabilem, teſte Hartmanno: Aliis vulgaribus catharticis, hæc poſſunt miſceri, ut mercurii vitæ gr. ij. cum dragmis tribus de confectione hamæch, aut alterius electuarii; vel potionibus uncia ſemis vini emetici addenda: Poſtea utendum antidotis quæ partem roborent, & morbo adverſentur, ut

℞. Conſ. roſ. anti. conſer. rad. aut flor. pœnon. ana ℥j. theria. vete. ʒij. coral. rub. ʒjß. viſci querc. ſem. pœon. rad. valer. ſylv. ana ʒj. cort. citri ʒj. cum ſyrupo de mentha, fiat opiata, de qua capiendum quolibet mane, tribus ante paſtum, ad caſtaneæ magnitudinem, parum aquæ ceraſorum nigrorum ſuperbibendo.

vel.

Tabellæ antiepilepticæ.

℞. Coral. rub. ʒij. margat. præpar. ʒß. viſci quer. & rad. valeri. ſylv. ana ʒj. ung. Alcis ſcrup. j. cum ſacch. aqua flor. tiliæ, vel alterius ſpecificæ diſſoluto, fiant tabellæ ʒij. capiat unam, ut de opiata dicitur.

Si minera morbi eſt in hypochondriis utendum decoctis hepaticis & ſpleneticis.

Si in hypochondriis minera ſubeſſe deprehendatur: etiam quæ vomitu, & dejectionibus humores ducunt optima ſunt: deinde venæ ſectio malleoli ejuſdem lateris poſt hæc antidota. Cum autem in partibus hoc loco poſitis, frequentes fiant obſtructiones, apozematibus hepaticis, & ſpleniticis uti, non erit incongruum, aut pulvere cakectico, purgato ſubinde corpore. Si uterus ſit fons, & origo maligni vaporis, menſes ſupprimuntur, aut non recte fluunt: menſibus enim rite fluentibus non fiunt ab utero morbi ex Hippocrate: Curandum igitur, ut hæc pars ad priſtinum officium reducatur, ſuo cap. deſcriptis, addendo purgantibus quædam ſpecifica, ut radicem pœoniæ, &c. & ſpecificis ſupra deſcriptis, ſalem arthemiſiæ.

Apho. 57. ſect. 5.

Cura infantum epilepticorum.

In infantibus eadem cura quæ in adultis convenire poteſt, habita ratione ætatis, purgari enim poſſunt pulvere Chornachini, quo in his, nihil magis idoneum, incipiendo à parva doſi, ut.

℞. Diagrid. vapo. ſulphu. caſtig. & ſtybii ter probe deton. ana gr. iiij. criſt. tactari gr. j. capiat cum parum ſyrupi de ſtæc. ex cochleari.

vel

vel

℞. Merc. dulc. gr. vj. ſcammo. præparar. gr. iij. detur ex cocleari cum ſyrupo de ſtæc.

vel

℞. Polyp. quer. ℥ß. rad. pæon. ʒij. folio. beto. rut. hyſſo. ana m. ß. tiliæ, pœon. ana pj. ſem. rutæ, & pœon. ana ʒj. fiat ex omnibus decoctio, Acc. ℔ß. infun. folior ſenn. mund. ℥j. turbith, & Jalap ana ʒj, agar. ʒß. cinam. ʒj. expreſſ. diſſol ſacch. & ſyrupi roſ. purgat. ana ℥ij. F. ſyrupus catharticus, doſis à ʒij. ad ℥ß. ex cocleari.

Poſt purgationem ſubinde repetitam, præbeantur antidoti. v. g. coclear j. quibuſdam matutinis, de illa quæ recipit theriacam, aquam pœon. & ſpirit. vitrioli, ſupra deſcriptam; vel quæ fit ex ſucco rutæ hortenſis, & melle ſcyllitico; vel detur infanti de pulvere aliquo antepilptico ſcrup. aut ſcrup. ß. cum aquis appropriatis. Interea ferro candenti inuratur cauſticum inter primam, & ſecundam colli vertebram, multiſque menſibus ſinatur apertum: Emplaſtrum quoque pro commiſſura vocatum, ſupra ſuturam coronalem geſtet, ubi cerebrum pulſat; deſcribitur in ordine remediorum alphabetico. Si grandior, & jam puer, applicetur veſicatorium, quod vocant perpetuum, ſi ferre poſſit. Nutrix ſi fieri poſſit abſtineat à vino, modum ſervet in reliquo victu, venæ brachii aperiantur, ut ſi ejus ſanguis peccaverit, in meliorem ſtatum reducatur: Aliqua utatur antidoto, ut ejus lac virtutem illius induat.

PROGNOSTICA.

INfantes magnis, & crebris inſultibus epilepticis correpti, eadem die jugulantur; licet epilepſia ſit morbus chronicus.

Epilepſia poſt 25. annum, non ſanatur; ex Hippocrate aphor. 7. ſect. v.

Pueros epilepſia laborantes, mutationes maxime ætatis, locorum, & vitæ, liberant. Hippo. aphor. 45. ſect. 2.

Solvitur aliquando epilepſia ſeptimo menſe, ſeptimo anno, circa pubertatem, menſtruis erumpentibus, primo puerperio.

Infantes epilepſiæ maxime ſunt obnoxi propter cerebri humiditatem, ductam à ſanguine menſtruo.

Melancholici fiunt aliquando epileptici; Et è contra, ſi melancholia ſit cauſa morbi.

Viri magis ſunt epilepſiæ obnoxii, quam fœminæ, propter menſtrua.

Infantes quibus cruſtoſa ſcabies naſcitur in capite, epileſia non corirpiuntur.

Epilepſia quæ parturientes corripit, non ſolet reverti; nec ea quæ fit à vermibus.

Epilepſia prægnantibus facile conquieſcit.

Si mens lædatur in epileſia; aut fiat nervorum reſolutio, non eſt medicinæ locus. Hoc non ſemper verum, ex enarratione 2. cap. 3. lib. 3.

Lib. vj. epi ſect. 6. In epilepſia longa, febris, ut quartana, pro valetudine eſt, juxta illud Hippocratis. quartana correpti, à magno morbo liberantur.

Enarrationes de quibuſdam ægrotis.

Vir melancholicus & epilepticus curatus, remanente mentis quadam alienatione.

PRofectus peregre, ut virum melancholia laborantem inviſerem; dum curationi incumberem, ter una die, à prandio, ad veſperam, forti epilepſia correptus eſt, ita ut ſtrangulatis ſimilis facies livida fieret in paroxyſmo, quorum tertio graviori exiſtente, aſſerui ſi quarto corriperetur, ſuffocatum iri, quo non redeunte, quibuſdam contra epilepſiam exhibitis, tandem à melancholia ſanatus eſt, non tamen perfecte mentis compos remanſit: Neſcio utrum à melancholia, an ab inſultibus epilepticis hoc factum eſſet; Contigit enim mihi videre melancholicos, fieri epilepticos: At epilenticos fieri melancholicos, nunquam; vidi quidem ab epilepſia hebetes factos, ſed non proprie melancholicos: evertit enim ratiocinationis uſum, fortis interdum epilepſia, & cujus paroxyſmi longi ſunt, & frequentes, quod potius crediderim, quam epilepticos fieri melancholicos. Ideo facile aſſentior, explanantibus Hippocratis ſententiam, melancholicos fieri epilepticos, ſi humor inclinet ad corpus: id eſt, ut ajunt, ad ventriculos: Si verò in mentem repat: id eſt, in ſubſtantiam cerebri, & temperamentum mutet, ut explicat Galenus, fieri melancholicos. Sed hoc ſtare non poteſt, cum his quæ ſuperius diximus; cum

Epid. 6. in fine.

æque

æque in ſubſtantia cerebri, & circa ipſam, ſicut & in ventriculis, poſſit epilepſiæ cauſa inſidere, quæ magis afficit cerebrum ut partem ſimilarem, quam ut partem organicam; etiamſi in ventriculis ſemper cauſa ſubeſſet: Neque enim afficiuntur ventriculi tanquam organa, ideſt cavitatem habentes, ſed tanquam ſubſtantia cerebri, quæ ibi, ſicut & alibi, qualitatem infenſam ferre nequit. Quapropter cum melancholici fiunt epileptici, materiæ locum mutanti non eſt tribuendum, ſed qualitatem malignam adipiſcenti.

Observatio II.

Epilepſia orta e mau puerperæ.

MUlier quædam nobilis, poſt partum ſurgens è lecto, correpta eſt epilepſia per conſenſum à manu, quæ incipiente paroxyſmo, prima epileptice convellebatur, deinde brachium pedetentim aſcendente vapore ad caput; quo tempore omnium erat ſenſuum, læſio, cum motibus epilepticis partium omnium ejuſdem lateris, mox alterius, & corporis totius, quos ſolitus ſopor excipiebat. Licet à quadam vetula obſtetrice, morbum arte venefica inditum ſuſpicarer, placuit tamen ſanationem tentare, incipiendo à purgatione pilular. cocciar. ʒj. cum gr. iiij. caſtor. deinde venæ ſectionem ſalvatellæ manus ægrotantis faciendam curavi, poſtea veſicatorium ſupra manum ægrotantem imponendum, alia in animo habens præſcribenda, ſi morbus, ut credibile erat, ſe obfirmaret; ſed præter omnium ſpem, brevi curata eſt.

Observatio III.

Puella 12. annorum Epileptica.

PUella quædam 12. annorum hujus urbis cum pluries in hebdomada correpta fuiſſet epilepſia, rogatus à matre, ut ei opem ferrem; præſcripſi in primis, purgationem ex pilulis cocciis, & gr. iij. caſto. deinde uſum antidoti, quod recipit theriacam, ſpiritum vitrioli, & aquam pœon. ſupra deſcriptam, & non amplius reverſa eſt epilepſia.

Observatio IV.

Puer 10. annorum Epilepſia laborans, quam ab ar-

IN oppidum quoddam profectum, mulieris ægrotantis inviſendæ gratia, pueri cujuſdam ægrotantis mater vicina, me convenit auxilium petens; Imperavi ut ſtatim atque paroxyſ-

mus

te venefica inductam putat auctor.

mus invaderet, puerum, me vocaret, non longe enim aberat à domo ægrotantis, quod ſe facturam promiſit: Accerſitus igitur paroxyſmi tempore, inveni puerum, qui decennis erat, humi jacentem, & à præcedenti invaſione cum ſopore quieſcentem; ſed brevi ejus corpus more piſcium qui recenter ab aqua educuntur, elevabatur à terra, *faiſoit le ſaut de la carpe*, deinde parum quieſcebat, mox eadem agitatione corpus movebat, & viciſſim quaſi gravi ſomno ſopitus quieſcebat, brachiis, & tibiis, ut fit in vulgari epilepſia, nullo modo convulſorie motis; quod ter me præſente viciſſim accidit. Cujus rei novitate attonitus, matri, non dubitavi aſſerere, hanc epilepſiæ ſpeciem arte venefica eſſe inflictam, contra quam inanem eſſe noſtram medicinam: imo affectum potius exaſperaturam. Quo audito mater, facile crediderim, inquit, vetulam quamdam mali eſſe authorem; coge igitur, reſpondi, ut auferat, primo minis, deinde verberibus, ſi recuſet. Neſcio quid actum fuerit, audivi tamen poſtea omnino ſanatum fuiſſe puerum.

OBSERVATIO V.

Pueri Epileptici manus & pedes Schrophiloſis tumoribus afficiuntur.

MAſſiliæ me adhuc juvenem, & principiis Medicinæ incumbentem, vicina quædam noſtra vocavit, ut filium XI. annorum epilepſia laborantem viſerem. Paroxyſmus longus erat, cum violenta muſculorum contractione, paucisque poſt diebus recurrebat. A Medico remedia quædam ſunt adhibita, univerſalia, potius quam ſpecifica. Duobus menſibus exactis, manus ejus, & pedes, eorumque quidam digiti, ſcrophuloſis tumoribus affecti ſunt, quos ſponte apertos, ulcera exceperunt difficilis curationis, puerumque kakectia laborantem, mors ante ſex menſes abſtulit.

OBSERVATIO VI.

Virgo laborans Chloroſi & Epilepſia.

VIrgo quædam laborans fœdis virginum coloribus, cum in victu ſuo animo morem gereret; hac ut putabatur de cauſa, epilepſia correpta eſt, quæ octavo quoque die, aut circiter repetebat. Vocatus à patre tum propter anni tempeſtatem ruri degente, nihil ad morbum profligandum ſatius arbitratus ſum, quam à curatione chloroſeos incipere, in qua cum ſint pravi

pravi ſucci, quibus cerebrum nutritur, ſicut & cæteræ partes, ſuſpicabar illam, nec ſine ratione, epilepſiæ principium dediſſe: Ideo vitæ regimine præſcripto, ſequenti die medicamentum purgans admixtis quibuſdam ſpecificis propinavimus, poſtea tundendam cephalicam curavimus, non peccante ſanguine, quod in foedis virginum coloribus rarum eſt; quia fortaſſe menſes non erant in vitio, aut propter morbi cauſam infra dicendam: Sequenti die à purgatione, præſcripſi uſum pulveris kakectici per 20. dies, ut cap. de chloroſi docetur. Per id tempus rarior erat paroxyſmus, pulveriſque, uſu peracto, facies erat boni coloris, & in poſterum, paroxyſmi tamen epileptici, quamvis rariores perſeverabant; Ideo pulveris ſpecifici uſum quibuſdam matutinis, ut ſupra monuimus, præſcripſi; deinde conſului, ut geſtaret amuletum de frutice ſambuci collo appenſum, de quo fuſe Hartmannus in pract. chimiatr. titu. Epilepſia. Cum autem multa quæ ad ejus uſum ſpectant, videantur quid ſuperſtitioſum redolere, multi hac de cauſa eo uti religioni habent: Sed ſi omnia æqua lance perpendantur, quæcumque in eo obſervantur, haud dubie non improbabuntur: Multi enim Theologi, primo auditu eorum, quæ de hoc amuleto ſcribuntur, ſtatim damnantes, quæ mox afferam audientes, geſtationem amuleti concedere non dubitaverunt. Primo quidem, ſi de numero fruſtulorum ſambuci, quæ novem imperantur, habeatur ſuſpicio, decem imponenda ſunt; numerus enim non ſanat, ſed virtus ſpecifica rei, quæ validior erit in decem fruſtulis, quam in novem: Si quis enim crederet à numero curationem pendere, ita ut ſi minuatur, aut augeatur, illam aſſequi, nullo modo poſſe, jure ſuperſtitioſus habeatur. Si major etiam habeatur ſuſpicio veneficii, ab eo quod cavendum eſt, ne quis nodulum tangat, cum ſponte deciderit, ſed forcipibus apprehenſis, in quodam receſſu ſepeliendus, ne ſi quis inſciens tangeret, epilepſia corriperetur; non eſt verendum: Quis enim emplaſtrum à bubone, vel à carbunculo peſtiſero rejectum, tangere vellet? Ita nodulus ille, attracta maligna qualitate corporis epileptici, tangentem inficeret. Hoc auxilio & pluribus aliis adminiſtratis, quibus morbus cedere viſus fuerat, cùm poſtea ſine cauſa invaleſce-

 ret,

ret, veneficii ſuſpicio invaſit animum; magis itaque ſollicitus ſciendi modum invaſionis paroxyſmi, didici ægrotantem incipiente paroxyſmo, corpus in gyrum vertere ac ſi duceret choreas; quo audito, affirmavi parentibus, me eſſe in ſententia, epilepſiam hanc eſſe à veneficio, mihique in curando tempus terendum non eſſe, niſi vellent oleum & operam perdere, quod poſtea confirmatum eſt: Nam deſperantes cognati de ſalute ægrotantis, arte medica conſequenda, veneficum conſuluerunt, à quo reſponſum eſt epilepſiam hanc, à quodam viro, qui ægrotantem in uxorem popoſcerat, mediante venefico inflictam eſſe, eo quod ſpretus fuiſſet, quod verum eſſe mihi confirmarunt parentes: Tamen, inquit veneficus, ſpero me ægrotantem ſanaturum; dummodo ſanata taceat de his quæ dixi; alioquin morbum reverſurum: Quod præſtitit veneficus; ſanata autem puella, non potuit ſe continere, quin amaſium inſectaretur, morbuſque reverſus eſt, nec potuit ab eodem venefico curari, tandemque illam ſtrangulavit epilepſia adhuc juvenem, & viro nuptam, cum liberis.

De Paralyſi.

CAPUT V.

Paraliſeos deſcriptio.

PAralyſis proprie, eſt motus, & ſenſus privatio alicujus partis, interceptis viis, per quas animales ſpiritus ad ipſam feruntur, medulla ſcilicet ſpinali intercepta aut verius ab ea exortis: Sive hoc fiat ab intemperie, ſive ab aliquo humore obſtruente, ſive à contuſione, ſive ab inciſione: Falluntur enim qui cauſam emollientem, ſicut vulgus, imaginantur; propter hoc quod mollities partis in paralyſi, non eſt effectus, ſed defectus: Animali enim ſpiritu, quo membra firmantur, privati muſculi, videntur molliores; non quod ita ſint, ſed quod non habeant unde firmentur. Si quis v. g. fingeret ſe eſſe paralyticum ex aliquo membro, hoc aliis mollius omnibus videretur, re ipſa tamen non eſſet, ſed fraus morbum mentientis, & hoc aſtantibus imponentis, ſi partem ſineret arbitrio moventis.

Cauſa paraliſeos eſt defectus ſpirituum animalium.

tis detegeretur. Præterea videmus ſæpiſſime paralytica membra tandem contabeſcere, defectu facultatis animalis, qua etiam opus habent facultes naturales, ut melius ſuo fungantur officio. Si quis autem dixerit paralytica membra fieri humiodiora; damus, principio morbi eadem ratione, qua qui vitam otioſam agunt, fiunt humidiores; non ideo tamen humiditas illa faciet mollitiem, quæ apparet in membro paralytico pertractantibus, ſed defectus motricis facultatis, quæ muſculos intendit, & confirmat: Ideo non jure arguebat quidam Medicus alium, eo quod ſcripſiſſet thermas ſulphureas, & bituminoſas, valere contra paralyſim, inquiens hujuſmodi aquas emollire, quod paralyſi, quæ mollities eſt, non convenit, ſed bonus ille vir, præcipuam, & veram morbi cauſam non advertebat: Quis enim rerum uſu edoctus, aquas ſulphureas, & bituminoſas, ſi calore valeant, pollere virtute, proximæ paralyſis cauſæ diſcutiendæ, negabit, etiam emolliendo; diſcutientia enim quibuſdam emollientibus mixta, humores facilius diſſolvunt. Quia verò pars affecta paralyſi, movetur huc illuc, ad arbitrium moventis, ſolutaque videtur, nomen paralyſis affectui inditum eſt, quæ eſt, non totius corporis ſolutio, ſed partium aliquarum, ut verbum paralyſis ſonat: quamvis enim (*parà*) in compoſitione, modo augeat ſignificationem, apud Medicos tamen potius minuit, ut (*paraphroſyne*, *paraſynanche*, &c.) Sic (*lyſis*,) ſolutio eſt; & paralyſis, non omnimoda ſolutio, ſed tantum aliquarum partium, medietatis præcipue corporis, cum ſimpliciter quis diciter paralyticus, ſenſibus tamen interioribus illæſis, quia cauſa paralyſis eſt extra cerebrum; partes verò interiores, à ſexta conjugatione fere omnes ſenſum habent: In aliis particularibus ſpeciebus, nomen partis paralyticæ aſſumitur, ut linguæ paralyſis, tibiæ, brachii, &c. Eſt & alia paralyſios ſpecies, quam imperfectam nominant, quando ſcilicet illæſo ſenſu, partes privantur motu; Quod fit, non ſolum cum idem nervus motum, & ſenſum non defert; ſed etiam cum nervi obſtructio, qui motum, & ſenſum defert, non eſt perfecta, tranſeunte ſatis ſpirituum ad ſenſum, non autem ad motum: Longe enim major requiritur ſpirituum copia ad motum, quam ad ſenſum: Cum autem illæſo

Aquæ ſulphureæ & bituminoſæ conducunt in paralyſi.

læſo motu, pars ſenſu privatur, improprie nomen paralyſios tribuitur affectui; imo nullatenus paralyſis dici debet, ſed (*anaiſthesía*,) à Græcis dicitur, ab (*áiſthesis*,) ſenſus, ſeu ſenſatio, & a privativum, ideſt privatio ſenſus; cum nervus ſenſum tantum deferens afficitur. Harum omnium ſpecierum curandi ratio, prius quam ſuſcipiatur, ex anatome omnium nervorum exortus, acuratiſſime tenendus eſt, ne quis erret in topicorum applicatione, quemadmodum Medici Pauſaniam curantes, de quibus Galenus in lib. de loc. affect. Ideo quæ ad praxim magis neceſſaria mihi ſunt, à Neotericis hic transferre placuit. Si igitur faciei aliqua pas afficiatur: in paralyſi exquiſita, ſemper patitur nervus, qui parti motum, & ſenſum defert: In non exquiſita, in quo motus tantum perit, non ſoli nervo, ſed aliquando muſculo motui dicato, affectus ineſt. In paralyſi improprie dicta, quæ (*anaiſthesía*) eſt, tantum nervus ſenſum deferens laborat: In convulſione autem, ſi particularis, nervo, aut muſculo parte ſui nervoſa, tribui poteſt affectio: Laborante enim medulla ſpinali, & magis etiam cerebro, non una tantum pars afficitur, ſed plures, functioque ejus aliqua princeps interdum, aut omnes læduntur, & lateri cerebri magis affecto, major noxa infertur; licet in ipſius vulneribus contrarium ſæpe accidat, ægroto in partem ſanam decumbente; quo fit, ut vulneris excrementum in eam influat, cerebrumque, aut membranam ejus vellicet, aut alio modo afficiat, unde paralyſis, aut culvulſio. Faciei muſculis omnibus tantum reſolutis, aut convulſis, ea parte laborat cerebrum, qua fit nervorum ſecundæ, & tertiæ conjugationis exortus; Si ſolum oculi, tantum ſecundæ: Si oculis illæſis; temporales muſculi, maſſeteres, labia, narium pinnæ, reſolutionem, aut convulſionem patiantur, lingua autem, & partes oris ſenſum amittant; in parte cerebri qua fit nervorum tertiæ conjugationis exortus, affectio conſiſtit, cum quartæ noxa, à qua palatum ramulos accipit. Quo enim major partium numerus afficitur, eò altius cauſa ſymptomatis quærenda eſt; Quo verò minor, eò propius: Quod in paralyſi, & convulſione ſemper eſt conſiderandum; præcipue in brachiorum, & tibiarum ejuſmodi affectibus: Digito enim auriculari

Lib. 3. de loc. affect. cap. 10. & lib. 4. de loc. affect. cap. 45. &c.

Laborante cerebro aut Medulla ſpinali fit paraliſis in pluribus partibus.

riculari tantum læſo, & media parte digiti Medii, in ſolo nervo, qui a cavitate olecranii ad illos fertur, affectio quærenda eſt. Si verò omnes brachii partes lædantur, in exortu ſuo ex vertebris colli, nervus afficitur; qua de re, infra. His præmiſſis, horum quædam ad praxim magis neceſſaria, ſigillatim perſequamur. Superciliis itaque affectis, latus muſculus læditur, qui nervos accipit à ſecundo pari nervorum, à primis vertebris colli exortos, & ramos tertiæ conjugationis; Similiter in riſu ſardonio, & ſpaſmo cynico; ex lato enim muſculo, narium, & labiorum muſculi fiunt, ex antiquorum anatomiſtarum, & quorundam neotericorum ſententia; Andreas tamen Laurentius, & Riolanus, quibus credendum, alios particulares muſculos his tribuunt, qui ab eadem origine nervos accipiunt: Contractio tamen muſculi unius lateris labium moventis, duplicem poteſt habere cauſam, ſicut & in aliis plerumque partibus; ſpaſmum ſcilicet, aut paralyſim, muſculi alterius lateris: In convulſione enim canina, pars affecta contrahitur; in paralyſi verò, pars ſana, quæ diſtinguitur à convulſa, quod hæc tangenti dura, & contracta percipiatur, cum aliquo, ut plurimum, ſenſu doloris; In paralyſi autem, pars ſana trahens ægrotantem, quæ non reſiſtit, per ſe, non autem ex morbo contrahitur; ideo nec dura eſt, nec dolet pertractata. Cum enim per ſanitatem, muſculorum quamplurimorum oppoſitorum ſit, partes utrinque, velut in æquilibrio continere, ſi unus paralyſi laboret, etiam imperfecta, alter ex ſeipſo, nobis non advertentibus ſe contrahet, oppoſitum adducens, qui nullo, aut pauco ſpiritu animali firmatus, cedit trahenti, imperitiſque imponit, ſpaſmum cynicum repræſentans. Palpebris affectis, nervo tertiæ conjugationis, per foramen orbitæ tranſeunti cauſa tribuitur. Lingua exiſtente paralytica, ſervato guſtu, ſeptimæ conjugationis nervus laborat; tertia enim guſtat, & quartæ quidam rami. In vocis amiſſione, nervi recurrentes, ſeu vocales dicti, à ramo ſextæ conjugationis, qui à clavicula ſurſum aſcendentes per muſculos laryngis diſperguntur, laborant: Muſculis caput moventibus affectis, nervi qui inter occiput, & primam vertebram, aut inter primam, & ſecundam oriuntur, affecti ſunt, à quibus colli muſculi quoſdam ramulos

accipiunt; ſed par tertium, ex foramine ſecundæ, & tertiæ vertebræ egrediens, totum in muſculis colli abſumitur; quarti paris parvulus ramus itidem; quinti, & ſexti parvulus ramus, poſteriores per muſculos colli ſpargitur: Ideo læſo motu capitis, aut colli, in exortu horum nervorum, topica ſunt imponenda; advertendo quod ſupra diximus de mutua oppoſitorum muſculorum actione. Omnibus partibus infra cervicem affectis, menynges, aut ſpinalis medulla læduntur; quod ſi ſolum altera corporis parte fiat reſolutio, aut convulſio; dimidia tantum parte laborant: Reſolutis uno, aut pluribus brachii muſculis; à quinta vertebra, od ſeptimam, quærenda eſt affectio, unde nervi oriuntur numero ſex, ad brachia progredientes, quorum primus ſolo deltoidi muſculo, & pelli incumbenti inſervit. Secundus à ſexta vertebra egreſſus, primum fertur in bicipitem; deinde ramulum ſtatim impertit longo muſculo cubiti; poſtremò deſcendens in flexum cubiti, dividitur in duos ramos, quorum minor fertur per radium; major autem in pellem cubiti, & manus deſinit: Tertius ſecundo mixtus, ramulos ſpargit per brachialem internum, cui biceps incumbit. Quartus deſcendens ſub bicipite, poſtquam ramulos tranſmiſit muſculis cubitum extendentibus, & pelli internæ partis brachii, finditur tandem in duos ramos, circa articulationem cubiti, quorum unus excurrit ſecundum longitudinem radii, alter verò ſecundum longitudinem cubiti. Primus productis quinque ramulis, duos pollici impertit, duos indici, unum autem medio digito: Alter in carpum deſinit. Quintus deſcendens inter muſculos extendentes, & flectentes cubitum, tranſgreſſus retrò apophyſim internam brachii, tertioque mixtus, deſinit in digitos, impertiens duos ramulos digito auriculari, duos annulari, unum verò medio digito. Sextus deſcendens inter pellem, & panniculum carnoſum, per apophyſim internam brachii, deſinit in pelle cubiti. Ex hiſtoria nervorum, ex vertebris colli originem ducentium, colligitur diaphragma, ex quarta, quinta, ſexta, & aliquando ſeptima conjugatione, quatuor accipere nervos, quibus læſis lædetur, pro varietate læſionis, reſpiratio; quod in difficultate ſpirandi non parvi eſt momenti. Tibiis reſolutis, aut convulſis, in vertebris lumborum, aut in ner-

Topica applicanda in exortu nervorum, qui ad partem affectam tendunt.

A quibus nervis læſa reſpiratio.

nervis, qui ab his oriuntur, cauſa ineſt, quinque numero. Primus egrediens à primo foramine vertebrarum lumborum, tranſiens per foramen oſſis pubis, in muſculo tricipiti, qui coxam adducit, deſinit; Secundus à ſecundo foramine vertebræ, deſcendit ad muſculum vaſtum internum, tibiam extendens. Tertius à tertio foramine prodiens, fertur per ſinuoſitatem factam ab oſſe pubis, & ore ilii, ad muſculos tibiæ, & pedis, gemellum internum, & ſolarem, dictos. Quartus poſterior dictus, omnium nervorum fortiſſimus, ab ultima vertebra lumborum, & duobus ſuperioribus foraminibus oſſis ſacri ortum ducens, integer ad poplitem deſcendit, ubi in duos ramos prægrandes finditur, quorum unus circa caput perone, in tres ramulos diviſus, duos mittit ad muſculos anteriores tibiæ; tertium verò tarſo, qui duos ramulos impertit cuilibet pedis digito. Alter ramus poplitis, ſex ramos mittit muſculis poplitis; deinde ſub gemello interno delatus per fiſſuram malleoli interni, dividitur in duos ramos, quorum unum dat muſculo magni pedis digiti, tener dicto; alterum verò omnibus muſculis pedis digitos flectentibus. Nervi oſſis ſacri, partim coxæ, partim muſculis vicinis, & pelli, partim collo matricis, mentulæ, veſicæ, & muſculis ani feruntur; teſticuli autem à lumbis accipiunt. His præmiſſis, facilis erit cujuſcumque generis convulſionis, aut paralyſis cognitio, ideoque curatio; morbi enim cognitio, ex Galeno, eſt ipſius curationis principium, quæ prius injecto enemate, deſcriptionis cap. de affect. ſomniferis, auſpicanda eſt à venæ ſectione, è baſilica ejuſdem lateris, ſi partes inferiores afficiantur, aut è cephalica oppoſiti, ſi ſuperiores, habita ratione ætatis, virium, & plenitudinis, ſi qua ſit, ſicut & morbi, qui per ſe venæ ſectionem non poſtulat; licet interdum febris comitetur, in principio, paralyſim; nihil tamen juvans, eo quod non fiat à natura dominante, nec à morbo ut ſymptomatica, ſed à cauſa morbi, quæ utrumque efficit: Hoc autem, in his qui calido ſunt temperamento, vitæ potius intemperantia, & à cauſis externis, in hunc morbum incidentes; quorum omnium ratione, fieri poteſt venæ ſectio, etiam ſola revulſionis gratia; at morbi difficile, quod medullæ ſpinalis, aut nervi ſubſtantiam penetravit, detractione ſanguinis difficillime au-

Lib. 2. de meth. med. circa finem.

Venæ ſectionis uſus in paraliſi.

feretur; ſed materia influente revulſa, quod medulloſæ harum partium ſubſtantiæ infarctum eſt, natura interdum, & alia medicamenta diſcutiunt, ſi nimium tenax, & glutinoſum, non evaſerit; valde enim liquidus exiſtit humor dum fluit, ichori, aut ſero perquam ſimilis, alioquin ad ſubſtantiam uſque ſpinalis medullæ non penetraret. Facta venæ ſectione imponendæ ſunt humeris cucurbitulæ eadem die, circa veſperam, cum profunda ſcarificatione: Poſtridie autem præbeantur pilulæ ex fortioribus devorandæ, ut

Cucurbitulæ cum profunda ſcarrificatione proſunt paraliticis.

℞. Maſſæ pilul. aggreg. ſcrup. ij. maſſæ cocc. aut agar. ſcrup. j. caſto. gr. iiij. ſpiri. vitrio. gut. iij. olei ſalv. arte chymica extracti, gut. ij. fiant pilulæ ;- quarum vis augeri poteſt, in his qui non facile cedunt purgantibus, gra. iiij. troch. alhand. aut ſcamm. præpar. oportet enim ut venter pro ratione dejiciat; parvus enim dejectionum numerus, nihil, aut parum proficeret, humoribus è longinquo non eductis.

Pilulæ catharticæ in paraliſi.

Si ægrotus hoc genus purgantis deprecari videatur, potando purgetur, in hunc modum.

Hauſtus purgans.

℞. Rad. aco. & cype. ana ʒij. folior. beton. ſampſ. primu. veris ana m. ß. ſem. aniſi, & dauci, ana ʒj. flor. ſalv. & ſtæc. ana pj. fiat ex his decoct. Acc. q. ſ. infun. folior. ſennæ mund. ʒiij. aut ℥ß. ſem. coria ʒß. agar. troch. in nodulo poſiti, & ſæpius expreſſi, ʒj. colat. & expreſſio. factis; diſſol. elect. diacarth. ℥ß. aut amplius; vel loco elect. accipe pulv. Scrup. ij. ſerap. purgat. roſa ℥j. fiat potio mane ſumenda; aut fiant quædam doſes vini purgatorii, ut

Vinum medicatum purgans.

℞. Partiariam materiam prædictæ decoct. quam infund. cum cinamo. ʒiij. in vini albi ℔jß. vaſe operto. infun. in colatura folior. ſennæ mund. ℥j. turbith, & jalap. ana ʒjß. capiat de colat. ℥vj. quandiu duraverit, mane & ſero. Quod ſi venter in duabus primis doſibus non reſpondeat, adde in tertia, de ſyrupo meo magiſtrali, cap. de ſpleniticis deſcripto, ʒiij. vel ℥ß. purgat enim in parva quantitate. Poteſt hoc vinum in deliciarum amatoribus ſolo ſaccharo, ut dicunt, dulcorari, aut ſyrupo cap. veneris.

Poſt purgationem, reiterandam venæ ſectionem non exiſtimo; niſi aliqua peculiaris circumſtantia illud moneret, ſed facien-

ciendæ vertebrarum inunctiones parte præcipuè, qua ſit nervorum affectorum exortus, unguentis oleis, & balſamis calidis; de quibus multa in ordine remediorum alphabetico, tit. Paralyſis, inter quæ chimica, ſunt ſemper aliis præſtantiora, ut oleum ſalviæ, roriſm. & præ cæteris oleum Philoſophorum cum oleo terebenthinæ poſt ſpiritum exeunte mixtum, quod mihi familiare eſt, cum felici eventu. Quibuſdam diebus elapſis, ſi morbus perſeveret, & locus ubi nervi eſt obſtructio, ex his quæ diximus agnoſcatur, applicetur ſuprà veſicatorium, diuque apertum ſervetur. Interea poſt primam purgationem, ut humores facilius trahantur, ſequentibus apozematibus ad exitum diſponantur.

℞. Rad. aco. cype. & irid. flor. ana ℥ij. ſummit hyſſo. ſalv. ſampſ. origa. beton. primulæ veris, ana m. ß. flor. ſtœc. & roriſm. ana pi, ſem. aniſi, fœn. dauci ana ʒj. & ſi cerebri magis habenda eſt ratio, adde ſemen pœoniæ, & viſcum querc. Ex his fiat decoctio: Acc. ℥iiij. ſyrupi, de ſtœc. ℥iß. ſpir. vitrio. gut. iiij. capiat mane, & quatuor conſequentibus diebus: Et ſi magis tenuandum, loco ℥ß. ſyrupi de ſtœcade, pone ℥ß. mel. ſcyllit. & in decoctione gayac. aut ſalſæ parillæ pro faſtidioſis; niſi pro potu ordinario his ægrotus uteretur, aut chinæ radicis, quod optimum eſt, vino enim omnino interdicendum, & loco ejus uti mulſa, in qua origanum, aut ſalvia incoquatur, addendo in fine decoctionis parum cinamomi: veteri tamen jam morbo exiſtente, vinum conceditur, quia victus paralyticorum debet eſſe tenuis, calidus, & ſiccus; pituita enim, aut quivis humor frigidus, & craſſus, ſemper eſt cauſa morbi; licet in principio calidus, & tenuis interdum miſceatur, qui procedente morbo evaneſcit, relicto craſſiore, cum quo nobis præcipue res eſt; Ideo potentiſſima duo remedia ſunt, diæta ſudorifica, & thermarum uſus: Poſt hæc rite adminiſtrata, omnia cæcutiunt: Advertendum tamen, morbo exiſtente jam veteri, materiam aliquando calidis, & ſiccantibus indureſcere, quæ humectantia tunc temporis potius requirit ut diſſolvatur, ad quod balnea moderate calida, in quibus emollientia incoquantur cum floribus cham: & meliloti convenire exiſtimandum eſt, vel potius thermas bituminoſas.

Decoctum antiparaliticum.

Potentiſſima remedia in paraliſi ſunt, uſus thermarum & diæta ſudorifica.

PROGNOSTICA.

PAralyſis ab humore frigido, & craſſo, morbus chronicus.

Paralyſis alios morbos ſubſequitur, ut apoplexiam, epilepſiam, colicam, uteri ſuffocationem, & febres chronicas.

Paraplegia, quæ paralyſis eſt ſuccedens apoplexiæ, difficile ſanatur, & iterum in ipſam, ut plurimum, recurrit.

Paralyſis particularis quamvis longa, fere ſanabilis.

Paralyſis repentina, ab ictu, aut vulnere, fere ſemper deſperata.

Paralyſis cum membri atrophia, difficillime ſanatur.

Perfecta paralyſis, difficilius curatur imperfecta.

Quo proximior cerebro eſt affectus, eo difficilior curatio.

Tremor paralyſi ſuperveniens, bonum.

Senibus difficilius curatur.

Si membrum reſolutum, actu calidum ſit, ſpes ſalutis. Æſtate facilius curatur, quam Hyeme.

Paralyſi febris valida ſuperveniens bonum. Gal. in prorrher.

Paralyſis à vaporoſa materia, aut à calidis humoribus, ut à crapula, brevi aliquando finitur.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Paraliticus diæta ſudorifica curatus.

RElígioſus Ordinis ſancti Benedicti, paralyſi imperfecta correptus, in qua motus brachiorum perierat, ſalvo ſenſu, coxæ verò, & tibiæ, non valebant corpus ſuſtinere, tanta erat eorum imbecillitas, In hoc ſtatu, miſſus eſt in hanc urbem à ſuo provinciæ præpoſito, affectionis curandæ gratia. Habita conſultatione, ſtatutum eſt conjunctis ſententiis, ut purgato corpore diæta ſudorifica inſtitueretur, non ſpretis dorſi totius unctionibus, ſenſimque ante præfinitum regiminis tempus, motum recuperavit, potuitque religioſi cœtus munia obire. Quia autem capitis refrigeratio morbo principium dederat, ut fluens humor averteretur, ſetonem in collo geſtandum curavimus, quem poſtea in fonticulum convertit: Ne autem affectus recurreret, præſcripſimus pilulas, quibus per intervalla pro pur-

purgatione uteretur, ſervato quantum monachi ſtatus permitteret regimine.

Observatio II.

Quidam incurvatus ictu mali antennæ, inunctione olei terebinthinæ & philoſophorum ſanatus.

ADdictus ad remos, decidentis caſu antennæ, mali anterioris ictus mole; quæcumque ad curationem neceſſaria erant, à triremis Chirurgo adhibitis, nihil auxilii percepit, manſitque incurvatus: Anno elapſo, cum ad remigandum inutilis eſſet, libertate donatus eſt. Hunc per vicos Maſſiliæ ſtipem corrogantem, quædam mulieres commiſeratione ductæ, domum cujuſdam matronæ adduxerunt, quæ in pauperes valde erat benefica. Tunc temporis degentem Maſſiliæ, ut illi mos erat in arduis curationibus, me accerſendum curavit, rogans ut ſi quid arte medica valerem, pauperi non denegarem, quod me facturum libenter reſpondi, ſi ſpes aliqua recuperandæ valetudinis eluceret; omnibus verò eſſe notum, hujuſmodi affectum incurabilem eſſe, aliquid tamen tentandum in Dei gratiam: Exiſtimans autem humorem fortaſſe aliquem, vel in vertebris lumborum, vel in muſculis concretum, nihilque potentius eſſe ad diſcutiendum, oleo philoſophorum, & oleo terebenthinæ quod ſecundò exit poſt ſpiritum, aureique eſt coloris, præſcripſi, ut horum paribus portionibus mixtis, calide lumborum regionem quibuſdam diebus inungeret. Rem inauditam, & miraculo ſimilem! octo dierum intervallo corpus erexit, ambulans per urbem, pauciſque poſt diebus diſceſſit in patriam.

Observatio III.

Paralitica curata.

AD curandum uxorem paralyticam piſtoris dulciarii, cum eſſem Maſſiliæ; ſtatim injecto enemate, brachii ſani venam tundendam curavimus: Poſtera die doſim pilularum capitalium præſcripſimus; deinde vulgares inunctiones; poſtea verò apozemata ſupra ſcripta, ad novam purgationem inſtituendam, brevique ſenſum recuperavit; quod videns maritus, hujus quaſi ſanatæ reliquam curam Pharmacopæo demandavit, ſumptui, ut opinor, parcere volens.

Ob-

OBSERVATIO IV.

Cauſidicus in ſtuporem incidens curatus.

CAuſidicus quidam hujus urbis, inclinante ætate rheumaticus, & vino parum indulgens, incidit de repente in ſtuporem, quæ via eſt ad paralyſim, totius lateris ſiniſtri, cum febre; quibus coactus eſt decumbere; ab injecto, & rejecto enemate, lateris ſani venam in brachio aperiendam curavimus, & ſerotinis horis cucurbitulas eadem die applicandas cum ſcarificatione: Poſtera die purgationem in forma liquida præſcripſimus; poſtea verò totam ſpinam oleo philoſophorum, & terebenthinæ, quibuſdam diebus inungendam, ut ſupra dictum eſt, imperavimus; ab his, uſi ſumus ſudorificis, duobus diebus continuis de nocte, deſcriptionis ſequentis.

℞. Salſæpar. minutiſſime inciſæ, & parum cont. ℥ij. inf. in aquæ ulma ℥vj. facta unica ebullitione, & colatura, diſſolve ſalis ejuſdem gr. viij. ſacc. ſi velis ad dulcedinem conciliandam q. ſ. capiat hora nona veſpertina; nocte multum ſudavit; altera nocte etiam, ſed non ut prima; intraque octo dies ſanatus eſt.

OBSERVATIO, ET APPENDIX.

Herbæ medicinales maximarum ſunt virium iis in locis ubi ſponte naſcuntur.

IN hac regione quia carduus benedictus non eſt ſuæ ſpontis, utor potius aqua, & ſale ulmariæ, experientia edoctus, carduum benedictum, longe inferioris eſſe virtutis, eo qui ſua ſponte naſcitur in regionibus calidis, quod in omnibus ſimplicibus accidit: unde vult Meſues ut colligantur in loco libero: Id eſt, ut explicavimus in noſtra Pharmacia Theorica, lib. 2. de electi. medica. in loco ubi, nec ſemine, nec denuò ſatæ, coguntur creſcere, ſed ſponte naſcuntur.

CAPUT VI.

De ſpaſmo ſeu convulſione.

Quis affectus dicatur convulſio.

ETſi convulſio exquiſita, dicatur involuntaria muſculorum ad ſuam originem perpetua contractio; non ideo exiſtimandum eſt, quibuſdam convulſionibus, quæ non ſunt omnino perpetuæ, nomen convulſionis exquiſitæ, minus convenire;

Ad

Ad veram enim convulſionem, quæ temporis duratione, & cauſæ diverſitate, diſtinguitur à motu convulſorio, non requiritur ut muſculus contractus, maneat à principio morbi, uſque ad perfectam ſolutionem ipſius; ſed ſufficit ut quodam temporis ſpacio convulſus maneat, licet poſtea fiat remiſſio, & iterum contractio; quæ cum ſit præter voluntatem, & violenta, ideo dolorifica: Et ita, ut recte definiatur, dicenda eſt, permanens cum dolore, muſculi ad ſuam originem involuntaria contractio. Cum autem contractio illa, fiat muſculis primario affectis, vel cerebro condolentibus; prima convulſionis diviſio, erit in illam quæ fit per conſenſum ſeu condolentiam, & in illam quæ primaria dicitur. Convulſio ex condolentia, fit conſentientibus muſculis, cerebro gravi aliquo affectu laboranti, ut vulnere, compreſſione, inflammatione, ſubſtantiæ corruptione, & à noxia aliqua qualitate male habito; alterius tamen generis ab ea, quæ facit epilepſiam: Neque enim exiſtimandum eſt, ut quidam ſcribunt, cerebrum in hac convulſione per condolentiam, affectui muſculorum conſentire; Quod ſi laborantibus condoleat muſculis, nervo præcipue, & tendoni, non eſt propterea dicendum, cerebrum convulſione laborare; neque enim habet muſculos, ut convellatur, ſed ſua diaſtole, & ſyſtole, movetur motu naturali, qui in convulſione periret, ſicut & animal, deficiente ſpiritu animali, quem non poſſe ſine ſyſtole, & diaſtole, confici, certum eſt: Ideo motum cerebri depravatum, palpitationem vocavimus, cap. de Epilepſia. Hac ratione, convulſio primaria tantum eſt, cum cauſa inſidet in muſculo, non autem in cerebro: Quod etiam ſi poſſit eſſe primaria cauſa convulſionis, in illo tamen nulla eſt convulſio, neque primaria, neque ſecundaria, ſed qualiſcumque motus ſit in cerebro, is ut in corde, omnino ad aliquam ſyſtoles, & diaſtoles ſpeciem, referri debet; Quemadmodum ſternutatio, quæ maxima eſt, & velox cerebri ſyſtole, ut quod quantitate, vel qualitate moleſtum eſt excutiat, juvante reſpirationis motu. Stomachus etiam, præcipue os ipſius, poteſt eſſe cauſa primaria convulſionis, non quidem per ſe, ſed affectum cerebro communicans, per nervos ſextæ conjugationis, cui poſtea muſculi conſentiunt; ut narrat Galenus de juvene, antequam bilem æru-

Vera convulſionis definitio.

Cerebrum proprie non convellitur,

Sed motus ejus depravatio dicitur palpitatio.

Com. ſuprà apho. 1, ſect. 1.

Quid tetanus. Quid Emproſthotonus. Quid opiſthotonus.

ruginoſam vomeret. Convulſio primaria, ſicut & ſecundaria, vel eſt univerſalis, vel particularis; univerſalis cum cervix, & reliquum corpus intenditur, ſive rigidum maneat omnibus intenſis muſculis, ante, & retro, ut in tetano, ſive incurvatum maneat, convulſis ſolis anterioribus muſculis, ut in emproſthotono, ſive tantum in poſteriora flectatur, convulſis parte poſtica muſculis, ut in opiſthotono; Quæ nomina, ſolis convulſis muſculis caput moventibus etiam aſſumuntur, licet ſint convulſiones particulares; quæ proprie dicuntur, cum pars una, aut altera, convellitur. Hæ omnes convulſiones, ſecundum doctrinam Hippocratis, dividuntur rurſum in illas, quæ vel à repletione, vel ab inanitione fiunt; Quam quidem diviſionem, multi recentiorum non ſequuntur; alii verò acriter tuentur, conantes univerſas convulſionis ſpecies, vel ad inanitionem, vel ad repletionem reducere, quaſi omnes earum cauſæ, ſint vel repletio, vel inanitio; Multique eorum uniuſcujuſque ſententiæ fautores, etiam ſi doctiſſimi habeantur, & ſint; contra omnem doctrinam, & Galenum, lib. 3. de loc. affect. cap. 6. & lib. 12. de uſu part. cap. 3. in nervo, contractionis motum ſtatuunt. Quis enim tam inſcius, qui non videat ſolis muſculorum fibris convenire, poſſe contrahi, & extendi; non autem nervis, & tendonibus, licet motui inſerviant; illi ſpiritum animalem deferentes; hi verò utroque extremo oſſibus adhærentes, ut partem adducant, muſculi fibris ſe ſe contrahentibus; ſive voluntarie id fiat; ſive voluntate non imperante; ſive contra voluntatem: Triplicis enim generis eſt muſculorum contractio. Prima eſt voluntaria, cum præcedente imaginatione, moventur, imperante voluntate. Altera cum nulla præcedente imaginatione, neque voluntatis imperio moventur per ſanitatem, ſolo naturæ inſtinctu; ad moleſtum aliquid, quod ſe habet per modum tranſeuntis, arcendum; ut in quibuſdam excretionibus, & pluribus dormientium motibus. Tertia eſt violenta, & contra voluntatem, à cauſa morbifica; quæ ſi permanens, convulſio vocatur; ſi cum frequenti viciſſitudine; ut in epilepſia, motus convulſivus dicitur, qui à quibuſdam convulſio fiens appellatur: unde colligitur iſtos affectus, in una & eadem parte factos, differre tantum ſecundum magis & minus,

Apho. 59. ſect. 6.

Lib. 1. de mot. muſc. Lib. x. de uſu part.

Triplex eſt motus genus muſculorum voluntarium, naturale & violentum.

cau-

cauſæ ſcilicet magnitudine, quæ ſi violenter, & ſemper urgeat, parit convulſionem; ſi per vices, & moderatius, convulſorios motus; quia virtus conſervatrix noſtri, toti, & cuilibet parti indita, pro natura cauſæ irritantis, ad excernendum movetur: Ideo in convulſione fere ſemper agit, quia fere ſemper ſtimulatur, & à cauſis potentioribus, quam in motu convulſorio: Quas quidem cauſas, nude, & ſimpliciter ad repletionem, vel inanitionem reducere, difficillimum eſt, ſi de mera repletione, vel inanitione intelligatur: Quomodo enim capitis, & nervoſarum partium vulnera, compreſſiones, contuſiones, inflammationes, inſignes refrigerationes, qualitates malignæ, venenatæ, tum à beſtiis, tum ex aſſumptis, conſenſus à cerebro, ab utero, ex ore ventriculi, ſubiti terrores, ira, & alia ejuſmodi quæ convulſionem invehere poſſunt, ad meram, & ſimplicem inanitionem, vel repletionem reducentur. In hecticis enim, cum ad maraſmum deducti ſunt, maxima facta eſt inanitio; nullas tamen patiuntur convulſiones: Repletio in nervo, ſi perfecta, paralyſim potius faciet, quàm convulſionem; Si imperfecta, & non vellicet, ſtuporem aut quamdam motus impotentiam: nec valent contra hæc multorum allatæ reſponſiones, de quibus fuſe Sennertus. Lib. de cauſ. ſymptom. fac. motri. Dicendum igitur, ut valeat Hippocratis aphoriſmus, cauſas omnium convulſionum, ad quamdam repletionem, aut ſaltem inanitionem, generatim poſſe reduci, vellicantes ſcilicet partes nervoſas; alioquin nulla convulſio, ſaltem primaria: Ideo in hecticis nulla fit convulſio, quia pedetentim partes corporis exſiccantur; inanitio autem, ut convulſionem pariat, citò fieri debet; alioquin partes nervoſæ paulatim inanitioni aſſuetæ, noxam non ſentiunt: Adde quod in hecticis nulla eſt materia vellicans, quemadmodum in aliquibus morbis ab inanitione, ut eſt dyſenteria: Paucæ tamen ſunt, aut nullæ, convulſiones primariæ, ab inanitione, niſi per accidens; inanitio enim privatio eſt, oportet igitur illam, alterius rei interventu convulſionem parere, acrioribus ſcilicet redditis humoribus, à benignorum hos diluentium vacuatione, ut in longa diarrhœa; aut propter violentiam, quæ infertur partibus nervoſis ab inanitione, ſuccum alimentarium jam attractum,

Male convulſiones ad meram inanitionem vel repletionem referuntur.

cum moleſtia deponentibus. Aliæ verò convulſiones quæ ab inanitione fiunt, omnes ſunt per conſenſum, partibus principibus affectis ab inanitione, ut quæ fiunt à nimia vacuatione ſanguinis, ſpirituum jactura inſigni, ut in ſyncope, & aliis magnis inanitionibus, quibus partes principes maximè afficiuntur, unde lethales ſequuntur convulſiones ex inanitione, per conſenſum tamen omnes. At à repletione, multæ, & primariæ, & ſecundariæ, invehuntur per ſe convulſiones, non autem omnimoda, & perfecta, ſed ex parte, ſufficit enim ut aliqua ſit repletio ex humore vel vapore vellicante; nam omnimoda repletio in nervo, aut ſpinali medullâ, quamvis ex acri materia & corrodente, perfectam potius, ut opinor, gigneret paraliſim, quam convulſionem, via ſpiritibus impedita; in partibus autem nervoſis, quæ ſpiritibus deferendis non deſtinantur, convulſionem potius afferret; nam unam eandemque cauſam, eodem tempore paralyſim, & convulſionem in eadem parte efficere, nullo modo mihi perſpectum eſt. Neque exiſtimandum eſt cum Hercule Saxonia, fieri tantum convulſionem, cum humor replet membranam nervum inveſtientem; æque enim generatur convulſio, acri humore nervi medullam vellicante, ac ejus membranam; cerebrum enim licet non ſentiat, ſicut & medulla ſpinalis, quæ cerebrum productum eſt, patiuntur tamen, unde & paralyſis, & convulſio invehitur. Sed his omiſſis, ut omnia quæ jam à nobis ſupra enumerata ſunt, ad repletionem, aut ſaltem inanitionem reducantur, maxime autem ea, quorum reductio à multis impoſſibilis videtur: Dicendum primò quidem de vulnere partium nervoſarum, convulſionem fieri à ſanie, quæ ſe habet per modum replentis. In contuſione earum; dicendum eſt, in partibus contuſis effundi humorem, qui corruptus cauſa convulſionis eſt; ſicut in compreſſione: De inflammatione, dicendum non fieri ſine materia. Inſignes refrigerationes humorem cogere, qui proprio loco dimotus, convulſionem facit, vel ex inſigni refrigeratione, occultam fieri continui ſolutionem, ex qua etiam humor loco dimovetur. Qualitates malignas, ſive purgantis, ſive alterius rei, corrumpere humores, aut per modum exhalationis ferri per partes nervoſas, quod ad repletionem reducitur; vel ad inanitionem,

Gal. comm. in apho. 26. ſect. 2. Lib. de tremo. convul. &c.

Variæ convulſionum cauſæ.

nem,

nem, eo modo quo ſupra dictum eſt de validis purgantibus. De morſibus venenatis, certum eſt animal ſalivam deponere, quæ veneno imbuta, ſucceſſive corrumpit humores, cauſas poſtea convulſionum. Conſenſus, quidam ad plenitudinem, ut qui fiunt materia aliqua tranſlata; alii verò ad inanitionem, v. g. cum ex nimia ſanguinis evacutatione affecto principio, pars aliqua convellitur, ut ſupra dictum eſt. In ira, & ſubito terrore, eſſe humorum motus, licet contrarios, nemo non videt, quorum interventu fiunt interdum convulſiones. Cætera quæ afferuntur contra Hippocratis aphoriſmum; prædictis, leviori negotio ad repletionem, aut ſaltem inanitionem reducentur, ſi ea quæ ſupra ſcripta ſunt, accurate perpendantur. Nunc ex his conſtitutis, quæ curationi utilia ſunt colligamus. Si igitur convulſio eſt à repletione, non requiritur, ut ſupra diximus, omnimoda repletio, ſed ſufficit aliquam materiam, ſubeſſe in partibus nervoſis vellicantem, qualiſcumque generis ſit, ſive humor, ſive vapor, quæ fere omnes gignunt convulſiones, præſertim primarias; puriſſimæ enim ab inanitione fiunt, niſi quædam per accidens, & aliæ per conſenſum, plurimæque ſunt convulſiones à repletione, quæ à multis ab inanitione putantur, ſicut de ſingultu, eadem enim eſt ratio horum affectuum, ſaltem reſpectu cauſæ; Quamvis enim ſingultus non ſit proprie convulſio, in multis tamen conveniunt, ut videre eſt apud Hippocratem apho. 3. & 4. ſect. 5. & apho. 39. ſect. 6. Ideo multa quæ de ſingultu ſcribuntur, eodem prorſus modo de convulſione intelligenda ſunt; unde, cui per longam diarrhœam, dejectiones tandem factæ ſunt æruginoſæ, cum ſingultu, non ab inanitione factum exiſtimandum eſt, ſed potius ex acri illo humore æruginoſo, intus ſedem aliquam occupante, quod ad repletionem potius quam ad inanitionem referendum eſt: Ita de convulſione ſtatuendum; multas inanitionibus ſupervenire, quæ nihilominus à repletione fiunt; Quod in curatione non parvi eſt momenti: Cum enim convulſio ſit ſymptoma, ſubſtractione cauſæ auferri debet, quæ in repletione ut plurimum conſiſtit, raro autem in ſola inanitione, ut jam explanavimus. Quibus pro curationis fundamento poſitis; quinque peractis, eradicabitur omnis convulſio à repletione. Primum

Singultus convulſionis ſpecies.

mum eſt, dum potiora parantur, ut in omni convulſione, qualiſcumque ſit generis, ſtatim in principio foveantur partes convulſæ malacticis, ne fibris muſculorum vis nimia, contractione inferatur; quod perficitur inunctionibus calidis, ex oleo amygdalarum dulcium, liliorum, & pauperibus oleo communi, in quo malva incoxerit, parum olei chamæmelini immiſcendo. Secundum ut dolor demulceatur, qui vel ab acri materia, vel à nimia fit contractione. Si ab iſta, malacticis jam dictis demulcebitur; ſi ab illa, cauſa exiſtente in parte convulſa, aut in nervi exortu, temperanda eſt acrimonia oleo amygdalarum dulcium; cum oleo violaceo, aut de nymphea, præcipue ſi humor caliditatis alicujus ſit particeps, in quo caſu balneum aquæ dulcis mediocriter calidum in quo malactica incoxerint cum floribus chamæmeli, & meliloti, quibuſdam libris olei injectis, plurimum proderit; Quod ſi pars in balneum demitti non poſſit, foveatur ſtupis. Si autem dolor ſit à vulnere, practici utuntur oleo terebenthinæ, ſpiritu ſcilicet, calidiſſime in vulnus inditio, & irrigatione partis cum oleo roſaceo: At ſi quis haberet in promptu, uti ego habeo, balſamum Paracelſi, puncturis maxime nervorum dicatum, nihil ultra optandum; eſt enim mirabiliſſimæ virtutis, in ſedandis doloribus vulnerum, partium præcipue nervoſarum, & convulſione avertenda, quæ ex Hippocrate lethalis eſt, nullus eo carere deberet Chirurgus, in omnibus enim vulneribus, præſtantiſſimum eſt glutinativum, oſſibuſque denudatis impoſitum, ab aëris alteratione tuetur, & duræ matri ſauciatæ, vel denudatæ, amiciſſimum: Ejus fundamentum, oleum eſt terebenthinæ luteum, quod in deſtillatione effluit poſt ſpiritum; In eo folia agrimoniæ, & hyperici, deinde flores ejus, & alia ad ſolem infunduntur, unum quodque ſuo tempore; ab hypericone rubicundo evadit colore. Tertium eſt, ut materia vellicans avertatur, & exhauriatur, quod venæ ſectione, & purgatione primùm exequimur; Quare injecto enemate, vena aperiatur ſecundum partis affectæ poſitionem, & cauſæ diverſitatem, ut ſuperiori capite proditum eſt, licet ſolius revulſionis gratia tantum fiat, nulla exiſtente plenitudine, quanto magis ſi ſubeſſe videatur. Poſt venæ ſectionem, ſecundum indicationes itera-

Partes convulſæ oleis malacticis inunguendæ.

Balſamus ad nervorum puncturas,

Aph. 2. ſect. 5.

Deſcriptus à Paracel. in parva, chirur.

ra-

ratam, ſi opus fuerit, decernatur de purgatione, cujus multæ extant deſcriptiones, ſuperioribus capitibus, præcipue capite de paralyſi, ubi caſtoreum additur purgantibus, quod etiam hîc convenit, & in omnibus affectibus frigidis cerebri. Poſt purgationem; cucurbitulæ cum ſcarificatione, veſicatoria, collo, ſcapulis, lumbis, oſſi ſacro, imponantur, prout mali fons, & origo animadvertetur, ex nervorum ortu, & excurſu, capite præcedenti deſcriptis. Dum hæc gerentur, parti primariæ affectæ, ſi ſit ſpinalis medulla, aut nervus ab ea exortus, fient inunctiones ex oleis, & balſamis calidis, ut oleo chamæmelino, irino, de caſtoreo, de terebenthina, de baccis lauri, de lateribus; Parti convulſæ fient etiam inunctiones, ex oleo amygdalarum dulcium, liliorum, cum pauco olei chamæmelini, aut terebenthinæ, ne, ut diximus, fiat villorum muſculi nimia contentio, & ex parte cauſæ, & ex parte naturæ irritatæ, quæ ſemper majori cum impetu feruntur in principio. Cum morbus proceſſit, & cauſa exiſtit in parte convulſa, fortibus ſemper utendum, ut materia morbifica tota exhauriatur, quod etiam balneis perficitur, ex malva, biſmalva, calam. origa. lauri foli. ſalv. ſampſ. & ſimilibus, cum bac. lauri, & Junip. & ſem. lini, & fœnug. vel adeundum thermas ſulphureas, & bituminoſas, quæ diſcutiendo emolliunt: A balneis, fiunt poſtea ex jam dictis oleis inunctiones. Quartum quod expedit agendum in omni convulſione, eſt ut materiæ vellicantis qualitas infringatur, veſcendi regimine humorum acrimoniam obtundente, & uſu juſculorum ex juvenibus carnibus, in quibus lactuca, endivia, cichoreum & ſimilia, cum ſeminibus frigidis incoquantur: his præcipue, qui vino ſe ingurgitarunt tempore ſanitatis, & aromatibus veſcebantur, multoque magis cum aliqua febris adeſt, quæ non eſt ſemper bona, etiam ſi convulſioni ſuperveniat, ut annotavit Meſue cap. 12. lib. 1. Theor. 4. Lactis etiam uſus, acres humores omnium maxime temperat; ſed ut plurimum, hujus rei perficiendæ morbus non dat inducias, niſi in particularibus convulſionibus. Quintum & ultimum eſt, ut cauſa fovens, ſi qua ſit, intercidatur, ut partium nervoſarum refrigeratio, ebrietas, & fluxio humorum: Primum impediatur, & calidis corrigatur: Pro ſecundo vini potus in-

Caſtoreum additur purgantibus in Epilepſia convulſione & omnibus affectibus frigidis.

Non omnis febris convulſioni ſuperveniens bona.

interdicatur ægrotis: Tertium avertatur ut cap. de fluxionibus dictum eſt.

Curatio convulſionis ab inanitione,

In convulſionis curatione ab inanitione, advertendum utrum illa per ſe ſit cauſa convulſionis, an verò per accidens; multoties enim, ut diximus, non ratione evacuationis, ſed ratione pravæ qualitatis humoris exeuntis, aut intus remanentis, qui vellicat partes nervoſas, quod potius ad repletionem, ut monui, referendum eſt, quam ad inanitionem; ita ut in curatione, ſi per diarrhæam fiat putata inanitio, incipiendum ſit à purgatione, & pergendum in vacuatione humoris vellicantis, per epicraſim tamen facta, cum vellicantem acrimoniam obtundentibus; quia humor ille, quo magis movetur, eo atrociores excitat tragœdias, ut fuſius docebitur, cap. de diarrhæa. Si verò inanitio cauſa per ſe convulſionis exiſtat, parti principi communicata, quæ vim patitur, ut ſuprà traditum eſt, & quaſi vellicatur, avulſis ſpiritibus, & materia fovente humidum ſuum radicale, affectuque partibus nervoſis communicato, fit convulſio per conſenſum, quæ ſi fuerit ab inanitione confirmata, incurabilis eſt, ſi autem à recenti, quo minus vetuſta, eo facilior curatio, dummodo inanitio non perſiſtat. Curabilis igitur convulſio ab inanitione, duo poſtulat; ut inanitio ſcilicet impediatur, & partes inanitæ refocillentur. Primum perficitur cohibendo effluxum, vel ex toto, vel ex parte: ſi ſanguinis, omnino, niſi ſit criticus, & in principio, ita de ſudore ferè dicendum: Aliorum verò humorum, ut docetur cap. de diarrhæa, & dyſenteria: Quod enim pravum eſt, non debet intus cohiberi, nec cum impetu propelli, viribus, & natura morbi id non ferentibus. Secundum acquiritur victu analeptico, ex his quæ citiſſime ſpiritus vireſque reparant, ut ſunt juſcula in quibus vitelli ovorum recentes, vinum, & ſaccharum immiſcentur, marcipanes in vino immerſi, & lactis uſus, quod valdè nutrit, humectat, & humorum acrimoniam temperat: In febribus, præcipuè ardentibus, utendum cremore ptiſanæ, juſculis ex junioribus animalibus confectis, humidis, & frigidis oleribus alteratis, diſſoluto qualibet vice, ovi vitello recenti, totaque dorſi ſpina oleo violaceo inungenda, ut convulſio impediatur, facta enim, ægre datur curationi locus: Omnia denique quæ he-

Duo poſtulat, ut nempe inanitio impediatur & partes inanitæ refocillentur.

hecticis, imperantur convulſione correptis ab inanitione, præcipuè cum inanitio cauſa exiſtit per ſe convulſionis: Ab inanitione autem, cauſa exiſtente per accidens, humorum acrimoniæ temperandæ præcipuè habetur ratio, ne qui intus ſunt, aut remanent, ferociores evadant, ut ſupra demonſtratum eſt.

PROGNOSTICA.

FEbrem convulſioni ſupervenire, melius eſt, quam febri convulſionem. Hippocrates, Aphor. 27. ſect. 2.

Convulſio vulneri ſuperveniens lethalis. Hippo. Apho. 2. ſect. 5.

Multo ſanguine fluente, ſingultus, aut convulſio ſuperveniens, malum. Hippo. Apho. 3. ſect.

In purgatione immodica, ſingultus, aut convulſio ſuperveniens, malum. Hippocrat. Aphor. 4. ſect. 5.

Convulſio ab elleboro lethalis. Hippocr. Aphor. 1. ſect. 5.

Qui tetano corripiuntur, intra quatuor dies pereunt; ſi verò hos effugerint, ſani fiunt. Hippocr. Aphor. 6. ſect. 5.

Frigidum convulſiones facit, & tetanos &c. Hippocr. Aphor. 17. ſect. 5.

In fluxu muliebri, convulſio, & animi deliquium ſuperveniens, malum. Hippo. Aphor. 56. ſect. 5.

Quibus tumores in ulceribus apparent, non valdè convelluntur, neque inſaniunt: his autem repente evaneſcentibus, introrſum quidem, convulſiones, & diſtenſiones: Quibus verò &c. Hippocrat. Aphor. 65. ſect. 5.

A quartana correpti, non valdè convulſione corripiuntur: Si verò priùs corripiantur, ſuperveniente quartana liberantur. Hippo. Aphor. 70. ſect. 5.

In febribus acutis convulſiones, & circa viſcera vehementes dolores, malum. Hippo. Aphor. 66. ſect. 4.

In febribus ſpiritus offendens, malum; convulſionem enim ſignificat. Hippocr. Aphor. 68. ſect. 4.

Spaſmo, aut tetano, febris ſuperveniens, morbum ſolvit. Hippocr. Aphor. 57. ſect. 4.

Ab ardoribus vehementibus, cenvulſio, aut tetanus, malum. Hippocr. Aphor. ſect. 7. Apho. 13.

A vigilia convulſio, aut delirium, malum. Hippocr. Aphor. 18. ſect. 7.

In morbis melancholicis, periculoſi humorum decubitus: aut enim apoplexiam, aut convulſionem, aut furorem, aut cæcitatem indicat. Hippo. Aphor. 56. ſect. 6.

Convulſio ab inanitione confirmata, lethalis. Gal. ubi ſupra.

Pueri frequenter convulſionibus corripiuntur; & quo juniores, eo facilius evadunt.

Juvenes raro convulſionibus corripiuntur; & correpti crebrius intereunt. Viri minime; ſenes ſæpiſſime, & ea magis enecantur.

Mulieres magis tentantur convulſionibus, quam viri, propter frigiditatem, & facilius liberantur, propter humiditatem.

Ex aborſu mulieres convulſæ, raro evadunt.

Convulſiones ab utero, ſi ſint ſine febre, facile curantur.

Convulſiones quæ in principiis morborum fiunt; humorum copiam, & frigiditatem arguunt, in partibus nervoſis, & eorum vellicationem, quæ etiam fit ex inſigni labore, ut in vomitu.

Quo partes à cerebro magis ſunt remotæ, & minus nobiles, eo minus periculoſa eſt convulſio.

Convulſio quæ actionem vitæ neceſſariam lædit, ut reſpirationem, aliis magis periculoſa.

Ab ileo, vomitus, ſingultus, convulſio, aut delirium, malum. Hippo. aphor. 10. ſect. 7.

A medicamento purgante convulſio, mortiferum. Hippo. apho. 25. ſect. 7.

Convulſio quæ phrenitidem ſequitur; lethalis. Aëtius tetrab. 2. ſermo. 1. cap. 131.

In febre non intermittente, ſi labrum, palpebra, vel oculus, vel naſus, vel ſupercilium pervertatur, jam debili exiſtente corpore, mors eſt in propinquo. Ex Hippo. aphor. 49. ſectio. 4.

Enar-

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Ruſticus ab opiſthotono curatus.

RUſticus quidam Maſſilienſis venit in urbem curandus à convulſione poſteriorum muſculorum capitis, & colli; quæ, ut diximus, opiſthotonos vocatur, eſtque illa in qua totius corporis muſculi poſteriores convelluntur: Convulſio non erat perpetua, ſed per intervalla, & per exiguum tempus durans; convulſis, dum inciperet, cum impetu muſculis, ita ut caput allideret ad parietem, ſi juxta ſederet, cum rauco vocis quodam ſonitu, & contractione cartilaginis xiphoidis dolorifica, & aliorum muſculorum contractorum; cujus rationem reddet, ſi quis meminerit eorum, quæ cap. de paralyſi ſcripſimus, de exortu nervorum à vertebris colli, à quibus non tantum collum, ſed etiam diaphragma nervos accipit. Hujus convulſionis curationem ab injecto enemate, & venæ ſectione cephalicæ, aggreſſi ſumus, deinde purgatione, ut habetur prædicto cap. cucurbitulis poſtea ſcapulis admotis, cum profunda ſcarificatione. Interea factis inunctionibus, in principio ex oleo liliorum, & chamæmelino, deinde oleo terebenthinæ, cum pari portione olei philoſophorum mixto, repetita quoque venæ ſectione cephalicæ, ex altero latere, brevi eſt ſanatus, octo ſcilicet dierum ſpacio.

OBSERVATIO II.

Ex ſudoribus refrigeratis convulſio.

COquum quemdam hujus urbis ſancti Severi, ſimilis convulſio invaſit, ex ſudoribus refrigeratis; cum enim lautum inſtruxiſſet prandium, ipſeque pranſus, ſudore adhuc madidus, ſupra ſcamnum è regione cujuſdam oſtii dormiret, auræ pertranſeuntis frigiditate, muſculi poſteriores capitis, & colli, affecti ſunt. In ejus curatione, eodem modo, ut habetur in ſuperiori enarratione, quæ bene ceſſerat, nos geſſimus, niſi quod loco olei terebenthinæ, quo carebant Pharmacopœi, ſpiritu uſi ſumus, cum oleo philoſophorum mixto, morbus tamen pertranſivit decimum quartum.

OBSERVATIO III.

Spaſmus cynicus a paralyſi, curatus.

SAcerdos quidam, ex tortura oris, quæ ſpaſmus cynicus communiter dicitur, male habens, vocavit me, ut deformitatem adhibitis remediis reſtituerem, quam primo aſpectu, ab ſpaſmo credebam accidere; pertractatis tamen utrinque muſculis, inveni trahentem mollem, & tractatu facilem, ex quo certior factus ſum oris ejus torturam, eſſe à paralyſi imperfecta partis oppoſitæ: Quapropter oleis calidis, ut cap. de paralyſi ſcribitur, parte hac irrigata, & lana ſuccida his imbuta, calide ſuperpoſita, os tortum priſtino ſtatui eſt reſtitutum.

OBSERVATIO IV.

Convulſio brachii ſanata.

JUvenis quidam vino deditus, derepente brachii convulſione, ex affectu muſculi bicipitis correptus eſt: huic conſului ut vino abſtineret, totumque muſculum à capite ad caudam oleo liliorum & chamæmeli calidiſſime inungeret, mane, & ſero; brevique ſanatus eſt; non erat enim ferendis majoribus præſidiis, propter egeſtatem.

OBSERVATIO V.

Aliquis a punctura tendinis in pollice, ſeptima die mortruus.

QUidam mercator Maſſilienſis, cum lagenam vino plenam manu apprehenſam teneret, ex eaque vinum funderet, fracto collo lagenæ vulneratus eſt in pollice; propter parvitatem, vulnus ſpernens, nullo vocato Chirurgo, ille ſuo vulneri neſcio quibus medicabatur: Quinta die convulſione correptus, fruſtra vocato Chirurgo, ſeptima die obiit.

OBSERVATIO VI.

Punctura tendinis balſamo Paracelſi curata.

VIr quidam nobilis, enſe vulneratus in media manu, tanto dolore corripiebatur in ligamento annulari, ut tremula manu, jam jam ſpaſmo corripi videretur; ſed guttula una, aut altera, quam maxime calida, balſami Paracelſi ad puncturas, de quo ſupra, vulneri impoſita, ſtatim dolor ſedabatur, ad ſemi horam, quo tempore elapſo, dolore redeunte ut antea, & cum ſpaſmi periculo iterum de balſamo in vulnus indito, dolor abſcedebat, & ita ſpaſmi metus auferebatur, & ægrotus à gravi ſymptomate levabatur; quod pluribus vicibus factum eſt. Tandem victa balſamo doloris cauſa, perfecte ſanatus eſt. Omni-

nibus fuit in confeſſo, lethali ſpaſmo nobilem virum periturum fuiſſe, niſi balſami ope dolor ſedatus eſſet; quæ ratio eſt; cur de hoc balſamo ſemper mecum habere voluerim, à Chirurgo munere datum, qui mihi aſſerebat hoc balſamo inſtructum, non timere in venæ ſectionibus puncturas nervorum, ſeque malle potius nervum, quam arteriam attingere: Hoc ego expertus ſum in meipſo, vulneratus punctim à gladio in media junctura digiti indicis, ſanatus ſemel tantum de eo impoſito.

Reſpirationis fit læſio,

- Vitio facultatis moventis.
  - Affecto principio, ſpiritus non tranſmittente, ut in
    - Apoplexia.
    - Moribundis.
    - Frigidis ejus affectibus.
  - Nervorum læſione ad thoracis muſculos tendentium.
- Vitio inſtrumentorum.
  - Pulmonis, qui afficitur
    - Intemperie.
    - Corruptione.
    - Obſtructione.
    - Vulnere.
    - Ulcere.
    - Abſceſſu.
    - Adhæſione ad latus.
  - Diaphragmatis.
    - Proprio, à
      - Vulnere.
      - Ulcere.
      - Inflammatione.
      - Catarrho ad illud influente.
    - Alieno, motu ejus impedito ab
      - Aqua. Pure. Sanguine. — In thoracis capacitate contentis.
      - Vaporibus. Flatibus. Obſtructione. Diſtentione. Tumore. — A partibus inferioribus ſurſum aſcendentibus, & circa diaphragma ſubſiſtentibus.
  - Pectoris.
    - Totius, ob ejus anguſtiam.
    - Partium ejus.
      - Vertebrarum luxatione.
      - Coſtarum fractura, luxatione.
      - Muſculorum thoracem moventium.
        - Contuſione.
        - Vulnere.
        - Exulceratione.
        - Inflammatione.
        - Catarrhi in eos influxu.
  - Muſculorum abdominis ab eodem vitio, & cauſis, ut in muſculis thoracis.
  - Narium. Faucium. Oris. — Propter eorum anguſtiam.
  - Laryngis.
  - Aſperæ arteriæ.
    - Obſtructione. Vulnere. Exulceratione. Compreſſione. — Affectis.
- Ab uſu mutato, qui varius eſt, prout urget ventilatio caloris, & ſpirituum generatio.
- Aëris inſpirati vitio, ſi calori ventilando non ſit idoneus, ut ſi nimium
  - Calidus.
  - Craſſus.
  - Fumoſus, &c.

OBSERVATIONUM NICOLAI CHESNEAU MASSILIENSIS. DOCTORIS MEDICI.

LIBER SECUNDUS.

De Spirandi Difficultate.

CAPUT PRIMUM.

DYSPNOEA, ſeu ſpirandi difficultas, ſymptoma eſt, quod non ſolum morbos pectoris ſequitur, ſed & alios quamplurimos; Ideo venit Medico accurrate conſideranda, ut ejus præcipua cauſa cognita, non erret, in curatione; poſſunt enim reſpirationis inſtrumenta, & in ſeipſis, & aliunde affici, ut infra dicetur: Quomodocumque autem hoc fiat, tres excitantur ſpecies difficultatis ſpirandi, quæ à Sennetro, una definitione comprehenſæ. Pulmonis ac thoracis motus eſt, à naturali ſtatu deflectens, propter vitium aliquod in facultate movente, in organis reſpirationis, in uſu mutato, in aëre etiam qui attrahitur; quæ explanata in hac ſchedula percipiuntur, haſque etiam Sennertus deſcribit, lib. Dyſpnœa eſt ſymptoma morbos pectoris inſequens.

2. de ſympto. fac. vita cap. 5. Crebri etiam anhelitus quædam ſunt differentiæ ſecundum magis & minus; ſi enim moderatam reſpirationem paulo excedat, dicitur anhelatio à Galeno, & Celſo, nomine omni difficultati reſpirationi communi, Dyſpnœa. Si verò reſpiratio ſit valde frequens, appellatur Aſthma; quæ ſi ad ſummam frequentiam aſcendat, vocatur Orthopnœa; quod tùm, recti reſpirare cogantur. Multi tamen recentiores ante ipſum Sennertum, quod & in vulgus receptum eſt, vocant tantum aſthma, reſpirationem frequentem; & denſam, ſine febre, à pituita craſſa, & glutinoſa, pulmonis bronchiis inhærente, unde ſonitus ut plurimum exauditur inter reſpirandum. Quod me diu ſollicitum tenuiſſet, niſi ex Dureto ſupra Hollerium cap. de aſthmate didiciſſem, aſthma ſumi, vel pro pathemate primigenio, febri experte; vel pro ſymptomate, à pulmonis tuberculo, facultate motrice labefactata, aliiſque de cauſis, quomodo aſthma poteſt eſſe cum febre, & à diſpnœa, & orthopnœa differre tantum ſecundum magis, & minus: In affectu verò primigenio, licet ægroti, cauſa invaleſcente, recta cervice ſpirare cogantur; aſthmatis tamen appellationem apud vulgus non amittit, neque apud Medicos debet amittere; niſi orthopnœa ex aſthmate dicatur; eſt enim orthopnœa ſymptoma late patens, nihil peculiare ut aſthma judicans, niſi reſpirantis ſitum, dum cauſa invaleſcit; ita ut ab omnibus fere affectibus reſpirationem lædentibus invehi poſſit, ſi augeantur; quod magis innoteſcet, ex cauſarum reſpirationem impedientium enumeratione; quarum indagatio, ad curationem eſt omnino neceſſaria, ut proxima, & præcipua ſublata, ipſum quoque ſymptoma auferatur. Verum quoniam vel in ipſis inſtrumentis, vel extra, & circa inſtrumenta, cauſa inſidere ſæpiſſime deprehenditur; primum quod occurrit inveſtigandum eſt, utrum reſpiratio lædatur, ipſis inſtrumentis in ſe affectis; an aliunde male habitis. Primum inſtrumentum reſpirationis, pulmonem eſſe fatendum eſt, licet hoc communi ſententiæ adverſetur; qui primum hunc motum incipere, facultate naturali, aëris attrahendi illi indita, ab animali diverſa. Quæ opinio, motum pulmonis, & thoracis perpendentem, à longo tempore jam mente concepta, morabatur;

Cauſæ indagatio in pectoris affectibus valde neceſſaria.

batur; Nunc vero authorem habens qualem Senertum, audacter profero, ejus rationibus adjiciens: non dilatari pulmonem, ut ajunt, ad motum pectoris, cum avium pulmo dilatetur ſine pectoris dilatatione, earum enim pectus oſſeum eſt, & immobile: Hoc etiam addimus, quod me potiſſimum in hanc adduxit ſententiam; ideo plures apoplecticos ſubito non extingui, ceſſante motu muſculorum reſpirationis, quod ſtet pulmonis motus, quo ad tempus calor, & ſpiritus ſervantur, & eo plus, quo validior pulmo, & calor cordis remiſſior: Abſurdum enim eſt, ſi reſpiratio ſit omnino virtuti animali referenda, qua muſculi moventur, cogitare, omnibus partibus corporis motu, & ſenſu privatis, ipſam manere propter vitæ neceſſitatem; neceſſitas quidem urget, at deficiente inſtrumento ad opus perficiendum, omnino invalida eſt, qualiſcumque illa fuerit: Aliquod igitur reſpirationis inſtrumentum ſtatuendum eſt, ſpiritu animali non indigens ad motum, quo aliis deficientibus, quædam adhuc hujus motu ſervetur reſpiratio, propter vitæ neceſſitatem, etiam ſi cordi tandem non ſufficiat; ipſius enim eſt, aëris neceſſitatem qui requiritur, primum percipere, qüem attrahit ſua diaſtole, urgens pulmonem ad ſuppeditandum, qui ſtatim proprio motu, & naturali, ſeſe expandit, aëris attrahendi neceſſitate ductus: Verum quia utrinque oſſibus circumvallatur, triginta muſculi, eodem ipſo tempore pectus dilatant, quo motus pulmonis juvatur, ut detur locus quantitati aëris attrahendæ ſufficiens, ſine quo, ut plurimum, non valeret pulmo explendæ neceſſitati. Secundum inſtrumentum, ſexaginta quinque ſunt muſculi reſpirationis; in primis vero triginta, pectoris dilatationem perficientes, depreſſio enim, partibus dilatatis, proprio pondere fieret, ipſis in ſe concidentibus; ſed dum magna expiratio requiritur, præcipue cum impetu facienda, ut in tuſſi, excreatione, & vociferatione, comprimentes pectus muſculi omnino ſunt neceſſarii. Octo muſculi epigaſtrii his ſunt annumerandi, magnæ enim, & veloci expirationi inſerviunt; In inſpiratione autem potiſſimum, ut cedant diaphragmati, quod ipſis affectis impediretur. ideo & reſpiratio, ſicut & affectis muſculis externis pectoris, qui licet reſpirationi non proprie inſerviant, dilatationi tamen pectoris facile cedant oportet,

Lib. 1. Tract. cap. de apopl. lib. 3. epiſco. phyſi. cap. 2. Lib. 1. inſtit. cap. 11.

Octo muſculi abdominis inſerviunt reſpirationi.

R alio-

alioquin læderetur reſpiratio, ipſis dolore, inflammatione, aut alio affectu laborantibus. Tanquam etiam reſpirationis inſtrumenta habenda ſunt, nares, os, fauces, larynx, & aſpera arteria, ſunt enim viæ aëris ad pulmones; eorum itaque obſtructio, à quacumque cauſa, reſpirationi officit. Nunc quibus modis lædantur hæc omnia inſtrumenta ſcribendo perſequamur, ut cuilibet noxæ medela adhibeatur, ſive extrinſecus inferatur incommodum, ſive ipſis inſtrumentis ineſſe deprehendatur; quod ut diximus, præcipuus eſt curationis ſcopus. Primum igitur à pulmone incipientes, & ejus ductibus; ſciendum eſt octo de cauſis reſpirationem lædi, affecto hoc inſtrumento, aut ejus ductibus. Prima eſt obſtructio à materia craſſa, & glutinoſa, quæ ut plurimum, liquidior præcipitat à capite. Sennertus tamen vult potius, ut plurimum fieri, materia effuſa à venoſo genere, per venam arterioſam in pulmones, rarius vero à capite; ego autem frequentius: Sed ubi ſit fons, & origo hujus materiæ, perpendendus capitis ægrotantis ſtatus, non ſolum præſens, ſed & præteritus; an antea ſcilicet, doloribus fuerit obnoxium, nunc autem fluxionibus: & alia quæ lib. 1. cap. 2. de fluxionibus ſcribuntur: Quod ſi horum nihil animadvertatur, caputque robur præ ſe ferat, ſuſpicari fas eſt, rem eo modo ſe habere ut deſcribit Sennertus; rationes enim quæ cap. de aſthm. quæſt. 2. ab ipſo afferuntur non magni ſunt ponderis, & fluxioni à capite, etiam tribui poſſunt; fluxio enim generat flatus in ventre, & ſtomacho: fluxio intrat venas, ut cap. de arthritide fuſiſſime patebit, ab iiſque ſæpe ad renes deſcendit; fluxio impingit aliquando in pulmones ſine tuſſi, humore dulci exiſtente, quod vidimus in quodam nobili viro, qui catarrho ſuffocante extinctus eſt, unius diei ſpatio, ſine ulla tuſſi, huic ambæ manus cum dolore valde tumebant. Præterea catarrhus qui humeros & partes pectoris ſuperiores obſedit, ad pulmones ſæpe penetrat, viam aliam inveniens ab aſpera arteria, externi præcipue frigoris impulſu: Fiunt etiam obſtructiones, ſed rarius, à materia flatulenta pulmonibus incluſa; A materia gypſea, vi caloris obdurata, calculorum naturam aliquando æmulante; A crudo tuberculo; Ab abſceſſu in aſpera arteria, arteria venoſa, & vena arterioſa, in qua facto abſceſſu, bre-

Deſcriptio modorum, quibus inſtrumenta reſpirationis leduntur.

Pulmonis obſtructio a materia craſſa,

A materia flatulenta: a Gypſea: ab abſceſſu in arteria aſpera.

brevi periit quidam monachus aſthmate, integris pulmonibus, ut habetur in ſcholiis apud Hollerium. Quatuor hi obſtructionum modi, non facile inter ſe dignoſcuntur, niſi quod abſceſſus in parte ſenſibili dolorem infert, & quandoque febrem, prout inſignis eſt. Alii carent his duobus ſignis, quibuſdam tamen aſſequi, dum adſunt, non eſt impoſſibile: verbi gratia, flatus, ſi frequens ſit aurium ſonitus, ſi carnes pluribus in locis palpitent, & frequenti quodam motu parvo ſubſiliant, ſi multi crepitus, & ructus, ſi emiſſo flatu levatur affectus, ſi nulla excreatio ſubſequatur, nec febris adſit: flatus tamen raro ſine materia: Crudi tuberculi ſigna, ſic à N. Piſone deſcribuntur: Si quis per bonam valetudinem, cum ſolitas actiones facere poteſt, difficulter ſpirare incipiat, augeaturque ſymptoma, neque inter ſpirandum ſtertere videatur; ad hæc nihil ſpuit, crudi tuberculi ortum ſuſpicari oportet. Materiæ gypſeæ cognitio, iiſdem fere ſignis aſſequitur: ſi æger etiam aliquando ſolitus fuerit ejicere glutinoſa quædam rotunda, & craſſiora, è pulmonibus quæ poſtea retenta hærent bronchiis indurata. Hæc omnia ita dubio plena ſunt, ut in eorum indagatione, ſemper fluctuet Medicorum animus; non multum tamen laborandum, dummodo humorum infarctus ab his recte diſtinguatur. Secunda reſpirationis læſio ab ipſo pulmone, eſt ejus inflammatio, peripneumonia dicta, quæ cum ſit morbus de quo ſeorſim agitur, propriis ſignis innoteſcet, & curabitur. Tertia cauſa affecto pulmone reſpirationem lædens, abſceſſus eſt in eo genitus, cum ſcilicet materia inflammationem pariens non diſcuſſa, tranſit in ſuppurationem; aut quocumque alio modo fiat, ſive per congeſtionem, ſive per materiæ frigidæ & pituitoſæ defluxum, aut affluxum ſine inflammatione. Quartus pulmonis affectus reſpirationem lædens, tumor eſt ipſius abſque inflammatione, ut ſcyrrus, aut cujuſcumque alterius naturæ, ſine puris generatione, quemadmodum tumefactio, ejus ſubſtantia irrigata à materia aquoſa, aut pituitoſa, quæ non tam tumore, quam gravitate pulmoni moleſta, reſpirationi officiunt. Quinta reſpirationis noxa affecto pulmone, eſt continui ſolutio, ſive recens, & ſanguinolenta, quæ vulnus dicitur, ſive purulenta, ulceris nomen aſſumens, à qua phtyſis. Sexta reſpi-

Cap. de aſthmate.

Secunda reſpirationis læſæ ſpecies eſt inflammatio, tertia abſceſſus.

Quarta ſcyrrus,

Quinta continui ſolutio,

Sexta exſiccatio,

ſpirationis læſio, ab exſiccatione fit ſubſtantiæ pulmonis, poſt inflammationes, febres ardentes, à venenis, à ſubſtantiæ ejus conſtitutione, ab ortu, à pulvere frequenter inſpirato, à metallis. Septima cauſa reſpirationem lædens affecto pulmone, gignitur ex adhæſione ipſius coſtas ſuccingenti membranæ; ſed hæc adhæſio gravem non infert noxam, niſi corpus præter modum moveatur, in locis præcipue acclivibus; à morbis pulmonum principium habet, præcipue inflammatione, à febribus ardentibus, à longis, & à pleuritide. Octava reſpirationis noxa, non ſolum pulmonibus, ſed & diaphragmati communis eſt, & ſubinde toto pectori, collectio ſcilicet puris, aut alicujus aquoſæ, vel pituitoſæ ſubſtantiæ, in capacitate thoracis, quibus etiam ſanguis addi poteſt, ex vena rupta, aut inciſa, aut vi naturæ aperta per anaſtomoſin. Has omnes cauſas ad amuſſim internoſcere, difficillimum eſt; ſed à notioribus, ad ea quæ magis abdita ſunt progrediendum: v. gratia, ſi pulmonis inflammatio præceſſerit, quæ ſuis ſe ſignis manifeſtavit; obſervandum qualis fuerit ejus exitus; utrum per ſputa coctionis ſigna præ ſe ferentia, expurgatus fuerit pulmo; an criſis aliqua ſupervenerit, ex qua ægrotus melius habuerit; an materia morbifica, ad partes ignobiles fuerit expulſa, abſceſſu facto circa aures, vel in cruribus, quod melius eſt; an etiam per urinas, licet rarum ſit, facta fuerit expurgatio: Si per abſceſſum, optime ex Senis decreto, ſi deorſum fiat, & quam longiſſime à morbo: Adhibitis enim convenientibus auxiliis, horum ſi nullum extiterit, nec pravum aliquod ſignum appareat, in ſuppurationem verti contingit, hujus colliges initium ab eo die quo ægrotus magis quam antea febricitavit, quo rigor eum prehendit; & ſi in loco quo dolore afficiebatur, pondus ſibi ineſſe dixerit; ut habetur progn. 2. cap. x. de purulentis. Ex abſceſſu in ſuppurationem converſo, ſi materia per ſputa non excreta, ſuſpicandum de empyemate, cujus habentur ſigna cap. xi. lib. 2. progn. Quod ſi morbo elapſus æger, etiamnum ſpiret difficulter; ſi ſola inflammatio præceſſerit, naturæ legibus perſanata, de pulmonis adhæſione ſuſpicandum; tumens enim pulmo cogitur ad coſtas validius accedere, quo fit ut febrili calore exſiccatus, ipſis in poſterum adhæreat. Si autem inflammatio deſierit ſine

Septima adhæſio coſtarum,

Octava collectio puris vel aquæ in pectoris cavitate.

ne ſignis bonæ ſolutionis, de qua ſupra, non ſolum adhæſio timenda, ſed & pulmonis exſiccatio, nec non quandoque ſcyrrus: quæ ſi fuerint magni momenti, præter ſpirandi difficultatem majorem, quam in ſimplici adhæſione, aliis ſe ſignis manifeſtabunt; pravo puta faciei colore, febre lenta, pulſu intermittente, quo magis juxta cor, fit arteriæ venoſæ compreſſio: ad hæc etiam tabes, aut mors ſubitanea. Inflammatione vera ad ſuppurationem perducta, licet pus ſit excretum, ulcus remanere ſolet, à quo ut plurimum pthyſis. Ex prægreſſis itaque, ut jam diximus, & præſentibus, febre ſcilicet, dolore, tuſſi, ſi adſint; ex ſupervenientibus, præcipue ſputis, utrum prodeant, nec ne, cauſa reſpirationem lædens proxima eſt inveſtiganda. Expeditis quæ affecto pulmone reſpirationem offendunt; perſequenda quæ aliis inſtrumentis affectis, ejus motum etiam impedire ſolent, ut ſunt noxæ muſculorum huic motui inſervientum, quæ majoris ſunt momenti, ut ſupra attigimus, in his qui inſpirationi dicantur, & pectus dilatant, quam qui comprimunt, & expirationi deſtinati ſunt; Quorum omnium non ſolum habenda eſt ratio: ſed etiam muſculorum abdominis, licet Riolanus, inter proprios reſpirationis muſculos non recenſeat, inſerviunt enim veloci expirationi. Non ſpernendi etiam muſculorum utriuſque brachii, & humeri affectus, & aliorum qui pectoris præcipue dilatationem impedire poſſunt; quod accidit ipſis muſculis, uno, aut pluribus, aliquo dolore laborantibus, à ſolutione continui, tumore, inflammatione, & affluxu humoris: Quæ omnia, propriis cujuſque ſignis, non eſt ita difficile internoſcere, ut in affectibus pulmonum, tum quia viſu, aut tactu, aliquando percipiuntur: tum propter doloris ſenſum, qui nullus eſt, aut exiguus in pulmonibus, ut ait Andreas Laurentius, quia ejus caro non recipit nervos, motuque perpetuo doleret: Contra vero Riolanus, quamplures affirmat nervos accipere, ab utroque ſtomachico œſophagum perreptante, quare valde ſenſiles eſſe ait, nec poſſe adduci, ut credat cum Galeno, pluribus in locis, pulmonem perexiguum, aut fere nullum ſenſum habere: Ego quidem non facile crediderim, cum multis aliis, pulmonis carnem exquiſito ſenſu eſſe donatam, experientia edoctus in iis, quibus pulmonis caro, vel ulcerata,

Etiam muſculorum abdominis eſt habenda ratio in reſpiratione læſa.

vel inflammata eſt, quos magis de ponderis, quam de doloris ſenſu conqueri teſtari poſſumus, etiam in iis qui fruſtula corrupti pulmonis rejiciebant; ita ut ejus ductibus, & membranæ illum involventi potius, quam carni, ſenſus ille exquiſitus ſit tribuendus; nec valet pro Riolano Hippocratis locus, lib. 3. de morbis, pulmonis inflammationes dolorificas eſſe áſſerentis; quia dolor eſt à membrana ipſum involvente, & multo magis à pleura, cum pulmones aſſident coſtis. Jam vero quæ inſtrumentis aliunde affectis, reſpirationi incommodum afferre ſolent, ſupereſt ut abſolvamus, in quorum numero, eſt ſpiritus animalis defectus, vitio principii ſuppeditantis, integris ipſis inſtrumentis: Deficit autem ſpiritus; vel facultate extinctioni proxima, ut in morituris; vel quod non influat, propter quemdam cerebri affectum, ut in apoplexia, in ſpinalis medullæ obſtructione, ſive comprimatur luxatis colli vertebris; ſive aliquo humore infarciatur, quibus via ſpirituum ad muſculos reſpirationis influentium præpeditur: Cauſa tamen frequentior extra thoracem, eſt quid quid extrinſecus obſtat depreſſioni diaphragmatis; ut flatus in abdomine; aquoſus humor in hydrope; tumens ventriculus, ſive flatibus, ſive cibis refertus, ſive etiam aliquo tumore extrinſecus afficiatur; lienis, & jecoris tumores; inteſtinorum inflationes; matricis motus, inflationes, tumores, ſed præcipue, vaporis ab ipſa maligni ſurſum petentis occurſus, à quo maximum infertur reſpirationi nocumentum, ita ut affectus ſuffocatio vocetur; his addi poſſunt vapores ab hypochondriis elevati. Humerorum quoque muſculi, & brachiorum, ſupra inſpirationem perficientes poſiti, ſi aliquo affectu dolorem inferente laboraverint, inter cauſas reſpirationem extrinſecus afficientes ſunt annumerandi: tunc enim non facile cedunt motui pectus dilatantium, quod etiam à muſculis colli, & capitis accidere poteſt; Hæc tamen impedimenta facile agnoſcuntur ex ſitu, & proprietate doloris, maxime vero cum non adſunt pleuritidis ſigna: Eodem modo, ut ſupra diximus, obeſſe poſſunt muſculi abdominis, ſi dolore afficiantur, aut alia de cauſa diaphragmatis depreſſioni non cedant. Abſolutis quæ vitio facultatis motricis, & inſtrumentorum, adveniunt reſpirationi, parum aliquid adhuc ſupereſt dicendum, de uſu mutato,

Dolor pulmonis eſt a menbrana ſuccingente.

to, & aëris inſpirati vitio, licet in ſchedula jam propoſita, ſatis ad rem explanata inſpiciantur: Ab uſu mutato hoc certum eſt variam eſſe reſpirationem, prout urget ventilatio caloris, & ſpirituum generatio: Quare qui aliqua ſpirandi difficultate laborant, non verſentur in aëre calido, nec motu, aut conatu inſueto corpus afficiant, quibus augetur uſus, ideoque reſpiratio, ut jactura in motu inſueto, & violento conatu facta ſpirituum reſarciatur. Aëris etiam vitio læditur reſpiratio, ſi calori ventilando non ſit idoneus: ut ſi nimium calidus, ſi craſſus, ſi pulverulentus, aut vapore aliquo maligno imbutus, ut in fodinis, à quibuſdam metallis, à pulvere etiam calcis & gypſis, terrarumque quarumdam foſſilium. Cauſas, ut opinor, omnis generis, quæ reſpirationi noxam inferunt, earumque ſigna, ſcribendo perſequuti; rationi conſentaneum eſt, quæ ad uniuſcujuſque curandi methodum pertinent expediamus, primum autem materiæ craſſæ, & glutinoſæ, pulmonum bronchiis inhærentis, cujus particularis ratio curandi, tria præſtare debet: avertere materiam fluentem; impedire ne cumuletur in parte unde fluit, & delapſam expurgare. Avertitur fluens materia, ut fuſe docetur cap. de fluxionibus: ſicut & de auxiliis materiam fluxioni paratam abſumentibus: Jam delapſa, ſi adhuc liquida, poſſet abſente febre, & ſanguinis plenitudine, educi primis diebus medicamento purgante, antequam craſſeſcat, quod magis fit, quo plus moratur humor in pulmonibus, propter loci caliditatem: At cum in principio, non ſemper conſtet de natura morbi; raro ægrotis hoc tempore purgatio decernitur à Medicis, ſatius exiſtimantibus venæ ſectione uti, cucurbitulis, & aliis ſine culpa auxiliis, ut materia fluens avertatur, delapſæ coctionem, naturæ committentibus, quæ eſt ejus, ut barbari loquuntur, incraſſatio: in quam ſententiam facile deſcendimus, præſertim autem, ſi febris adjungatur fluxionibus non contemnendis: multoque magis ſi adſit plenitudo. Cum vero in talibus fluxionibus, febris aut nulla eſt, aut parvæ conſiderationis, nativo ægrotantis habitu cognito, & morbi conditione, facta venæ ſectione primo die, & cucurbitulis cum ſcarrificatione, humeris circa veſperam impoſitis, ſi res poſtulet, ſecundo, medicamentum purgans exhibitum, non improbandum cenſeo;

Calidus aer, ut & nimius corporis motus noxius iis, qui ſpirandi difficultate laborant.

Cura materiæ craſſæ pulmonum bronchiis inhærentis.

li-

licet ab hac ſententia multi diſcedant; eo quod morbi cauſam in venis exiſtere credant; vel quod humores purgante medicamento agitati abundantius irruant in pulmones: Sed poſitis de quibus jam verba fecimus, humorem à capite defluere, liquidum tunc temporis eſſe, melius ſecundo die decernetur purgatio, quam aliis diebus; tertius enim criticus eſt, quarto incipiunt denſari humores, qui per anacatharſim tunc potius ſunt expurgandi, & in poſterum, niſi nova ſemper fluxio irruat: Poſt ſeptimum, non multam habebit nobis gratiam natura de purgante exhibito, utpote victrix, vel omnino, vel ex parte. Præterea ſunt, qui in fluxionibus confertim irruentibus in pulmones, in quibus periculum ſuffocationis imminet, vomitoria ſtatim præſcribant; hoc autem ſecundum doctrinam Hippocratis apho. 6. ſect. 1. Tamen exiſtente plenitudine, miſſio ſanguinis videtur præmittenda, & paulo poſt, prout res urget, vomitorium: quo quidem ægrotus vindicari poteſt à morte: At incertus morbi eventus, omnes fere deterret ab ejus exhibitione, ne cauſa mortis in Medicum rejiciatur, quod à multis etiam obſervatur in purgantibus, eorum uſum poſt ſeptimum remittentes; fluxio tamen ſi perſeveret, die quarto, aut ſexto exhiberi poteſt purgatio, præſertim ſi febris non adeſt, aut parvæ ſit conſiderationis, ut ſupra diximus: quæ quidem purgatio, poteſt exhiberi quacumque forma in aſthmate primigenio. Ego quidem cum nec pilulis, nec diacarthami pulvere, uti placet, talem præſcribo ptiſanam purgantem.

Vomitoria quando in hoc affectu præſcribenda.

Ptiſana purgans.

℞. Rad. cyp. aut acori ʒii. folior. beton. & pulmo. ſummit. hyſſo. ana p.i. folior. ſenn. mund. ʒiii. aut ℥ß. turbith, & Jalap, ana ʒß. aut ʒi. pro ægrotantis natura, omnibus inciſis fiat infuſio in vino albo, aut aqua cichor. ſi febris infeſtet, colat. ℥iiij. detur mane, in qua diſſolvi poſſunt, in iis qui non facile cedunt purgantibus, ʒii. aut iii ſyrupi mei magiſtralis; Quod ſi hæc doſis non recte cedat, detur alia inter prandium, & cœnam, eodem die, ut ſoleo facere in rheumatiſmis.

Uſus lenientium & expectorantium.

Cum jam materia incipit denſari, quod ſolius caloris naturalis opus eſt, non autem medicamenti, ut plerique exiſtimat: ideo incraſſantia, ut vocant, præſcribunt; ad lenientia, & expectorationem juvantia eſt veniendum, quæ licet parvi videantur eſſe mo-

momenti, cum pleuriticis, & peripneumonicis, una ſalus ſit robur virium, docente Galeno: ſi quis tamen ea ſperneret, in fluxionibus pulmonum, quæ periculo non vacant, febremque adjunctam habent, in maximo diſcrimine poſſet adduci: Nam quemadmodum in locis maritimis, antequam corporis moles alicujus navis in mare demittatur, trabes ſuper quas inniti debet, optime liniuntur ſebo, ſine cujus illinitione, nequidem quibuſcumque adhibitis machinis, loco moveretur; Sic natura, ſcreatum impellente, fruſtra ejectionem moliretur, aut multo conatu defeſſa, tandem ſuccumberet, ſi via ſputorum lubrica non exiſteret, illinitione bechicorum; copioſa præcipue, aut glutinoſa, in pulmonibus hærente materia: Quare neceſſarius lenientium uſus, multoque magis cum febris vias exſiccat; hiſque liquidis, potius quam ſiccis, ſyrupis ſcillcet, aut eclematibus: Cum vero guttur, multa ſatis humiditate abundat, tabellis uti concedendum; ſed de his cap. ſequenti. In aſthmate primigenio, in quo materia eſt frigida, neque febris adeſt, terebenthina cum ſulphure vivo, levat ſpirandi difficultatem, & pulmones expurgat.

℞. Terebenthinæ ʒij. ſulph. vivi ʒß. fiat bolus, capiat longe à paſtu.

vel

℞. Tereben. ven. ʒij. ſulph. vivi ſcrup. j. ſem. ſinapi. ſcrup. jß. F. bolus, capiat longe à paſtu quacumque hora.

vel

℞. Pip. nigri ʒß. excipiatur terebenth. & capiatur.

vel

℞. Terebenth. ven. ℥ij. pulv. hyſſo. mont. ſi haberi poſſit, aut ejus loco hortenſis ʒij. ſulph. vivi ʒj. capiat urgente ſpirandi difficultate, quibuſdam conſecutis diebus ʒij. longe à paſtu qualibet vice.

vel

℞. Rad. fœnic. & petroſ. ana ℥ij. lilij cœleſt. ℥iij. rad. enulæ campa. ℔ß. folior. calamen. ſcab. hyſſo. adian. marrub. ana mj. ariſt. rot. ℥j. ireos ſem. urti. ſinap. & naſtur. ana ℥ß. ſpicæ nar. ʒij. bacca. laur. ℥iiij. nigel. roma. ℥ß. macerentur omnia in vino albo. & deſtillentur igne lento; dantur ℥iij. mane. Spiritus aſtmaticus.

S Per-

Perpendenti ſimplicia hujus deſcriptionis, quæ eſt apud Evonimum, ex Epiphanio Empirico; mihi ſemper placuit; poteſt ex his fieri ſyrupus, vel opiata, vel extractum ſecundum artem, ut facilius ſumatur: uſus decocti guayaci melle dulcoratus, aut ſalſæparillæ, pro faſtidioſis, in cronico affectu optimus eſt. Vide in ordine remediorum alphabetico deſcripta, quæ ſecundum cauſarum varietatem ſunt eligenda. Si ſpirandi difficultas ſit ab inflammatione pulmonis, curata inflammatione auferetur ſymptoma: Ita de abſceſſu dicendum, cujus maturatio, niſi foris appareat, naturæ committitur, quæ perfecta, & cognita, ſignis ab Hippocrate deſcriptis progn. 2. cap. x. juvanda, ſi res poſtulet, remedio Alexis, cujus ſunt duæ formulæ in ordine remediorum alphabetico, titulo Empyema; materia deinde expurganda, & ulcus abſtergendum, ut cicatrice, ſi fieri poſſit, obducatur: licet raro hæc accidat. Pectus purulentum expurgant multa bechica; hoc eſt mihi inter cetera familiare.

℞. Rad. conſol. major. ℥j. folior. pulmo. mj. decoque in aquæ ℔ij. ad conſumptionem tertiæ partis, adde in fine decoctionis cinamo. ʒj. mellis deſpum. ℥ij. colatura ſit pro potu ordinario.

Si ulcus detergendum, adde huic decocto rad. ariſto. recentis ʒij. ſanicu. m. ß. Acc. ℥iiij. ſyrup. cap. ven. ℥j. cancr. fluviat. in furno exſicc. & pulver. ʒß. utatur. pluribus conſecutis diebus, mane, & ſero.

vel

℞. Terebenth. venetæ ℥ij. pulv. rad. ariſt. rot. & rec. exſiccatæ ʒß. pulver. rad. conſol. majo. & folior. pulmon. ana ʒj. miſce, cape mane, qualibet vice ʒij.

Lac aſininum aſthmaticis utile.

Lactis aſinini uſus, ſi omnia conſentiant, multum conferet, nutriendo aſinam hordeo, & furfure frumenti, in quo radix conſolidæ majoris & pulmonaria minutim incidantur. Ad pulmonum adhæſionem, aut exſiccationem, nihil lacte præſtantius, & victu humectante, polenta præcipue liquidiore hordei, quæ lacti vicariam præſtat operam, *orge mondé*, communiter dicta; Interdum balneis tepidis ex aqua fluminis, quibus malactica incoxerint utendum. Si collectio materiæ

riæ alicujus in pectoris cavitate, difficultatis ſpirandi cauſa extiterit, hac ex morbis pragreſſis cognita, & ex quibuſdam ſignis ab Hippocrate enumeratis, progn. 2. cap. xi. tentanda pectus expurgantia; quæ ſi invalida fuerint, ad apertionem lateris veniendum, manu Chirurgi adhibita. Videantur quoque Authores de ſignis expyematis. Si quid reſpirationem lædens in pulmone ad his, acciderit, ut à crudo tuberculo; à grandine, à materia gypſea, de his ſæpiſſime cogitanti, nihil occurrit, niſi malvarum folia in aqua, & oleo decoquere, fumumque hianti ore frequenter inſpirando attrahere. Si aliorum inſtrumentorum vitio, qualiſcumque generis fuerint, noxa inferatur reſpirationi, ut eſt affectus dolorificus, & obſtructio in his, per quæ aër in pulmones introducitur, ſicut & muſculorum externorum affectiones, cum dilatationi pectoris non cedunt, unicuique cura adhibenda eſt, ſi à pleuritide vera, aut notha curanda pleuritis, & ſic de ceteris: Eodem modo ſe gerendum, in cauſis auferendis; quæ ab extrinſeco, omnibus inſtrumentis recte ſe habentibus, reſpirationi incommodum afferunt, à propriis capitibus curatione deſumpta. Ex quatuor cauſis, quæ generatim reſpirationi officiunt, duabus abſolutis, ſupereſt ut de uſu mutato, & aëris inſpirati vitio aliquid dicamus. Uſus cum augetur, non eſt proprie cauſa offendens reſpirationem, ſed id quod efficit ut urgeat, vitanda igitur quæ uſum augent, de quibus ſupra. Aëris etiam inſpirati vitia fugienda, aut corrigenda; ſi nimium calidus, & ventilando calori non ſit idoneus, eligatur frigidior, aut illi arte frigiditas concilietur, herbis frigidis, & aſperſione aquæ: Quod ſi à pulvere, ut in iis qui pectunt linum, aut calcem, vel gypſum, vel aliud ejuſmodi petractant, aliquod nocumentum extiterit, potus lactis ſanabit.

Aëris inſpirati vitia corrigenda aut vitanda.

PROGNOSTICA.

Fluxionum omnium quæ in pulmones impingunt, communis eſt inæqualitas pulſuum; verum magis à craſſis, quam à ſubtilibus humoribus. Gal. lib. 4. præcogni. ex pulſu.

Exiſtimare oportet, quod facilis ſpiratio, in omnibus morbis acutis, quibus febris copulatur, quique intra quadraginta

dies judicantur, magnam vim habet ad ſalutem. Hippo. lib. 1. progn. cap. x. de reſpiratione.

Horror, & ſpirandi difficultas, in doloribus, ſigna tabis ſunt. Hippo. in coac. 17. lib. 1.

Suffocatio in acutis, ægris attenuatis, pernicioſa. ibid. lib. 1. coac. 65.

Si febrem habenti, derepente ſuffocatio ſuperveniat, nullo in faucibus exiſtente tumore, lethale. Hippo. aphor. 34. ſect. 4.

Ubi in febre non intermittente, difficultas ſpirandi, & delirium fit, lethale. Hippo. 50. lect. 4.

In febribus ſpiritus offendens, malum; convulſionem enim ſignificat. Hipp. aph. 68. ſect. 4.

Quicumque gibbi ex aſthmate, aut tuſſi fiunt, ante pubertatem, moriuntur. Hippo. apho. 46. ſect. 6.

Dyſpnæa diu trahi poteſt; aſthma aliquando; orthopnæa acuta eſt.

Aſthma in ſenibus, comitatur uſque ad mortem, & quandoque in aliis.

Aſthma obeſeos magis adoritur, & in otio viventes.

Aſthma ex diſlocatione vertebrarum, non ſanatur, niſi reducantur.

Aſthmati magis ſunt obnoxii, quibus frequens deſtillatio fit à capite.

Aſthma quandoque in pulmonis inflammationem tranſit.

Acceſſiones aſthmatis, magis fiunt cœlo frigido, & humido, præcipue inter crapulam.

Aſthma ſi tranſit in orthopnæam, ſubito poteſt ſtrangulare.

Aſthma vel à parentibus, vel vitæ intemperantia accidit.

Aſthma viros non facile corripit; citius tamen correpti pereunt.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Mulier aſthmatica poſt decem annos extincta, cujus pulmo totus erat purulentus.

Mulier quædam ſatis juvenis, aſthmate identidem graviter laborans, ita ut in ſuffocationis periculum adduceretur; pluribus à Medico ordinario adhibitis auxiliis redeunte paroxiſmo,

mo, rogavit ut ipſam inviſerem; quia febre corripiebatur, juſſi ut urgente paroxiſmo, uteretur remedio ex terebenthina, ſulphure vivo, & ſemine ſinapi, ſupra deſcripto, quo ſtatim ab acceſſione liberata eſt: Secundum vero eo utens res non ita ceſſit: humore fortaſſe abundantius irruente. Tandem poſt decem annos, aſthmati ſubinde obnoxia incidit in febrem continuam, cum tuſſi, ſpirandi difficultate, & excreationibus, à qua obiit 14. Diſſecto cadavere, inventus eſt pulmo materia totus purulenta refertus, corrupta paſſim ulceribus ejus ſubſtantia. Neſcio utrum aſthma tranſiiſſet in pulmonis inflammationem; An defluxu humorum corrodentium, & in pulmone putreſcentium eſſet ipſe ulceratus, & febris excitata: in morbi enim principio vocatus non fueram, ſed affectu in pejus ruente, in conſilium adhibitus.

OBSERVATIO II.

Sexagenarius aſthmate obnoxius, curatus.

Sexagenarius quidam vir, ſpirandi difficultati obnoxius, accerſendum me curavit ut aliquid ad aſthma illi præſcriberem: Juſſi popinandum ptiſanam purgantem accedente paroxiſmo, ſequentis deſcriptionis, & ab eo liber factus eſt.

℞. Rad. valeria ℥ß. folior. pulmon. tuſſil. cap. vener. ana m. ß. ſem. aniſi ʒj. florum ſtœc. pj. fiat ex his decoctio; infunde in lib. j. folior. ſennæ mund. ℥j. turb. ʒj. jalap. ʒß. cinam. ʒß. expreſſ. facta, capiat dimidium colaturæ primo mane, & reliquum altero, niſi prima vice venter abunde dejecerit.

OBSERVATIO III.

Chirurgus aſthmate laborans pulvere piperis curatus.

Chirurgus quidam aſthmate laborans, quoties ſymptoma urgebat piperis nigri pulverati ʒß. aut ʒ. j. pane euchariſtico involutam cum vino ſumebat, à quo maximum levamen accepiſſe mihi affirmavit. Nollem tamen ſæpiſſime uti hoc medicamento; inflammat enim ſanguinem, & reliquos humores, maxime autem excrementios, eoſque acriores reddit.

OBSERVATIO IV.

Spirandi difficultas ab Hypochondriis.

Cum eſſem Maſſiliæ, adhibitus in conſilium cum tribus aliis Medicis, pro quodam cive, de quadam ſpirandi difficultate, & virium lapſu conquerente, quibus tamen lecto non deti-

nebatur, quamvis in publicum non prodiret. Omnibus quæ ad morbi cognitionem ſpectabant accurate perpenſis, conjunctis ſententiis ſtatutum eſt, cum nulla eſſet tuſſis, nulla ſputa, nullaque febris deprehenderetur, præceſſiſſetque triſtitia moroſior, propter intentatas lites à fratribus; ſymptomatis cauſam ſubeſſe in hypochondriis, licet in eis, nec dolor, nec renixus, nec calor præter naturam conſiſteret. Inter cetera præſcriptus eſt ſyrupus magiſtralis, ut ſimul, & ſemel, obſtructiones aperirentur, humores excrementitii educerentur, & partibus robur conciliaretur. Hæc omnia nihil profuere, maturiuſque præter omnium ſpem, præcipue autem Medicorum, mortuus eſt.

OBSERVATIO V.

Maxima reſpirandi difficultas cum tumore manuum mortis cauſa.

In quoddam oppidum vocatus, ut D. loci inviſerem, ingrediens cubiculum inveni ægrotantem maxima cum difficultate ducentem ſpiritum, & maximo cum tumore dolorifico ambarum manuum, de quo tantum conquerebatur: Ego parvi faciens hunc tumorem, & dolorem, licet cauſæ propagationis eſſent ſigna, ad catarrhum qui confertim in pulmones irruebat, me converti, venæ ſectionibus, deinde cucurbitulis, cum ſcarificatione ſupra humeros admotis; erat enim corpus valde plethoricum, & in omnibus genio indulgens, Potiora non auſus experiri remedia, præcipue vini emetici exhibitionem, ne cauſa mortis, proxima nocte futuram credens, in me rejiceretur: quo tempore præſens eſſe nolens, accepta diſcedendi venia, propter quædam ſimulata negotia, domum circa veſperam me recepi, promittens mane me rediturum; non enim aberam ab oppido plus tribus milliariis, ſed promiſſis ſtare nolui, ne vanus eſſet labor meus, ne etiam in dedecus mihi verteretur, invenienti ægrotantem vita functum, uti accidiſſet.

De-

De fluxione in pulmones delabente, febrem continuam, & acutam, comitem habente.

Caput. II.

Morbus iſte, valde frequens eſt in hac regione, quemadmodum & ceteri, quorum fluxio cauſa exiſtit, propter temporis inconſtantiam, & aëris conſtitutionem, ut plurimum, humidam, etiam æſtate: Tempore frigido magis graſſatur, præcipue ſi tempeſtas valde humida præceſſerit, qua caput repletur, gignendæ poſtea fluxioni, levi de cauſa paratum; eſt enim capitis plenitudo, præcipua hujus morbi cauſa, deinde pectoris imbecillitas, quibus frequenter accedit frigus externum ſubito occurens, quo humores intro propulſi, confluunt ad pulmones, ibique iis incaleſcentibus, vel inſurgente natura, vel ab omnibus ſimul, febris excitatur. In principio hujus morbi, niſi rerum uſus docuerit, multi falluntur affectum non cognoſcentes, facto ſæpiſſime citra ſenſum, in pulmones humorum decubitu; carentium ſcilicet, acrimonia, qua maxime præterfluendo, tuſſim movent; vel per aliam viam à trachea arteria; cum per humeros, & pectoris ſuperficiem feruntur, penetrantes in pulmones, frigoris externi præſertim impulſu; parva, aut nulla tuſſi infeſtante, nulliſque etiam, niſi paucis, & crudis ſputis, humore exiſtente aquoſo dum fluit, ideo aëris impellentis vim eludens, pulmonis ima petit, ejuſque partibus ſuperioribus vacuis, ſatis loci remanet ad reſpirationem, licet ſolito anguſtiorem, quod calori febrili, tanquam cauſæ evidentiori, potius quam humoribus in pulmones delapſis tribuitur; qui etiam ſi difficultate ſpirandi, tuſſi, & ipſis ſputis, manifeſtentur, eorum tamen quantitas non facile deprehenditur, nec quomodo ſe habebunt ad coctionem, quouſque craſſiores facti, per anacatharſim expellantur, quod non ſolet accidere ante quartum diem, niſi qui hoc morbo correptus eſt, communi antea rheumate laboraverit, in quo jam craſſa ſputa prodibant: Quod in multis obſervavimus, frigida tempeſtate in publicum prodeuntibus,

Fluxio in pulmones delabens, frequens in regionibus humidis & frigidis.

Cur in hoc affectu non infeſtat tuſſis, & cruda ſunt ſputa.

tibus, jam rheumate affectis; Tunc enim intempeſtivo frigoris occurſu, humoribus intro propulſis; geminataque fluxione, febris accenditur, accedente etiam ad ejus generationem cutis meatuum præcluſione, unde fit, & hoc modo, hujus affectus propagatio, quem impeditum iri probabile erat, ſi curam habuiſſet ægrotus, tuendi ſe à frigore. At ſi antea ægrotus nulla rheumate laborabat, ſed à cauſa, vel interna, vel externa, vel ambarum concurſu, ut fere fit, in hunc morbum ſubito inciderit, ſputa nec multa, nec cocta, aliquando nulla apparent in principio, tuſſis interdum ſicca, aut cum crudo ſputo, niſi aquoſa materia præterfluens, titillet laryngem. Cum vero ægrotus attigit quartum diem, & multo magis quintum, humor delapſus quantus, & qualis ſit moris ſe prodit, frequenti excreatione, tuſſi, & majori aliquando difficultate ſpirandi quam antea; aſcendentibus ſcilicet ſputis multis, & craſſis, niſi fluxio perſeveret; tunc enim modo cocta, modo cruda ſpuuntur, vel ſimul mixta, pluribus in locis bronchiorum hærentibus ſputis; Quæ ſi pertinaciter hæreant, ægreque cedant aëri impellenti, multam inferentia tuſſim, eluditur anacatharſis, muſculi efflationi dicati infirmiores evadunt, fitque aëris per medium tot ſputorum difficilis tranſitus; unde uſu reſpirationis paulatim non expleto, perit ſenſim ſpirituum, & cordis temperies, ad quæ mors fere ſeptimo die, citius, aut tardius, pro viribus ægrotantis, & humorum obſtruentium abundantia; Quin etiam, primis diebus, morbo placide ſe habente, & ſalutari modo progrediente, ſæpe accidit ut omnia exacerbentur quinto die, & ſeptimo mors ſubſequatur, nova ſcilicet fluxione irruente in quinto, quæ dignoſcitur ex febris incremento, majori tuſſis irritatione, & doloris punctorii, ſi quis antea fuerit, majore vi ingraveſcentis, cum graviori ſpirandi difficultate; quæ animadverſione digna ſunt, ne ante diem quintum de morbi eventu quis prædicet; licet ex apparentibus ſignis, periculum tunc temporis abeſſe videatur. Quod ſi quarta die incipiat ægrotus cocta ſpuere, & facili conatu; nullaque quinta die fiat exaſperatio, rebus ſatis commode ſe habentibus, ſalus eſt ſperanda, niſi in valde ſenibus, quibus coctos etiam humores, non valet interdum natura expellere, præcipue ſi quantitate

Quarto & quinto morbi die ſe prodit humor qualis ſit moris.

Si quinto morbi die exaſperatio, ſeptimo ut plurimum mors ſequitur.

titate multum peccaverint. Falluntur etiam multi circa hunc affectum, inflammationem pulmonis exiſtimantes; Quamvis enim, cum fluxio calidior irruit in pulmones, ibique cumulatur, ſpeciem præ ſe ferat aliquando peripneumoniæ, peripneumonia tamen non eſt, niſi notham, ut N. Piſo, nominare velis de qua, ſic habet cap. de peripneumonia. At vero tenuis, & acris, multaque deſtillatio è cerebro confertim in pulmones illapſa, interdum ardore præter naturam incenditur, æſtum ac febrem inferens, & plærique eam affectionem peripneumoniæ nomine deſignant. Hæc autem, ait paulo inferius; ſpuria peripneumonia dicetur, ab exquiſita profecto plurimum, tum cauſa, tum ſymptomatum magnitudine diſſidens. Hæc ille, qui omnio affectum, de quo nunc agimus deſcripſiſſet, ſi febrem lentam, cum corporis conſumtione illi non tribuiſſet, quod ſpecies pthyſis eſt, in qua non confertim, ſed continuo fluit humor in pulmones, ut dicetur cap. de pthyſi. At affectus iſte, febrem continuam, ut plurimum autem acutam, comitem habet, neque natura morbus eſt chronicus, ut alter; poſſumus tamen dicere, a peripneumonia multum differre, in ea enim, ceteris paribus, graviora ſunt ſemper ſymptomata, præcipue circa reſpirationem, genarum rubor magis eſt illi propria, & pulſus mollities, cum ſenſu ardoris in pectore, nec non aëris frigidi inſpirandi deſiderio, toto decurſu peripneumoniæ; multo minus in ea ſpuitur quam in hoc affectu, ejuſque principia ſtatim graviora ſunt; in hoc vero affectu ſæpe levia, uſque in fine quarti, aut quinti diei, quo tempore fiunt in pluribus exacerbationes, quæ ſi graves, mortem ſeptimo die, aut ante futuram prænuntiant, quandoque autem non: Accidit enim in hoc affectu quemadmodum Hippocrates docet in coacis loquens de pleuritide. Quibus pleuriticis in principio dolores molles ſunt, 5. vero, aut 6. exacerbantur; aut cum Dureto, & melius, ingraveſcunt magis ad duodecimum perveniunt, & non valde ſervantur; periclitantur enim maxime ſeptimo, & duodecimo; qui vero bis 7. effugerint, ſervantur. Sic in ejuſmodi fluxionibus pulmonum accidit, præcipue cum dolorem aliquem punctorium adjunctum habent; ſi enim in principio dolores, ſeu labores molles ſint, deinde quinto, aut ſexto exacerbati fuerint, perire ut plurimum animadverti æ-

A non nullis pro peripneumonia, ſed minus recte habetur.

Differentiæ inter hunc affectum & peripneumoniam.

grotos, potius autem ſeptimo quam altero die, nullum vero duodecimo; aliquos quidem nono, interdum & quinto, quibus laboris exacerbatio tertio die contigerat; maxime autem periclitari vidimus eos, quos dolor punctorius dimiſerat primis diebus, deinde 5. revertebatur, nunquam vero ſexto exacerbationes incipere mihi videre contigit: Eſt autem dies ſeptimus, ut inquit Duretus, tertius ab incremento: duodecimus vero, ſeptimus ab illo. Non eſt tamen negandum, fluxionem de qua nunc eſt ſermo, peripneumoniam aliquando invehere, cum in pulmones humor calidior irruit, ſed propria cujuſque ſigna, unumque affectum diſtinguent. Falluntur etiam quidam Medici, hunc affectum, primo cortice, pleuritidem exiſtimantes, cum dolor aliquis punctorius eum comitatur: Qua in re, negligentiæ potius, quam ignorantiæ accuſabo, propria cujuſque morbi ſigna perpendere ſpernentes, quod in Medici dedecus ſæpiſſime vertitur, abeunte primis diebus ſæpe dolore punctorio, & ægroto moriente ſeptimo; Quod ut avertatur, reique eventus prædicetur; Advertendum eſt, fluxione in pulmones delabente, aliquam ejus partem ferri ſæpiſſime, in muſculos intercoſtales externos, vel in eos qui ipſis ſuperiacent, ibique dolorem punctorium, aut quid ſimile efficere: Cum autem nihil magis ſenſum feriat ipſo dolore, ſtatim venæ ſectionibus ex eodem latere fotibus, inunctionibus, & aliis auxiliis occurritur, quibus dolor ſæpe ante quartum diem abſcedit, febre non dimittente: quippe cauſa præcipua in pulmonibus exiſtente, dolore licet non redeunte, ſæpe tollitur æger, ut diximus, die ſeptimo, præcipue ſi die quinto fiant exacerbationes, redeunte quandoque dolore, quod peſſimum eſt, præcipue ſi multum urgeat. Notum mihi tamen eſt, hunc affectum jungi interdum cum vera pleuritide, ſæpiſſime cum notha, & aliis lateris doloribus prout humor defluens, in varias partes agitur, quod à ſolerti Medico deprehendetur, ſi propria cujuſque morbi ſigna perpenderit, præcipue quæ à pulſu deſumuntur, v. g. ſi defluente humore, pars ejus pulmones, altera vero muſculos petat intercoſtales externos, aut eis ſuperjacentes; omnia ſigna veræ pleuritidis aderunt, præter illud quod à pulſu deſumitur, à fluxione enim quæ pulmones impingitur, erit tuſ-

Fluxio hæc interdum peripneumoniam producit.

Sæpius hic affectus cum pleuritide jungitur.

tuſſis, ſpirandi difficultas, febris, & quorundam ſputorum eductio; Ab ea quæ in muſculos irrepſit, dolor punctorius, ſpirandi etiam difficultas, & febris; at pulſus non erit durities, quæ ſemper comitatur pleuritidem, mollities vero pulmonum morbos. Si quis igitur, in horum ſignorum concurſu, pulſum ſpreverit, decipietur, & ægrotus quem curandum ſuſcepit, ſedato interdum dolore punctorio, ſine quo nulla eſt pleuritis, ſæpe morietur, ignorata cauſa: unde exiſtimo hunc affectum, de quo nunc agimus, pleuritidem occultam nominari à vulgo hujus regionis: eo quod doloris punctorii cauſam, dum ſedatur, intro recedere putet, & mortem inferre. Si autem pleuritis exquiſita, ſimul cum fluxione, de qua nunc ſermo eſt, infeſtaverit, quod rarum eſt, varia ut plurimum eſt arteria, nunc mollis, nunc dura exiſtens, prout motus, hujus morbi, aut alterius viget, & facultatem vitalem in conſenſum trahit: ſed de hoc fuſius in prima enarratione, cap. de pleuritide. Nunc ad curationem veniamus, in qua cum de fluxione agatur, ſatis conſtat ex cap. de fluxionibus, ſtatim à venæ ſectione eſſe incipiendum, quacumque hora, non expectata enematis injectione, ſanguinemque mittendum eſſe è cephalica, parte qua fluxio irruit, ad derivationem, & ex baſilica ad revulſionem, tantum ſanguinis detrahendo, quantum morbi magnitudo, vires, plenitudo, ætas, indicabunt: Qua parte autem irruat fluxio, dolor lateris, aut ſcapularum: ſi quis adſit, indicabit. Quod ſi nullus infeſtet, ex decubitu ægrotantis agnoſcendum: ſi enim ſtatim atque in latus dextrum decumbit, tuſſis moveatur, difficiliuſque ſpiret, coactus in latus ſiniſtrum ſe convertere, fluxio lobo dextro pulmonis impingitur, qui ſanum ſibi incumbentem ſuſtinere nequit, nec reſpirationi, ut neceſſitas poſtulat inſervire. Eadem ratione, ſi ægrotus ſupinus jaceat, nec poſſit in alterutrum latus decumbere, ambas pulmonis partes affici credendum eſt, eamque magis in quam difficilior erit decubitus: Ex quo colligitur orthopnœam in hoc affectu, graviſſimum eſſe ſymptoma, ſicut & in peripneumonia, maximum humoris infarctum arguens, qui impedit quo minus pulmo etiam ſuſpenſus, & quoquoverſum ſe dilatans, poſſit uſum reſpirationis explere. Sunt qui ægrotante pulmone, velint ſangui-

Maximi momenti in hoc morbo pulſus obſervatio.

Curatio a veneſectione ſtatim incipienda,

Orthopnæa in hoc affectu eſt graviſſimum ſymptoma.

guinem primum eſſe detrahendum è latere ſiniſtro, eo quod pulmo venas accipiat à corde, cujus ſedes potiſſimum in latere ſiniſtro poſita eſt, hujus tamen rei, ſi ratio habenda ſit, exiſtimo tantum habere locum in peripneumonia, quæ fit à ſanguine, è dextro cordis ſinu per arteriam venoſam, extra modum in pulmones excuſſo: In illa autem quæ fit à fluxione à capite, è latere per quod humor influit, ſanguis ſemper mittendus, ſicut & in aliis fluxionibus, ut cap. 2. lib. 1. demonſtratum eſt; Non ſolum autem ſemel, ſed etiam bis, & tertio, fit venæ ſectio, ſi quis infeſtaverit dolor. Cum autem nos latet quam in partem fiat humorum decubitus, ex utroque latere facta venæ ſectione, ſtatim ſcapulis admovendæ ſunt cucurbitulæ, cum profunda ſcarificatione, ut fluens humor intercipiatur, qui ſæpiſſime non longe à cute delabitur; has enim, venæ ſectione tertio repetita, magis profuturas exiſtimo; licet auxilia tamen urgere, prout morbus præceps eſt, ita ut eodem die, cum vires ferunt, repetita venæ ſectione, cucurbitulæ ſerotinis horis etiam applicentur; In principiis enim morborum, ut inquit Hippocrates, ſi quid movendum videtur move, præcipue vero cum agitur de humorum influxu, quorum longe difficilior eſt revulſio, ſi ſedem occupare permiſeris; Ideo ne momentum quidem expectandum, in venæ ſectione adminiſtranda, ſi vel minima fluxionis principia deprehendantur, poſt quam, ſi cucurbitulas deprecentur ægroti, ipſas non admovebis; verum magnum veſicatorium ſupra humeros, parte ſuperiori, & juxta collum pluribus diebus apertum manens, plurimum proficiet, egregieque fluxionem perſeverantem avertet. Inſtituendæ purgationis tempus, longe majoris eſt ſpeculationis, propter adverſos caſus, qui contingere ſolent in hoc effectu: Cum enim terminus iſtius morbi, qui ſpem ſalutis confirmare ſolet, ſeptimo dies ſtatuatur, in eoque ſæpiſſime contingat, ut qui à principio uſque ad quatrum diem, ſalutaris omnino videbatur, quinto exaſperatur præter conſuetum modum, & ſeptimo mors ſubſequitur; Quidam Practici, ſibi potius quam ægrotis conſulentes, non cogitant de medicamento purgante, niſi poſt ſeptimum, ne cauſa mortis in medicum rejiciatur. Alii damnant omnino purgationem primis diebus, quod hu-

Poſt venæ ſectionem cucurbitulæ cum ſcarrificatione ſcapulis admovendæ.

Apho. 29. ſect. 2.

Aut magnum veſicatorium ſupra humeros applicandum.

Quid de purgationis tempore ſtatuendum?

humoribus ab ea commotis, augeatur fluxio, & periculum, propter febrem, quæ fortia cathartica non patitur. Fere omnes itaque ante ſeptimum diem, rejiciunt purgantia medicamenta, vitandæ calumniæ neceſſitate ducti, potius quam ratione probabili. Ego quidem, ſi de purgatione in hoc morbo ſententia ferenda eſt, exiſtimo potius in principio, ſecundo ſcilicet die, quam poſt ſeptimum eſſe præſcribendum; hoc autem multis de cauſis; Primo quidem in principio humores ſunt aquoſiores, facilius purganti ceſſuri; vires toto morbi decurſu validiores; tempus longius eſt à periculo, minus itaque damnabitur Medicus de ſiniſtro morbi eventu; tertius dies criticus eſt, ideoque verendum ne ſudores porumperent; Quartus aptior eſſet purgationi, movetur enim hic morbus, fere ſemper diebus imparibus, at anacatharſis jam inſtat, & dies quintus, quem climactericum voco, in hoc affectu, propter mutationes ſiniſtras, de quibus ſupra, quæ in eo ſolent ſæpiſſime accidere, quorum cauſa, vulgi opinione, ſemper in medicamentum purgans reiicitur, quod die quarto exhibitum eſt. Poſt ſeptimum autem non ſolum inutilis eſt purgatio ratione morbi hujus, ſed & noxia habenda eſt: Primo quidem res ægrotantis, cum de purgatione cogitatur hoc tempore, vacant periculo. Secundo quo natura vergit, eo ducere oportet; ducit autem natura poſt ſeptimum humores, maxime per anacatharſim, quam purgatio non juvat, ſed potius impedit: Si dicatur quod fluxio perſeveret; quod ante dictum eſt obiiciam, febrem fortia cathartica non poſtulare, debilibus humores exagitari, indeque fluxiones geminari; atque ita, aut inutilem eſſe purgationem poſt ſeptimum, aut noxiam, ſaltem ratione morbi: Si alterius vero rei concurſus gratia decernatur; v. g. expurgationis primarum viarum ſcatentium putredine, aut alterius cujuſdam cauſæ, ita ſe gerendum ut anacatharſi non noceas. Cum igitur in hoc affectu purgatio videtur eſſe neceſſaria, uti eſt, ſecundo morbi die decernenda potius, quam aliis diebus, minuendæ tamen fluxionis gratia, ſi perſeveret, etiam procedente morbo fieri poteſt: quod ut dignoſcatur, advertendum eſt fluxionis modum, in omnibus non eſſe ſimilem; quibuſdam enim ſimul, & uno ductu fit, intra exiguum tempus; Aliis vero cum incepit

Potius in principio quam in fine hujus morbi inſtituenda purgatio, & quare.

pit perſeverat, etiam quibuſdam poſt ſeptimum, iis maxime qui fluxionibus ſunt obnoxii. Quibus igitur fluxio naturæ robur non excedens, ultra tertium diem non progreditur, in fine quarti, ad minimum, incipit fieri anacatharſis, die quinto nulla fit inſolita exaſperatio, ſputa cito prompteque rejiciuntur, nec recrudeſcunt, novæ enim fluxionis ſignum foret; horum ſeptimo die fit declinatio. At ſi nova ſuppeditetur materia fluens; ſi per vices, modo coctorum, modo crudorum ſputorum fiet eductio, coctorum, à materia quæ jam influxerat; crudorum à materia quæ recens influxit, interdum quod crudum eſt, hæret jam cocto, ſimulque rejiciuntur; verum ſi nimis abundet fluxio, omnia fere recrudeſcunt: Cum autem multo tempore cocta educuntur ſputa, impoſſibile eſt materiam brevi tempore, & ſimul fluxiſſe, neque enim daretur locus in pulmonibus, continendæ materiæ totius, quæ tam longo temporis ſpacio per ſputa excernitur: ſed certo tenendum eſt, ſenſim quotidie à capite, aliquid defluere in pulmones, à quo ſuppeditatur nova ſputorum materia, quæ facilis eſt coctionis nec tuſſim aliquando movet, cum caret acrimonia, aut cum per exteriora laryngis, & tracheæ arteriæ delabitur in pulmones: Hoc poſito, & poſt ſeptimum, & poſt decimum quartum, & quolibet tempore, poteſt adhiberi purgatio, ut fluxio perſeverans minuatur; Quapropter magis idoneum tempus purgationi eſt, cum humores in pulmonibus delapſi, ſunt adhuc liquidi, tunc enim facilius cedunt medicamento trahenti; peracta vero die quarto, nullo modo, craſſiores enim facti, per anacatharſim ſunt potius ducendi: Tempus autem quo humores in pulmones delapſi ſunt liquidi, à principio uſque ad quartum diem, ſupra oſtenſum eſt, minus tamen, quo magis à principio receditur: Quare data opera venæ ſectioni primo die, ſecundus eſt omnibus purgationi magis opportunus, ſi autem occaſio hæc effluxerit, quod Medicus opportune non fuerit adhibitus, ſitque in animo aliquam purgationi idoneam arripere, ratione eorum quæ diximus, aut fluxus ventris qui infeſtat, aut ſignorum putredinis in primis viis, cum qua vermes ſubeſſe creduntur, aut alicujus alterius cauſæ interventus; Tunc in fine tertii, cum nulla ſit exacerbatio, ut à nobis factum eſt, medica-

Senſim aliquid à capite defluit unde nova materia ſputorum ſuppeditatur.

Secundus dies morbi maxime eſt opportunus purgationi.

dicamentum purgans exhibendum, aut ſaltem in principio quarti; Quo longius tamen à quinto præbueris, eo melius, propter ea quæ ſupra diximus, de mutationibus quæ in eo ſolent accidere. Verum ſi cogatur Medicus, propter alicujus rei concurſum quarto die præcipue, uti medicamento purgante, ſuaderem, non ſolum ut moneret aſtantes de ſiniſtra illa mutatione, quæ ſolet interdum in quinto accidere, ſed etiam de partiaria purgantis materia, quæ ex benignioribus in hoc affectu eligitur; ne ſi res male cedant, culpa in ipſum rejiciatur, & morbi eventum ignoraſſe credatur. Quod ſi nihil magni momenti purgationem urgeat, transferre prudentis eſt Medici: Quocumque vero tempore utendum erit, ſic de illa decernendum cum primis diebus purgandum ut.

℞. Rad. cyp. ʒij. folior. beto. pulm. cap. vener. ana mß. ſem. cartha ℥ß. ſem. ani. ʒß. flor. viol. & tuſſilag. ana pj. fiat ex his decoct. Acc. q. ſ. infunde folior. ſenn. mund. ℥ß. aut ʒiij. ſem. coria. ʒß. agar. ʒj. pulv. elect. diacarth. ʒß. ſi febris permittat, aut ſyrupi mei magiſtr. ʒiij. fiat potio, horis matutinis ſumenda. Potio purgans.

Poſt hanc purgationem, incipiente anacatharſi circa diem quintum, & ipſa perſeverante, multum juvat his uti apozematibus; audivi enim ægrotantem, quibuſdam ſumptis, affirmantem ſe robur excreando percipere: horum talis eſt deſcriptio.

℞. Rad. conſol. majo. ℥j. folior. pulmon. pimp. ſcab. tuſſilag. capil. veneris ana mß. flor. cap. rub. pj. ſem: frig. & bombac. ana ʒj. hord. ℥ß. ſem. aniſi ʒß. liquirit ʒij. fiat ex his decoctio Acc. ℥iiij. pro una doſi ſyrupi cap. vener. ℥j. ſyrupi de papav. rub. ℥ß. utatur mane & ſero quibuſdam conſecutis diebus. Apozema pectorale.

Si quis loco prædictæ purgationis, velit uti ptiſana purgante, in omni morbo purgatione egenti, mihi valde familiari, quibuſdam pro re nata mutatis, talis in principio hujus affectus poterit eſſe deſcriptio.

℞. Rad. aco. aut cyp. ʒij. folior. beton. pulm. ana quædam folia, flor. ſtœc. & hyſſo. ana pß. folior, ſennæ mund. ℥ß. turbith, & jalap. ana ʒß. aut ʒj. pro natura ægrotantis, omnibus Ptiſana purgans.

ſ. a.

ſ. a. paratis, fiat infuſio in ℥vj. aqu. cichorei, colat. dulcorata, mane propinetur; aut ℥ß. vel ʒiij. in his qui non facile cedunt purgantibus diſſolvantur, de ſyrupo meo magiſtrali. Septimo die elapſo, ſi ægrotus indigeat purgatione, bechium totum oportet eſſe medicamentum ſi nihil à capite influat; tunc enim per ſputa fit cauſæ morbificæ expurgatio, ideo leniter hoc modo purgandum.

℞. Hord. ℥ß. liquir. folior. pulmo. tuſſil. cap. ven. ana mß. flor. cord. & papav. rub. ana pj. ſem. malvæ, & bomba ana ʒj. fiat ex his decoct. Acc. q. ſ. inf. folior. ſennæ mund. ℥ß. ſem. coria. ʒß. agar. ʒj. in expreſſ. diſſol. mannæ calab. ℥j. aut amplius, licet aliquando uti ſolo manna, ad ℥jß. vel ℥ij. in juſculo diſſoluto. Interea utendum expectorationem juvantibus, & tuſſim lenientibus; in principio quidem, ſyrupo violaceo, vel ſyrupo de tuſſilagine, cum dimidia parte ſyrupi de papavere rubro: Pro ægrotis vero, qui omnia faſtidiunt, plura habenda ſunt, ut ſaccharum candum, ſyrupi, tabellæ; ita varietas occurret moleſtiæ: Eclegmatibus pauci uti volunt, ideo à me raro præſcribuntur. Craſſeſcente materia, utimur ſyrupo capilli veneris, cui poſtea immiſcendum aliquid ſyrupi de hyſſopo, aut de praſſio; prout autem materia craſſeſcit, ipſis ſolis utendum, ſi ægrotus eo ſit animo; hoc enim non eſt magni momenti, etiam ſi toto anacatharſis tempore, ſolo ſyrupo de tuſſilagine uteretur ægrotus, quam liquida melius juvant ſolidis, quia magis humectant, & leniunt guttur. Præter hæc, alia quædam invenies pulmonem expurgantia, in ordine remediorum alphabetico titulo pulmonem expurgans. Si morbus iſte propter cauſæ magnitudinem, peripneumoniam referre videatur; imo in eam convertatur, quod ex ſignis veræ peripneumoniæ agnoſcetur, de quibus ſupra meminimus, à venæ ſectione curatio eſt incipienda, uti in hoc affectu, cucurbitulæ vero, ante, & retro, è regione partis ſuperioris pulmonis, cum ſcarrificatione ſunt admovendæ, multaque utrique affectui ſunt communia; imo etiam quod de purgatione dictum eſt cum peripneumonia pendet à catarrho; ſi autem a ſanguine, violenter per venam arterioſam in pulmones excuſſo fiat, non item; venæ enim ſectionibus potius pugnandum. Nunc ad pro-

Syrupi varii pectorales.

Quid agendum ſi morbus in peripneumoniam convertitur?

prognoſtica affectus, de quo hoc cap. agitur, veniamus, quibus illa quæ de peripneumonia dicuntur annectemus: multa enim huic morbo, & peripneumoniæ conveniunt, ſicut & pleuritidi.

PROGNOSTICA.

Quæ citius humectantur, celerius judicantur. Hippo. lib. de ratio. victus in morbis acut. loquens de pulmone.

Si febris, tuſſis, & alia ſymptomata exaſperentur quinto die, quo major exaſperatio, eo mors certior ſeptimo die.

Quibus ſputum in gutture fervet: ſi plenum, omnes pereunt; ſi paucum, aut non plenum, ſervantur plurimi.

Nulli hoc ſolo morbo affecti pereunt poſt ſeptimum: ſi ſatis illo die commode habeant, niſi interdum valde ſenes.

Multa quæ de peripneumonia, & pleuritide dicuntur, propria ſunt huic affectui.

Peripneumonia breviſſima judicatur 7. die, aut 14. longa 20. die.

Interdum 4. die certa mors eſt, aut ſeptimo.

Si peripneumonia vigeſimum tranſcendat, in ſuppurationem vertitur, doletque pectus, & pus ſpuitur cum tuſſi.

Sputum flavum ſanguine permixtum non multo, in principio morbi pulmonum ſi ejiciatur, ſalutare admodum eſt: ſi ſeptimo die, tardiuſve, minus ſecurum eſt. Hippo. 2. prognoſt. cap. 9.

In peripneumonia peſſimum, ſi ægrotus, rectus velit ſedere. Hippocr. lib. 1. progn. cap: 6.

Gravedines, & ſternutamenta, per omnes morbos qui pulmonem fatigant, præire, & ſubſequi, malum eſt, ſed in aliis morbis ſternutamenta utilia ſunt. Hippo. 2. progn. cap. 9.

Lingua tremula cum rubore juxta naſum, & alvo liquida, ſi reliqua ſine ſignis ſint, circa pulmonem malum eſt, & celeres purgationes pernicioſas ſignificat. Hippo. in coac. 3. lib. 2. Vide Duretum.

Fluxus ventris in peripneumonia, quinto die mortem inducit: infra enim humore ſecendente, partes ſupernæ reſiccantur, & ſputi purgatio ſurſum non prodit. Hipp. libr. 3. de morb. Quandoque tamen magna ſuperveniente evacuatione liberan-

berantur ægroti, præcipue ex multis bilioſis, & ſpumoſis.

Sputum circa initia non apparet; circa tamen quartum diem apparere debet, cum bonis notis ab Hippocrate deſcriptis. 2. prog. cap. 8.

Peripneumonia fluxum ſanguinis non amat. Galen. lib. 3. de criſib. quod quidam intelligunt de pituitoſa.

Peripneumonicis, una ſalus robur virium; quamvis etiam robuſti intereant.

Periculoſa peripneumonia, in qua nihil ſpuitur.

In principio probe ſpuere, deinde ſpuere diſiiſſe, rebus in melius non euntibus, peſſimum.

Peripneumonia ex angina, lethalis ſeptimo die, ex Hipp. apho. 10. ſect, 5. aut tranſit in empyema.

A pleuritide peripneumonia, malum. Hippo. apho. 11. ſect. 7.

A peripneumonia phrenitis, malum. Hippo. apho. 12. ſect. 7.

Nunquam fit in pleuritide, & peripneumonia, ut caput non afficiatur, quod humorum excipiat in illis inflammationibus putreſcentium fuliginem. Gal. lib. 4. de cauſ. pulſ.

Peripneumonia quinque modis finitur, criſi, coctione, abſceſſu circa aures, aut inferas ſedes, ſuppuratione, ſtrangulatione.

Abſceſſus in peripneumonia fit, quibus dolor, & febris adfuerint, & ſputum pro ratione non prodierit, neque bilioſæ alvi dejectiones, ſolutuque faciles, & meracæ ſint, neque urina craſſa valde, & multam habens ſubſidentiam, & alia ſalutaria ad fuerint. Hipp. in coac. 23. lib. 2.

Abſceſſus ad inferas partes fiunt, quibus inflammatio fit circa præcordia; ad ſuperas vero partes quibus præcordium molle, & doloris expers, & ubi per aliquod tempus difficilius ſpiraverit, & citra manifeſtam cauſam ceſſaverit Hipp. ibidem. coac. 24.

Pedes calidi inferne abſceſſum fieri ſignificant; frigidi ſuperne. Hipp. lib. de humor.

Rarum inflammatione in pus converſa, purulentam materiam per urinas, aut alvum excerni.

Paro-

Parotides, vel abſceſſus, in remotiſſimis locis à parte affecta, ſalutares.

Abſceſſus in peripneumonia vehementi, ſi in crura erumpit, omnis utilis eſt. Hipp. lib. 2. progn. cap. 12.

Inflammatione in pus converſa, & rupto abſceſſu in ſpacio pectoris, intra quadraginta dies repurgari oportet; alioquin in tabem tranſit, aut puris abundantia accidit ſuffocatio.

Si abſceſſus non rumpatur, vel ſponte, vel arte, ſenſim conficiuntur ægrotantes.

Peripneumonicis quibus lingua tota alba fit, & aſpera, ambæ pulmonis partes inflammatæ ſunt; quibus vero dimidium, una juxta quam apparet. Hipp. in coac. 31. lib. 2. cap. 16.

Quibus ad unam claviculam dolor fit, his ſuperna pulmonis ala ægrotat; quibus ambæ, ambæ ægrotant; quibus juxta mediam coſtam, media; quibus ad diſcriminationem, inferna. Hippo. ibidem. Quibus utrinque appendentes pulmonis partes valde ſunt inflammatæ, ita ut ad latus aſſideant, hac corporis parte reſolvuntur, & livores foris circa coſtam habent; Si vero non aſſideant, dolor quidem fit per totum, non tamen convelluntur, neque livorem habent. ibid.

Signa collectionis puris, & dum fit, petenda ſunt ex Hippocratis lib. 2. progn. cap. 10. ſicut boni, vel mali ſputi. cap. viij.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

Observatio Prima.

Mulier Catharro pectorali laborans die ſeptimo extinguitur.

Profectus peregre, ut mulierem catharro in pectore laborantem cum febre continua inviſerem, inveni illam jam quartum diem attigiſſe, biſque, aut ter, venæ ſectionem fuiſſe adminiſtratam; ideo cucurbitulas ſcapulis affigendas curavi, cum ſcarrificatione, ſupradicta etiam apozemata præſcripſi, & uſum bechicorum: Cum autem appropinquante die quinto morbus exaſperaretur, ſonituſque ferventis ſputi, obſcure tamen, ſubaudiretur, prævidens res ægrotantis male ſe habituras, diſceſſi, periculo mortis futuræ ſeptimo die prædicto: quod ita eveniſſe mihi relatum eſt; ætate erat 30. annorum mulier.

OBSERVATIO II.

Mulier ab hac aſthmate curata.

Aliam inviſi mulierem in quodam oppido, eodem affectu laborantem; hæc jam ſextum morbi diem agebat, non videbantur vires motrices ita dejectæ, ut in ſuperiori ægrotante, ſputum tamen fervebat in gutture, quod mihi metum incutiebat, præſcripſi itaque die octavo, ſalva tamen ſeptimo, medicamentum purgans, & alia pectus, & pulmones expurgantia, & incolumis facta eſt, erat mulier 25. annorum. Alias etiam vidi mulieres juvenes, quibus ſputum fervebat in gutture, quæ evaſerunt; viros autem, & juvenes, nullos. Quare dicendum eſt, in quibuſdam fervere quidem ſputum, ſed non plenum in gutture eſſe ſputum.

OBSERVATIO III.

Nobilis quidam in uſto utrique brachio fonticulo liberatus a Chiragra, ſed ira excandeſcens, ille humor fluebat in pulmones unde Pthyſis notha.

Vir quidam nobilis, cum in utraque manu multis annis affiŋceretur chiragra, Medici conſilio, inuſtum eſt in utroque brachio pyroticum, quorum beneficio liber factus eſt a doloribus, ut ipſe mihi ſæpe retulit; in poſterum tamen, quoties ira excandeſceret, in pleuritidem, ut ipſe dicebat, incidebat; hoc autem quinquies jam illi accidiſſe affirmabat, hac autem tandem periturum prædixi, niſi rebus ſuis conſuleret, & ab ira abſtineret, humorem enim pleuritidis putatæ cauſam, eumdem eſſe, qui in manus à capite irruebat, pyroticorum autem beneficio ſenſim effluere, cum vero iræ agitaretur impetu, non ſenſim, ſed confertim in aliam partem impelli, unde punctorius ille dolor, febris, & aliquid aliud. Cum autem eſſet pronus ad iram, factum eſt ut commotis ab ea humoribus, factaque fluxione, febris accenderetur, cum tuſſi, & dolore punctorio, quod ſtatim nomine pleuritidis vocatum eſt: Ego vero vocatus primo die, pulſumque explorans, affirmavi morbum hunc non eſſe veram pleuritidem, ſed præcipuam ejus cauſam eſſe in pulmone, humoris ſcilicet influxum, cujus portio per muſculos intercoſtales externos oberraverat, aut ſaltem ipſis incumbentes. Cum igitur de fluxione ageretur, injecto enemate, ſtatim venam brachii, è regione doloris, tundendam curavi, doloreque perſeverante, iterum ſanguis extractus eſt: Interea facti ſunt fotus, & inunctiones; humor tamen commotus,

motus, non ſolum in has partes influxit, ſed & in ventrem, à quo diarrhœa, aut ab aliqua cauſa in ventre exiſtente, ex victu qui morbum præceſſerat, accedente iræ exagitatione, quæ bilem commoverat; circa enim diem ſecundum ex bilioſis liquidioribus diarrhœa inceperat: Quacumque autem de cauſa fieret, ſtatui die quarto uti medicamento purgante, ex infuſione rhabarbari, cum pauco catholici in diſſolutione, & pulvere rhabarbari, ut natura ab uno levata, alterum facilius domaret: Juſſi igitur paratum haberi medicamentum, propinandum ſi dolor punctorius, qui perſeverebat, non augeretur, & febris, novæ fluxionis ſigna, quam venæ ſectione potius, avertere erat animus. Rebus die quarto in eodem ſtatu permanentibus, hauſit ægrotus medicamentum, à quo dejectio votis reſpondit, die 5. nihil novi factum eſt, quod terrorem nobis incuteret, anacatharſis recte fiebat, febris tamen, & dolor punctorius perſeverabant, licet fotibus, & inunctionibus demulceretur. Die ſexto pulſus intermittebat, quod me ſollicitum tenuit; cum autem in reliquis ſignis cetera ſatis bene haberent, dieſque ſextus non eſſet firmæ judicationis ut ſeptimus, in hunc omnia remiſi, oborta à medicamento purgante diarrhœa. Die ſeptimo ceſſavit pulſus intermiſſio, pedetentimque poſtea meliuſcule habens ſanatus eſt. Pharmacopœus quidam hoc morbo laborans, cum primis tribus parvi momenti videbatur eſſe ægrotatio quarto die purgatus eſt. 5. omnia exacerbata ſunt; 7. mortuus eſt.

Observatio IV.

Anno præterito, graſſatus eſt hic morbus populariter in quodam oppido, ſex milliariis ab urbe iſta diſtante. Medicus loci, & Chirurgi, quia in eo erat dolor punctorius, pleuritidem exiſtimabant: Cum autem multi ſeptimo morerentur, quidam vero antea, auxiliis nihil proficientibus, diſſecta ſunt quædam cadavera, inventuſque pulmo materia purulenta refertus, & quibuſdam coſtis adhærens; tunc vero morbum extitiſſe peripneumoniam creditum eſt, ex Medici, & Chirurgi oppidi ſententia, qui hæc mihi retulit: quod veriſimile eſt, convertitur hic morbus, ut jam diximus interdum in peripneumoniam.

Aſthma & peripneumonia epidemica.

OBSERVATIO V.

Uſus vini emetici in peripneumonia.

Hoc anno in variis oppidis hujus juriſdictionis, graſſatus etiam hic morbus populariter, ex ruſticis autem, præcipue robuſtiores tollens. Petentibus à me Pharmacopœis, & aliis, quid in tanto rerum ægrotantium diſcrimine eſſet agendum; conſului ut primo die facta venæ ſectione, vino emetico uterentur, magnumque poſtea veſicatorium ſcapulis imponeretur, & ſudorificis ad ſuperficiem humores propellerentur. Paucis poſt menſibus, unus ex Pharmacopœis retulit mihi, ſe in quibuſdam vino emetico uſum feliciter; poteſt enim datum à principio, peripneumoniam avertere, fluxionemque futuram.

De Pleuritide.

CAPUT. III.

Cap. 2. Pleuritidis definitio.

Etiam ſi pleuritis ſit morbus, qui ſe ſatis ſuis ſignis manifeſtet, ut videre eſt apud Galenum. Lib. 5. de loc. affect. dum inquit, Inſeparabilia lateralis morbi ſymptomata ſunt; febris acuta; dolor perinde ac ſi locus extendatur, vel pungatur; ſpiratio frequens, & exigua; pulſus parvus, arteriam, & duram, & quodammodo tenſam indicans; tuſſis, magna ex parte cum coloratis ſputis, nonnunquam vero ſine his. Multi tamen Medici, nomine tantum celebres, qualemcumque dolorem lateris punctorium cum febre, aliis ſignis neglectis; ſtatim pleuritidem nominant, ignaris hac in re: ægrotis, & aſtantibus imponentes, ut majorem fortaſſe gloriam conſequantur, ex putata pleuritide ſanata, aut ſaltem quod morborum notitiam, quæ deſumitur à pulſu, cognoſcendæ pleuritidi exquiſitæ maxime neceſſaria ſpernant, rudiori, & vulgari ſcientia, etiam mulierculis nota contenti. Nam ut ſuperiori capite oſtenſum eſt, dolor aliquis in latere cum febre continua, cui fluxio à cerebro in pulmones jungitur, licet pleuritis non ſit, omnes tamen illius notas habebit, præter illam quæ deſumitur à pulſu: Quin etiam ſi res nobis ſit cum Chirurgis, & Pharmacopæis, ut fere ſit, quod ut plurimum ægrotantes primi inviſere ſolent, eos in-

Inperiti ſæpe ventris dolorem pro pleuritide curant.

invenias dolorem ventris, more pleuritidum ſæpiſſime ſanantes repetitis venæ ſectionibus; eo quod in latere, & juxta diaphragma inſideat dolor, quem purgatione multoties curavimus, ſumpta præcipua indicatione à pulſu, illis ſtupentibus, & pudore ſuffuſis. Nam cum dolor infeſtat juxta diaphragma, qua parte coſtis alligatur, ſæpiſſime arduum eſt, ſi pulſum ſpreveris, internoſcere, utrum in pectore, an in ventre; conſiſtat cauſa doloris, præcipue ſi aliqua tuſſis adſit: Quare dum agitur de vera pleuritide cognoſcenda, omnia ſigna perpendenda ſunt, in primis quod deſumitur à pulſu duro, ſine quo nulla pleuritis exquiſita, niſi gravis aliquis affectus cum ea concurrat, exiſtens in parte carnoſa, ut videbimus in prima Enarratione, partibus enim nervoſis inflammatis, pulſus fit durus, ut ait Galenus, & partibus carnoſis inflammatis, pulſus ſit mollis: Quapropter pleura inflammata, quod exquiſitior pleuritis eſt, pulſus fit durus, ut ajunt, ſerratilis; dico, ut ajunt, quia ingenue fateor, me nunquam ſerratilitatem illam deprehendere potuiſſe, licet quid ſit, quomodo fiat, & qua ratione exploranda non ignorem: At cum ſatis ſit ad veræ pleuritidis notitiam, pulſus duritiem agnoſcere, de ſerratilitate illa imaginaria non eſt curandum. Nam cum ſerratilitas illa, pluribus digitis ſit exploranda, digitorumque intermedium, non tangat, arteriam, ut molle eorum; cum pulſus durus eſt, videtur, ut opinantur, in modum ſerræ digitos pulſare, quod potius ex parte tangentis ſe tenet, quam ex parte arteriæ pulſantis. Cum muſculi intercoſtales interni inflammantur, quod vera pleuritis etiam dicitur, propter affinitatem pleuræ ſimul affectæ, durus quoque fit pulſus, non autem ſicut ſola pleura inflammata, quia muſculi partes carnoſæ ſunt; quo magis autem pleuræ affectus communicatur, eo pulſus durior: Externorum vero muſculorum intercoſtalium inflammatio, etiam ſi in ea, pleura non afficiatur, nomen pleuritidis tamen aſſumit, propter quorumdam ſymptomatum ſimimilitudinem, ſitu præcipue, & natura doloris, ſicut etiam ſpirandi difficultate; ad differentiam vero alterius, notha pleuritis vocatur, alio nomine magis proprio carens; Propterea, pulſus durus non eſt, ſicut in vera pleuritide, neque tuſſis adeſt; multoque minus in muſculis humerorum, brachiorum, & aliorum

Signum veræ pleuritidis præcipuum eſt pulſus durus.

Pulſus ſerratilis non datur.

Qui morbus pleuritis notha vocatur?

rum ſuperiacentium inflammatis, aut dolentibus, propter majorem diſtantiam à pleura; dolorque in his præcipue, digito preſſa exaſperatur: Quo autem dolor magis partes exteriores afficit; eo decubitus in partem affectam difficilior, quia comprimitur: Et quo magis partes interiores dolor obſedit; eo decubitus in partem ſanam gravior, præcipue laborante pleura, quia materiæ inflammationem facientis pondus ſuſtinente, in ea major fit diſtentio, ex qua dolor atrocior, qui modo ad claviculam, modo ad præcordia excurrit, pro vario oberrantis humoris influxu, ejus quantitate, quem in pleuritide vera, multoque minus in notha, inflammationem ſæpe non facere exiſtimo, cum harum fluxio cauſa exiſtit: Quoties enim videmus in muſculos externos, fieri à capite humorum decubitus cum febre, & dolore, ſimilitudine ad pleuritidem accedente, in quibus nulla eſt inflammatio; Cur igitur ſimilis fluxio non fit in pleura ſine inflammatione, ſaltem ſyſtrophica, febrem & dolorem, ut in aliis partibus tantum inducens, quod de muſculis intercoſtalibus multo æquius dici poteſt: Hoc ſæpe in quibuſdam rheumatiſmis, fieri ſine inflammatione animadverti. Præterea cum adeſt inflammatio, ſi oculis non ſit manifeſta, præter dolorem, ardor in parte percipitur; nihilominus, neſcio quos vidi conquerentes de ardore, cum dolore punctorio, in his affectibus, quemadmodum in arthritide calida. Quare non eſt aſſerendum pleuritidem, eſſe ſemper pleuræ inflammationem; in qua, ſi accidat interdum pulſum, duritiem ſuam obſcure demonſtrare, alia ſigna conſulenda ſunt, præcipue tuſſis, quæ ſi abeſt, nullo modo vera pleuritis affectus eſt, etiam ſi dolor punctorius urgeat, & febris, atque ſpirandi difficultas: Si vero adſit tuſſis, advertendum an cum coloratis ſputis; ſignum quidem pleuritidis, ſed non ſolius; affecto enim pulmone ſolo, colorata etiam prodeunt ſputa, ut videre eſt lib. 2. progn. cap. 9. Sed ex his quæ cap. præcedenti dicta ſunt, & ex his quæ in hoc docentur, facile innoteſcet qualis ſit affectus, an vera pleuritis, an notha, an quædam harum, præcipue notha, quæ cum fluxione in pulmones complicetur, quod ſæpiſſime accidit: Fit autem notha pleuritis, pracipue à catharro; vera autem, magis ſanguine effuſo à vena azygo,

Pleuritis non ſemper a ſola pleuræ inflammatione.

In calidis regionibus

aut

aut intercoſtali, præſertim in regionibus calidis, in frigidis enim multæ ſunt pleuritides veræ à catarrho: Ejus ſymptomata non ita urgent, ut in illa quæ fit à ſanguine è venis effuſo, magis tamen quam in notha, ceteris paribus; poteſt enim magna pleuritis notha, magis ſævire, quam vera pleuritis parva: Quomodocumque autem res ſe habuerint, ſignum quod deſumitur à pulſu, melius inter ſe eas diſtinguit. Ego quidem, dum agitur de pleuritide, multum tribuo ſymptomatum vehementiæ, propter majorem communicationem pleuræ cum corde; præ ceteris tamen hoc dandum pulſui, ut ſit dux aliorum, nunquam ſcilicet pleuram tentari inflammatione, quin pulſus ſit durus: Quia autem arteriæ durities, ad pulſus magnitudinem eſt ineptiſſima, ex doctrina Galeni. lib. 1. de cauſ. pulſu. Ideo diſſerens de ſignis pleuritidis. lib. 5. de loc. affec. ait pulſum in ea eſſe parvum, id eſt non eſſe magnum; eo quod durities, prout viget, impediat arteriæ diſtentionem; habet enim parvitas pulſus latitudinem ſuam, poteſtque jungi facultati robori, cum arteriæ tunica dura eſt, modo ſit vibratus. Nam ex Galeno pulſus durus, & parvus, ſi non ſit vibratus, aut extremam denuntiat imbecillitatem virtutis, aut remiſſionem uſus, aut utrumque; quod maximæ eſt conſiderationis in vera pleuritide, & inflammationibus internis partium nervoſarum: Sed ut uno verbo expediam, oportet omnia ſigna à Galeno enumerata adeſſe, ut vera pleuritis conſtituatur; Cujus curationis principium, in venæ ſectione poſitum eſt, ſine mora, quacumque hora febris, & dolor infeſtare incipiunt, non expectata enematis injectione, quæ poſtea fieri poterit, venaque brachii baſilica, aut mediana ejuſdem lateris tundenda, ſanguinem pro viribus, & exeundi modo extrahendo, bis autem eodem die, ſi opus fuerit; ſerotinis vero horis, ſi pleuritis ſit catarrhalis, admoveantur cucurbitulæ cum ſcarrificatione; minime autem, ſi pleuritis ſit à ſanguine effuſo ab intercoſtalibus venis, aut ab azygo, niſi capitis dolor urgeret, aut aliud ſymptoma. Interea fiant fotus, & inunctiones in parte dolente; imo ſi dolor ſit pertinax, applicetur cucurbitula cum ſcarrificatione. Ego in pertinaci dolore, uſus ſum applicatione ranunculi, in pleuritide notha, cum felici ſucceſſu. Tertio die, perſeverante, multoque

Pleuritides ut plurimum fiunt a ſanguine, in frigidis a Catarrhis.

Lib. 3. de præcognit. ex pulſu.

Præcipua pleuritidis cura conſiſtit in venæ ſectione.

Applicatio ranunculi in Pleuritide notha.

toque magis ingraveſcente dolore punctorio, & febri, iteranda venæ ſectio; quam, cum bis, aut ter facta eſt ex latere partis dolentis, adminiſtrandam jubeo ex latere partis oppoſitæ; etiam ſi multi, velint hoc fieri in principio pleuritidis, quorum rationes non ſunt parvi momenti, quas videre licet apud Sennertum cap. de pleurit. Quæſtione 4. ubi omnium authorum, quæ vena ſit ſecanda in principio pleuritidis, diſputantium opiniones recenſet, & examinat; ſed quidquid afferat in contrarium, invaluit Græcorum opinio, ut ex latere dolente ſanguis hauriatur in omni pleuritide incipiente; Ita toto vitæ decurſu, uſum in Gallia receptum animadverti, quem ſemper ſecutus ſum, natura præcipue me docente, quæ eſt morborum medicatrix; affecto enim jecore, ſanguinem fundit nare dextra; laborante autem liene, è nare ſiniſtra: hac edocti experientia, ſileant omnes rationes. Primis igitur diebus, non ſolum in pleuritide, ſed & in aliis doloribus, ſemper facienda venæ ſectio è latere partis dolentis; poſtea vero, ne multis venæ ſectionibus confluant humores ad partem affectam, aut propter aliquid aliud, è latere oppoſito faciendam ſuadeo: Die tamen 5. ſi fiat novus humorum affluxus, ut ſæpe fit; quacumque hora hoc acciderit, etiam de nocte, ſtatim vena ejuſdem lateris dolentis aperiatur; poſtea vero à venæ ſectionibus abſtinendum, neque tot ſanguinis evacuationibus conficiendi ſum ægroti, ut mos eſt, præſertim anacatharſi recte prodeunte, ut optime docet Duretus in comen. coac. coaca 9. agens de pleuritide. Germani, ut Hartmannus, ſi ægrotus à vomitoriis abhorreat, incipit quidem curationem pleuritidis, à venæ ſectione lateris dolentis; ſi vero non abhorreat, ſic procedendum ſcribit. In pleuritide vera, ante omnia, & quidem ſub initio, vel etiam 3. aut 5. die, exhibeo aquam benedictam, ad vomitus ciendos. Sic nimirum influxus humoris, & inflammatio ſiſtitur, ac pectus ipſum ab impuritatibus repurgatur. Aqua benedicta exhibetur juſta doſi, in aqua cardui mariæ, aut rhæados; aliquando diſcedo ad venæ ſectionem, ſi morbus non videtur reſolutus, & plethora juſſerit, idque facio, vel ante vel poſt vomitum. Hæc methodus, non eſt ita ab uſu aliena, ut quibuſdam videri poſſet, præcipue in pleuritide catarrhali, quæ frequens

Gale. lib. de cur. ratio. per venæ ſectionem.

Primis diebus venæ ſectio inſtituenda in brachio lateris affecti.

A venæ ſectione abſtinendum ana catharſi recte procedente. Lib. 2.

In praxi Chimiatrica.

Vomitus conducit in pleuritide catarrhali.

quens eſt in regionibus frigidis, & humidis; vellem tamen ut ante vomitorium, ſemper præcederet venæ ſectio, ad tollendam ſanguinis plenitudinem, ne vomitus concuſſione, vas aliquod rumperetur: Hæc curandi ratio, confirmatur ab Hippocrate apho. 18. ſect. 4. dum inquit. Supra ſeptum tranſverſum dolores quicumque egent purgatione, per ſuperiora purgandum eſſe ſignificant; quæ vero infra, per inferiora. Ego quidem, niſi eſſet tanta vomitoriorum reformidatio, & ab ipſis calumnia, cum res, etiam alia de cauſa, male cedunt, libenter uterer; Conſulo ſaltem, ut cap. præcedenti in fluxionibus pulmonum monui, quod ſi aliqua pleuritis populariter graſſaretur in vulgus, multos auferens, ut modum iſtum curandi per vomitoria experiretur; in caſu enim præcipiti omnia fiunt, quæ alias, ut ait Celſus, eſſent omittenda. In pleuritide quæ non fit à catarrho, ſed tantum à ſanguine à venis intercoſtalibus, aut azygo effuſo, quæ ut plurimum inflammatio phlegmonodes eſt, aut eryſipelatodes, non ita facile concederem præbenda vomitoria, cum Hippocrates, & Galenus, id non probent; ait enim ille lib. de Elleb. Iſte vero lib. 1. de criſ. Quicumque inflammationes in principio morborum, ſtatim ſolvere putant, nihil adimunt; neque enim cedit adhuc cruda paſſio, quæ vero morbo reſiſtunt, & ſana ſunt, colliqueſcere faciunt; quod de purgatione tantum intelligi poteſt, non autem de venæ ſectione, quæ ab omnibus probatur in principio, niſi ab aimatophobo Helmontio; ſed diſrumpatur licet, hoc nunquam aſſequetur, ut in pleuritide, & aliis quamplurimis affectibus Medicos avertat à venæ fectione, in qua fluente ſanguine, vidi ſæpiſſime ægrotos aſſerentes, levari ſe à dolore punctorio. Ego quidem degens Pariſiis, cum hyberno tempore capillos cædendos curaſſem, ex capitis refrigeratione factus eſt mihi de nocte, circa ultimam coſtam lateris ſiniſtri, humorum defluxus, cum febre valida, & dolore punctorio reſpirationem impediente, quo præcipue expergefactus, ſtatim Chirurgum accerſiri juſſi, venamque baſilicam ejuſdem lateris aperiri, ad uncias novem; Ita tempori facta eſt venæ ſectio congruenter, ut mane febris omnino dimitteret, fereque omnis dolor; quamobrem ſurrexi per urbem obambulaturus. Poſt

Helmontii opinio de non inſtituenda venæ ſectione in pleuritide inpugnatur.

has ab experientia factas probationes, quæ quotidie accidunt, interdicant in morbis Helmontius, & ejus ſequaces venæ ſectionem, ipſeque in ſua Pleura furente, dicat quantum voluerit, ex ſanatione pleuritidis per venæ ſectionem, frequentem eſſe tabem, aut recidivam anniverſariam; hoc quidem ex corporis diatheſi accidere poteſt, illud vero in hac regione eveniſſe nunquam vidi: Sed cum in ſua Pleura furente, dicat ſua remedia, quæ neminem in pleuritide, & peripneumonia derelinquunt, eſſe, pulverem de virga tauri, aut cervi, vel ſanguinem hirci, vel ſuccum cichorei ſylveſtris, flores papaveris ſylveſtris, & plura talia, de quibus fortaſſe in Pharmacopolio pag. in meo codice, 367. num. 5. in fine, ubi meminit dentis apri, ſucci herbæ bellidis, & fimi equini; potiſſimum vero laudat ſanguinem hirci, cujus præparationem deſcribit pag. 179. num. 75. In ſextup. digeſt. aitque pondere ʒj. ſumptum confeſtim ſopire, & ſanare pleuritidem, &c. id eſt, ut opinor, peripneumoniam. nec te, ait, deſeret unquam. Cum igitur hæc affirmet, his utendum, præcipue ſanguine hirci; hoc autem ſtatim à principio, non ſpretis venæ ſectionibus, præſertim ſi adſit plethora: Sicut & alia ſpecifica, quorum unum eligendum, de his quæ ſunt in promptu, ut ſyrupus papaveris rubri, datus ad ℥ß. mane, & ſero, eſt etiam decoctum ſcabioſæ, & pimpinellæ, ad ℥iij. cum ſerapii de papavere rubro ℥j. & ʒj. magiſterii dentis apri, quod fit cum aqua cardui benedicti, aut papaveris rubri, ut de magiſterio cranii humani dictum eſt, cap. de epilepſia. Laudatur quoque in eundem finem ab Hartmanno hæc tragæa, quam ita deſcribit.

Pag. 322. num. 32.

Helmontii medicamenta antipleuritica.

Specifica antipleuritica.

℞. Salis prun. flor. papav. rub. coralli rub. ana ʒij. ſaccha. viol. ℥ß. doſis ʒij. cum aqua card. bened. aut papav. rub.

Quod ſi ex his compoſitum velis.

℞. Cap. vener. tuſſilag. ſcabio. pimp. ana m. ß. ſem. frigid. ana ʒj. flor. papav. rub. pij. fiat ex his decoct. Acc. q. ſ. ſerap. rhœad. ℥j. magiſt. dentis apri ʒß. aut tragææ Hartm. ʒij.

Pro bechico, utuntur omnes practici ſyrupo papaveris rubri primis diebus, propter ſignaturam inflammationis; poſtea ſecundum ſputorum naturam, ſyrupo de glycyrrhiſa, qui tenuat, & pectus roborat, aut ſyrupo capilli veneris, cum quo proceden-

dente morbo aliquid de ſyrupo ex hyſſopo, aut praſſio confecto immiſcetur, aut cum iſtis ſyrupis, & pulvere diaireos fit eclegma in hunc modum.

℞. Pulv. diaire. ſimpl. ℥ß. pulv. diatraga. frig. ʒij. ſaccha. can. & penid. ana ℥iij. & interdum flor. ſulp. ʒij. cum ſyrupo cap. vener. fiat eclegma Interea ut dictum eſt fiunt fotus, in materia calida, ex malva, viola, althea, ſemine lini, & fœnugreci cum floribus chamæmeli & meliloti; deinde fit inunctio ex oleo amygdalarum dulcium, aut adipe caponis recenti: In materia non ita calida, additur fotui calamentum, origanum, ruta, & abſynthium, cum baccis lauri, & juniperi; deinde lana ſuccida imbuta unguento dialthea calente, ſupra partem dolentem, imponitur quod melius eſt ejus illinitatione, præcipue hieme. Quidam utuntur cataplaſmate ſequenti.

Cataplaſma ad dolorem pleuriticum.

℞. Fæcis liquidioris vini q. v. cum farina tenui frumenti fiat ad ignem cataplaſma, calide ſupra partem dolentem applicandum.

Alii hoc maxime laudant.

℞. Album porri, aſſetur parumper in ſartagine cum oleo, deinde ſupra linteum impoſitum calide applicetur.

Hoc emplaſtrum plurimum prædicatur, etiam in arthritide, & aliis doloribus.

℞. Olei com. ad nigredinem cocti ℔ß. litharg. ceruſſæ, reſinæ ana ℥iiij. ceræ ℥ij. terebenth. ℥iij. aquæ vitæ in fine additæ & extra ignem ℥ij. fiat emplaſtrum ſ. a. vide emplaſtrum valleriolæ, in ordine alphab. Dum hæc geruntur ratione doloris interdum neceſſaria videtur purgatio; ſi non ratione morbi, alterius interdum rei ſupervenientis; Quidam non citius 4. die illam fieri concedunt; ſed ratione morbi ſimpliciter, non conſulerem, propter rationes allatas cap. præcedenti; In principio enim morbi res eſt plena aleæ: Hollerius tamen ait in principio, purgationem interim ſufficere, nec perpetuo phlebotomia opus eſſe; quod placuerit Hippocrati, cum dolor ad hypochondrium inclinaret, pharmaco potius, quam phlebotomo uteremur; Tamen ſi grande malum eſt, etiam ſi ad hypochondria declinet dolor, tutius eſt auxilium phlebotomia Galeno. Ego quidem, cum ſim in ea ſententia, pleuritides

Quo die & quomodo in pleuritide purgandum.

omnes quæ ad hypochondria uſque propagantur, eſſe ut plurimum catarthales, fluxionibuſque in principio, venæ ſectionem maxime convenire; in hac, ſicut & in alia, conſulam à venæ ſectione ſemper eſſe incipiendum: Secundo autem die, ſi quis velit medicamentum purgans propinare, non exiſtimo aliam eſſe magis idoneam, ut humorum defluentium motus ſequatur, proprio impetu ad inteſtina quaſi properantium: At ſi eſſet in manu ſudorificum probatæ virtutis, potius utendum cenſerem, non ſolum ſecundo die, ſed tertio, quarto, & quinto. Tamen dum conſtat de primarum viarum putredine, in qua vermes ſubeſſe ſæpe animadvertuntur, ut ex pluribus hoſtibus unus tollatur, nemo levi medicamento purgante, ut res exigit, interdicet; de quo etiam cap. præcedenti.

Prognostica.

Si circa initia ſputum appareat, in pleuritide, eam fore brevem ſignificat, ex Hippo. aphor. 12. ſect. 1. Crudiſſimus morbus in quo nihil ſpuitur longo tempore.

Quibus pleuriticis in principio dolores molles ſunt, quinto vero, aut ſexto exacerbantur, ſeptimo periclitantur, & duodecimo; ſi vero 14. ſuperaverint, ſervantur. Hippo. in coac. 10. lib. 2. cap. xv.

Quibus pleuriticis in principio lingua bilioſa eſt, ſeptimo judicantur, quibus circa tertium, aut 4. hi circa 9. ibidem, coac. 5.

In pleuritide, bulla ſublivida facta in lingua in principio, oſtendit ſolutionem eſſe difficilem, & judicationem ad 14. pervenire, ſanguinem autem plerumque ſpuunt. Hippo. ibidem, coac. 6.

Quibus pleuriticis ſtrepitus ſputi multus eſt in pectore. & facies triſtis, & oculi colore auriginis infecti; hi pereunt. Hippo. ibidem, coac. 11.

Pleuriticis quibus in principio ſputa penitus purulenta ſunt, tertio die moriuntur, aut quinto: ſi vero hos effugerint, non multo melius habentes, 7. aut 9. aut 11. ſuppurari incipiunt. Hippo. ibidem, coac. 1.

Vide dureti explanat.

Si ad ſuppurationem tendit pleuritis, febris major fit, rigor accedet, & pro dolore pondus, ex Hippo. 2. prognoſt. cap. 10.

La-

Lateris dolor ex ſputis bilioſis, citra rationem ſi evanuerit, delirium ſignificat. Hipp. lib. 1. prædic.

Sputum flavum ſanguine permixtum non multo, ſi in principio appareat, valde juvat in pleuritide, ſicut affirmat Hippocrates de morbis pulmonum: & in coac.

Pleuritide, vel peripneumonia laboranti, diarrhœa superveniens, malum. Hippo aphor. 16. ſect. 6. non tamen ſemper.

Quicumque pleuritici facti, intra 14. dies per ſuperiora non repurgantur; iis in ſuppurationem tranſmutatur, Hippo. apho: 8. ſect. 5.

Pleuritis ex ictu, aut caſu, ad ſuppurationem devenit.

Qui ex pleuritide empyici fiunt, ſi intra 40. dies à quo eruptio facta eſt, ſuperne repurgentur, ſervantur; ſi vero non, in tabem tranſeunt. Hippo. apho. 15. ſectio. 5. & in coac.

Peſſimum antea probe ſpuiſſe, deinde ex toto deſiiſſe, gravitate, & dolore in pectore permanente.

Niſi pleuritis ſolvatur ſudoribus, vel hæmorrhagia è naribus vel ſputis, tranſit in peripneumoniam intra 7. dies, aut in abſceſſum, aut in empyema poſt 14.

Pulſus valde ſerratilis in pleuritide, cum imbecilla facultate conjunctus, periculum præſens minatur: Cum firma autem, aut tarde coquetur, aut ad ſuppurationem deflectet, aut tabidus eam excipiet marcor, Gale. lib. 4. de cau. pulſu.

Nunquam fit in pleuritide, & peripneumonia, ut caput non afficiatur, quod humorum excipiat in illis inflammationibus putreſcentium fuliginem. Gale. ibidem.

Si pulſus in pleuritide mutetur in majorem crebritatem, peripneumoniam, aut ſyncopen denuntiat Gal. ibidem.

Maximum indicium exitialis pleuritidis, ſi pulſus ſit magnopere durus, & ob id, ſimiliter parvus, & ob hæc, & calorem, creberrimus; pleuriticus enim cum tali pulſu, nullus eſt unquam ſervatus. Gale. lib. de præcogn. ex pul.

Serratilis illa inæqualitas, quæ pleuriticis maxime eſt propria, remittit, ſi pleuritis ſit mollis, & coctu facilis; intenditur autem, ſi ea ſit exitialis, indicatque eam eſſe coctu difficilem. Gale. in introduc. in pulſus.

Vide reliqua Hippocratis prognoſtica in coacis, cum Dureti explanationibus. *Enar-*

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Juvenis vera & notha pleuritide laborans, ſanatus.

Nobilis quidam juvenis, in omnibus indulgens genio, diſcedens domo patris ad hiberna cohortis ſuæ, peracto unius diei itinere, incidit in febrem continuam acutiſſimam, cum diarrhœa, atroci dolore punctorio in latere, juxta mammam ſiniſtram, tuſſi, & ſpirandi difficultate non exigua. Vicinioris loci Medicus accerſitus, venæ ſectionibus curationem eſt aggreſſus, habita quadam ratione diarrhœæ. Cumque tertio die ingraveſcerent ſymptomata omnia, petiit Medicum auxiliarem, ægrotanti non parum timens: Rogatus à patre ut filium ægrotantem eo comitante inviſerem, eum graviter affectum inveni primo aſpectu, ex dolore punctorio, febre acuta, cum pulſu valido, frequenti, & duro cum celeritate, pleuritidem eſſe ratus; paulo poſt tamen, iterum pulſum explorans, mollem inveni, quod me à prima ſententia diſcedere cogebat: nulla exiſtente pleuritide cum pulſu molli; multa quoque ſputa, cum tantum dies eſſet tertius, & prægrandia, frequenter educebantur, & cocta ſatis, quod nulli pleuritidi incipienti proprium eſt: tunc enim parum aut nihil ſpuitur, niſi fluxionem in pulmonibus antea factam, comitem habeat: Quod autem me magis angebat, pulſus erat illa mutatio, modo in duritiem, alias in mollitiem. Interea omnia fiebant quæ ægrotanti conducibilia videbantur, de quibus antea in curatione. Quarto die, etiam ſi diarrhœa permaneret, non cogitavimus de purgatione, nondum bene mihi perſpecta uniuſcujuſque ſymptomatis cauſa proxima, & hoc ſane optime: circa enim veſperam, ipſo 4. inclinante, cum febris eſſet ſemper valida, deprehenſa eſt à Medico ordinario, quædam naſi, & extremorum frigiditas, cum pulſus inæqualitate, quemadmodum ſolet accidere in principio paroxyſmi febris intermittentis: Perterritus, fratri ægrotantis præſens nuntiat periculum, qui me ſtatim ad eum accedere rogat, omnia exploraturum, remque uti renuntiatum erat, ita ſi habere comperiens, timui ægrotanti, aſtantium tamen animos ad ſpem erigens, eo quod vires conſtarent, ægrotus

tus bene ſe haberet ad ea quæ offerebantur, bene ad decubitum, bene ad loquelam, juvenis eſſet, nec ſe in deteriori ſtatu poſitum agnoſceret: affirmavi, cum plures in eo eſſent diſpoſitiones morbificæ, quamlibet ſuo tempore proprium motum exercere modo quæ à pleuritide erant, modo quæ à fluxione in pulmones; laborabat enim ante morbum, communi rheumate ſine febre; Hanc itaque extremorum, & naſi frigiditatem, eſſe à motu bilioſorum excrementorum, fluxum ventris foventium aſſerui, brevique tranſituram, quod ita contigit; exigui enim temporis ſpacio, febris, & calor invaluere, quæ ſudorem criticum die quinto attulerunt, quo à dolore punctorio omnino liber factus eſt æger, manente tamen febri valida ut antea, verum non ita moleſta, cum tuſſi, ſputis, & fluxu ventris. Poſtero die, ſexto ſcilicet, decreta eſt purgatio ad fluxum poſt 7. erandicandum; ceteraque Medico ordinario adminiſtranda relinquens, cum ægrotus meliuſcule haberet, diſceſſi, ſanatuſque eſt adoleſcens: In quo non eſt miranda ſymptomatum varietas, cum in eo variæ eſſent diſpoſitiones morbificæ, quarum præcipuæ, pleuritis, ſcilicet, & fluxio in pulmones, viciſſim pulſum in conſenſum trahebant, at vacuata ſudoribus ſ. die illius materia, hæc permanſit anacatharſi ſananda, nec amplius pulſus factus eſt durus, molli parte in poſterum tantum laborante: Tunc agnovi qua de cauſa, ante ſ. diem, pulſus mihi ſæpiſſime exploranti, modo durus, alias mollis apparuiſſet: Quod enim ad me, ingenue fateor, ſerratilitatem illam pleuritidi, ut ait Galenus, maxime propriam, nunquam deprehendere potuiſſe, quemadmodum magni quidam viri fatentur de Syſtole; hanc tamen in pulſu magno, modo non ſit celer, manifeſte adverti pluries: Cum autem ut ſerratilitas animadvertatur, plures digiti ſint imponendi, eorumque intermedia non eo modo tangant arteriam, quemadmodum partis carnoſæ medium, in ſummis digitis poſitum, videtur arteria in modum ſerræ digitos attingere, quod potius ſe tenet ex parte tangentis quam ex parte arteriæ pulſantis; ut videbitur, ſi quis vel tantillum digitos retrahat ſupra, aut infra, ab eo loco in quo arteriam explorabat; quod enim erat tanquam ſerræ acumen in arteria, mutabitur in partem vacuam, quia tunc eſt è regione intermedii di-

gitorum, quod arteriam non bene attingere poteſt, ut partes carnoſæ in ſummis digitis poſitæ: Ideo ſerratilitatem parvi pendi, tanquam fictitiam, contentus duritie, quæ ſufficit ad pleuritidem dignoſcendam: De quibus etiam ſupra.

OBSERVATIO II.

Ruſticus a Chirurgo habitus pro pleuritico, purgante medicamento poſt ejectionem 40. vermium ſanatus.

Rogatus à quodam Chirurgo, ut ruſticum inviſerem pleuritide ut ipſe putabat laborantem: Accedens ad ægrotum, ſtatim affirmavi ex pulſu, morbum non eſſe pleuritidem, inſpectoque partis dolentis ſitu, viſus eſt mihi potius infra, quam ſupra ſeptum tranſverſum poſitus, pulſuique multum credens, qui durus non erat, aſſerui per jocum, tales pleuritides medicamento purgante ſanari, pignoreque certare volebam, aut vermes ſubeſſe, aut ſaltem corruptorum humorum, non parvam copiam, ſumptoque poſtera die purgante medicamento, 40. vermes ejecit, & ſanatus eſt.

OBSERVATIO III.

Mulier itidem credita laborare pleuritide, Catartico medicamento curata.

In hac urbe ſimiliter rogatus ſum per Pharmacopœum, ut mulierem procuratoris uxorem inviſerem, pleuritide, ut credebatur, laborantem, multæ à Chirurgo, imperante tanquam Medico, ut mos eſt, Pharmacopœo, adminiſtratæ fuerant venæ ſectiones, quibus dolor non cedebat; quippe fallebantur in cognitione morbi, quod ex pulſu, qui durus non erat, ſtatim agnovi, ſtagnantes enim erant humores corrupti in inteſtinis juxta diaphragma, quibus poſtera die medicamento purgante dejectis, ſanata eſt à pleuritide putata, Pharmacopœo, & Chirurgo ſtupentibus; Quod mihi multoties contigit, etiam cum res mihi eſſet cum Medicis, ſuperficie tenus, morborum ſigna perpendere ſolitis; qui ex ſimplici dolore, ex relatione ægrotantis, punctorio, male ex ſitu, & nulla ex pulſu habita ratione, ſtatim affectum pleuritidem prædicant.

OBSERVATIO IV.

Vir vera pleuritide extinctus.

Profectus peregre ut virum pleuritide, ut dicebant, laborantem inviſerem, inveni eum cum febre acuta, dolore punctorio, tuſſi, & ſpirandi difficultate: Ex pulſu videbatur pulmo affectus, ſputa erant ſanguinolenta in principio, quod non ſo-

ſolum in morbis pulmonum bonum eſt, ſed etiam in pleuritide, quia dominium ſanguinis oſtendit qui inter humores benignior habetur: Per quas autem vias in pleuritide ſanguis ille ad aſperam arteriam perveniat, & inde tuſſi rejiciatur, non aſſentit Sennertus, & merito, doctrinæ Galeni, qui lib. 5. de loc. affect. cap. 3. vult illum tranſſudare ex pleura, in cavum pectoris, deinde ejus compreſſione, à pulmonibus exſugi, tuſſique rejici per aſperam arteriam: Sed quomodo ſanguis purus, in principio pleuritidis rejiciatur, nec mora per longam illam viam, nigreſcat, ego quidem ſicut & Sennertus non video; neque quomodo tanta copia materiæ, per ſputa rejici poſſit in pleuritide, niſi ſimul pulmones afficiantur, ut accidit in ægroto primæ Enarrationis. Sed ut ad ægrotum de quo nunc agimus redeamus, exiſtimabam ego illum à morbo evaſurum, ſecundum id quod diximus ex Hippocrate, & explanante Galeno, cap. 9. lib. 2. progn. At ille mortuus eſt, non propter humoris qualitatem, ſed, ut opinor, quantitatem, ex nova fluxione irruente. Vult itaque Sennertus ſanguinem illum, qui in principio pleuritidis rejicitur, ex vaſis quæ aſperæ arteriæ, & partibus quæ pulmonum ſupra lateri annectunt, afferunt nutrimentum, hiantibus, ob copiam ſanguinis in pleuram ruentis, duci.

Quæſt. 3. cap. 16. de pleur.

Vide cap. 5. hac de re.

De Phthiſi.

CAPUT. IV.

Omnibus eſt in confeſſo, Medicos affectum illum, quo quis ſenſim contabeſcit cum febre ab ulcere pulmonis recepto jam nomine, phthiſim proprie nominare, communiter vero quamcumque corporis conſumptionem, à verbo (*phtheo*,) aut (*phthino*) quod eſt deficio, conſumor, contabeſco, unde phthiſis, conſumptio, tabes, deficientia, præcipue ab ulcere pulmonis; cujus ita acceptæ, duæ ſunt ſpecies. Prima & maxime proprie ſumpta, ab ulcere pulmonis principium habet: Altera à diutina cerebri fluxione quam nulla exhaurire, nec avertere potuerunt auxilia, ſine ſputo ſanguinis, & ulcere, niſi in-

Quid ſit phthiſis?

Cujus duæ ſunt ſpecies, prima ab ulcere pulmonum, altera a fluxione diutina.

interdum ſub fine. In prima pulmo ſtatim aliquando corrumpitur, nulla præcedente acri fluxione, ſed proprio ſubſtantiæ vitio, quæ ævum non patitur, niſi exiguæ durationis; ut accidit in arboribus intempeſtiva luna cæſis, quæ aliis multo citius carie vitiantur; ſic pulmo, qui ex corruptibili materia originem habuit, nullam aliam ſuæ corruptionis habet cauſam; licet ex acri fluxione facilius ulceretur, quia ejus ſubſtantia diutius reſiſtere non valet. Aliquando tamen humoris tanta eſt acrimonia, ut nullus ſit pulmo qui ulcerationem effugiat, ſive talis à cerebro, ſive à vicinis partibus influxerit, ſive mora in ipſis pulmonibus talis, ut ſæpe fit, evaſerit. Ut plurimum à ſanguinis ſputo malum incipit, quod tuſſicula aliquandiu perſeverans, aut raucedo præceſſit; unde aphoriſmus: A ſanguinis ſputo, puris ſputum, malum. Non tamen præcedit ſemper ulcus, ſanguinis ſputum, ſed ipſum ſæpe ſequitur, niſi ex magna ſanguinis abundantia vena rumpatur. Fit etiam ulcus rupto abſceſſu ex peripneumonia; hiſque omnibus modis gignitur ulcus pulmonis à cauſis internis, quæ ſi valeant, à decimo octavo, ad trigeſimum quintum annum manifeſtatur, juxta aphor. 9. ſectio. 5. Quia ultra hanc ætatem deponunt humores de acrimonia, & caliditate, ex eoque etiam oſtenditur, pulmonis ſubſtantiam conſtantem eſſe, quæ fluxionibus etiam acribus reſiſtit; ultra autem hæc duo, non extenditur aphoriſmus. At vero à cauſis externis, ictu, caſu, vociferatione, magni oneris levatione, curſu, aëris interdum calidioris, aut frigidioris inſpiratione, ſicut & contagio per longos dies, poteſt in omni ætate, ulcus pulmonis accidere. Secunda ſpecies magis obſcure progreditur, iis præcipue qui firmis ſunt pulmonibus, quibus, & aliis, tardius aut citius fit ulcus, ſecundum pulmonis diſpoſitionem, & qualitatum humoris recepti intenſionem. In principio animadvertitur ex tuſſi, fluxio quædam à capite, quæ pro levi affectu accipitur, tamen pertinax, non cedit remediis, à fonte ſcilicet ſuppeditata perpetuo materia, quæ tuſſiendo poſt ſomnum præcipue expellitur: Cum igitur non dentur induciæ, motu perpetuæ tuſſis, excreandæ materiæ quotidie delabentis neceſſario, ſenſim tandem incaleſcunt pulmones, febriſque accenditur: Aut humores delapſi, ut quidam

Apho. 15. ſectio. 7.

Cauſæ externæ, a quibus ulcus oritur Pulmonis.

dam volunt, præter naturam accenſi, æſtum & febrem inferunt, peripneumoniæ nothæ quid ſimile, quibus ſenſim conficitur æger ſine ulcere, & ſanguinis ſputo. Febris hæc, temporis progreſſu tranſit in hecticam, ut plurimum conjunctam putridæ, habentem quotidie ſub verſperam exacerbationem, in qua tangens ægrotantem, manus mihi aduri videbatur, conſumptis ſub finem benignioribus humiditatibus; quo tempore ſputa ita cocta apparent, ut verum pus diceres: In iis tamen quibus ſub finem morbi pulmo ulceratur, materia ſputorum ardore facta acriori, hæc ſputa miſcentur cum pure, ex una parte coctum illud excrementum, ex altera pus verum referentia; quendoque autem viciſſim ejiciuntur, quod agnoſcitur ex ſtylo ligneo, cui pus verum non hæret per medium ducto, quemadmodum illa ſputa, quæ etiam aquæ ſupernatant, pus vero fundum petit. Hæc ſpecies, fere ſemper cauſam habet externam, ex his quæ caput debilitant, de quibus fuſius cap. de fluxionibus, accedente pectoris imbecillitate, qua fluxiones in ſe facile recipit. Huic ſpeciei, quamvis non ita periculoſæ ut altera, in qua pulmo eſt ulceratus; mature tamen ſuccurrendum, inveteraſcens enim certam invehit tabem: In altera, facto ulcere, conclamatum eſt de ſalute; ideo impediendum ne fiat, debito præcipue vivendi regimine, in omnibus rebus quæ non naturales vocantur, inter quæ lactis uſus maxime prædicatur, & ejus loco, ſi aliquid obſtet, ſorbitiones ex hordeo factæ cum ptiſana, in qua pulmonaria incoxerit: Si enim quidquid defluit, aut in pulmonibus exiſtit, corrodentis ſit qualitatis expers, nunquam ulcerabitur pulmo, niſi ex prima conformatione, factus ſit ex materia valde corruptibili, quæ ſi nulla etiam præexiſtat fluxio, ad certum tempus eſt tantum duratura, quod eſt inevitabile fatum. Cum autem à ſanguinis ſputo, puris ſputum ſequatur, quod ulcus jam factum oſtendit, omnibus modis impediendum, & omnibus auxiliis ſanguis cohibendus, ut dicetur cap. ſequenti. Quantum ad ulcus ſanandum, uterer terebenthina cum pulvere radicis conſolidæ majoris, & pulvere pulmonis vulpis, aut alterius animalis; vel hianti ore, fumum exciperem potionis vulnerariæ, eaque bis in die uterer in potu, quæ ſi non valeant, ut fere fit, vale dicendum. Cetera exponentur in Enarrationibus ægrotorum.

Fluxio temporis progreſſu tranſit in hecticam.

Lactis uſus, utiliſſimus, ad Phthiſim præcavendam.

Pro-

PROGNOSTICA.

Tabes his ætatibus fit maxime, à decimo octavo ad trigeſimum quintum. Hipp. aphor. 9. ſectio. 9.

Autumnus tabidis malus. Hipp. apho. 10. ſact. 3.

Tabe laborantibus, ſi ſputum quod extuſſiunt, carbonibus injectum male olet, & capilli de capite defluunt, lethale. Hippo. 11. ſect. 5.

Quibus tabidis capilli de capite defluunt; iis fluxus ventris ſuperveniens, moriuntur. Hipp. apho. 12. ſect. 5.

Si tabem habenti profluvium alvi ſuperveniat, lethale. Hippo. apho. 14. ſect. 5.

Ex his minime ſuperſtites manent virgines, & mulieres, quibus ex ſuppreſſis menſibus tabes oborta eſt. Hipp. lib. 2. prædict.

Ulcera pulmonum raro, aut nunquam ſanantur.

A ſanguinis ſputo, ſi puris ſputum ſequatur, ulceratus eſt pulmo, & tabes ſequitur.

Curato ſanguinis ſputo non fidendum; levi enim de cauſa iterum ſpuitur.

Mulieres facilius tabe corripiuntur, quam viri.

Tuſſis cum febre pertinax, non cedens remediis, tabem affert; etiam ſi non ſpuatur ſanguis.

Tabes à parentibus, altera periculoſior.

Qui ſcapulis ſunt prominentibus alati dicti, magis ſunt ad tabem propenſi, quia fluxio à capite, recta fertur in pulmones.

Phtiſis mariti facile communicatur uxori; non autem, illa uxoris, ita facile marito communicatur, quia uxores ſunt magis aſſiduæ juxta maritos, rebus adminiſtrandis.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Phthiſis incipiens in juvene 25. annorum curata.

Nobilis quidam juvenis 25. annorum venationi deditus, cujus uxor paucos ante annos, tabe ab ulcere pulmonis perierat; cepit & ipſe hoc affectu laborare, poſt ſanguinis rejectionem non parvam, à quibuſdam menſibus, quæ venæ ſectione curata fuerat,

rat, nullo ſubſequente puris ſputo. Accerſitus opem laturus, inveni ægrotantem cum tuſſi, febri & macie, facieique pallore, lecto tamen non addictum: Statim cogitavi eſſe mihi utendum aliquo remedio, quod & pulmones roboraret, ne fluxionem exciperent; & humores ad interiora fluentes, ad ſuperficiem propelleret, ad quod præſtandum, nihil magis conducibile inveni decocto radicis chinæ, cum foliis pulmonariæ. Primo igitur imperato vitæ regimine, ut ab omnibus acribus, & ſalſis, vino, venatione, ira, clamoribus, venere abſtineret, & curas fugeret, ceteraque quæ in affectum imperantur obſervaret, præſcripſi ante uſum ptiſanæ, medicametum purgans, cujus talis eſt deſcriptio.

℞. Rad. conſoli.. major. ℥ß. folior. pulmon. tuſſilag. cap. vene. betoni ana mß. ſem. frigid. ana ʒj. hordei ℥ß. fiat ex his decoct. Acc. q. ſ. infun. folio. ſen. mund ʒiij. ani. ʒß. agar. ʒj. in nodulo poſitam, & ſæpius expreſſam. omnium facta. colat. & expreſſ. diſſol. mannæ calabr. ℥j. fiat potio, 8. die repetenda, ſi vires ferant; Advertendum enim, ne multa ſit evacuatio, propter virium languorem in hoc affectu, qua multi antea obambulantes, lecto affiguntur per totum morbi decurſum, quouſque moriantur; melius igitur purgantibus, infra ſubſiſtere, quam ultra progredi virium jactura.

Poſt primam purgationem, ſanguinem hauriendum juſſi è cephalica dextra, cum conſilio, ut ſi putridus eſſet, paucis poſt diebus ex altero brachio, eadem quantitate ℥vj. extraheretur. Interea uteretur bocheto ſupradicto in hunc modum compoſito.

℞. Chinæ in taleolas inciſæ ℥ij. folior. pulmon. mj. Infun. chinam per noctem ſupra cineres calidos in aquæ fontis ℔vj. mane injice pulmon. fiatque decoctio lenta ebullitione, ad tertiæ part. conſump. colatura ſacchari ℥ij. & cinamo. ʒij. aromat. ſi placeat ægrotanti utatur pro potu ordinario.

Pro bechico, juſſi conficiendum ſyrupum de pulmonaria, ejuſque folia, in juſculis decoquenda, non ſunt enim guſtui ingrata: Hacque curandi methodo, intra dies octo cepit meliuſcule habere, quod optimum ſignum eſſe ſolet: Si enim intra 15. dies, decoctum iſtud non proficiat, ſalus deſperanda;

cum-

cumque lactis utendi non eſſet tempus commodum, ejus loco hordeata præſcripſimus; Deinde lac aſininum ſumens menſe Maio, perfecte ſanatus eſt, nec opus fuit auxiliis quæ ad evertendas fluxiones extrinſecus præſcribuntur, de quibus cap. de fluxionibus.

OBSERVATIO II.

Vir 30. annorum ab incipiente Phthiſi curatus.

Eadem prorſus methodo nobilem virum 30. annorum curavimus in hunc affectum à cauſis procatarticis deductum. Uſu bocheti prædicti, purgato corpore, & ex utroque brachio ſecta vena, febris deſiit octo dierum ſpacio, parum, aut minime tuſſienti, nec lactis uſu opus fuit; Quia autem ſtipendia merens ejus caput refrigeratum erat, roborantia juſſi capiti admovenda, ne frigiditate male coquendo, fieret excrementorum proventus, deinde fluxiones.

OBSERVATIO III.

Dux belli tertio hoc affectu laborans ſanatus.

Ducem levioris equitatus, belli incommodis hoc affectu, tertio ſed gravius laborantem ſanavimus. Huic omnia adhibita ſunt remedia, quæ in hunc affectum, ſumptis, & admotis, ſolent præſcribi; Primo ptiſanæ ſupradictæ, ſeu bocheti uſus; repetitæ fuerunt decimo quoque die purgationes; iteratæ, in parva tamen quantitate, venæ ſectiones, quia ſanguis valde putridus erat; fonticulus brachio adhibitus eſt, veſicatorium etiam perpetuum geſtandum conſuluimus, juxta vertebram colli ſeptimam, quod rerum uſus maxime probat, ut cap. de fluxionibus attigimus; quidam autem, propter intolerabilem urinæ ardorem ferre non poſſunt, alii vero ne vel minimum afficiuntur. Sorbitiones ex hordeo non defuerunt, & tandem lactis uſus, non prætermiſſis extrinſecus caput roborantibus de quibus cap. de Epilepſia, & cap. de Artritide. Uſus eſt etiam pro bechico ſyrupo pulmonariæ, & ejus foliis in juſculo.

OBSERVATIO IV.

Aliquis poſt raucedinem in Phthiſim incidens, ea periit.

Quidam ſervus Pharmacopœi, derepente correptus eſt raucedine, quam ipſe in principio, & alii ſpernebant; perſeverante tamen raucedine prædixi periculum, licet tuſſis tunc

non

non adeſſet. Ut ſibi melius provideretur diſceſſit in patriam, brevique mihi relatum eſt phthiſi periiſſe. Multas curatione ſupradicta, ab imminente phthiſi mulieres, & virgines liberavimus, nec ſecuriorem methodem in hunc affectum inveni: Semper intra dies octo prodeſſe animadvertitur, quibus ſpes eſt aliqua recuperandæ valetudinis; cum ſcilicet morbus nondum egit radices: Itaque cum ſimplex eſt fluxio, quæ in pulmones impingitur, catarrhi proprie dicti nomine aſſumpto, cum ea quæ fertur in palatum, & fauces, mature ſuccurrendum, præcipue ſi humor fluens ſit tabificus, & acris; omni enim arte, ut jam dictum eſt, temperandus, & vacuandus, avertendus quoque venæ ſectionibus, cucurbitulis, ſetonibus, veſicatoriis, levibus errhinis, quæ ſternutamenta non moveant, præire enim, & ſubſequi ſternutamenta, in morbis pulmonum, malum eſt ex Hippocrate; Suſpendere autem catarrhum, ridiculum eſt cogitare, cum non poſſit, nec debeat manere in parte unde fluit, quæ quotidie gignit excrementa, quæ retinere eſt impoſſibile, niſi ad quoddam tempus ſumpto laudano, neque emplaſtra quæ capiti raſo imponuntur, & alia quæ in eumdem finem adhibentur, id præſtare poſſunt; ſatis eſt ſi cerebrum roborent, ut melius coquat, & minorem excrementorum proventum cumulet in poſterum. Pilulæ ſublingues, & opiatæ ex conſerva roſarum, gummi arabico, bolo armena, & terra ſigillata, cum quibuſdam bechicis admixta, id minus efficiunt, leniunt tantum, & aſtringentium viribus, partes gutturis circa laryngem conſtringendo, humoris aditum ad pulmones non ita facilem reddere poſſunt, ſed hoc non magni eſt momenti, ut conſtat experientia, in pertinacibus pulmonis fluxionibus. Univerſalibus igitur præmiſſis, ſtamus in potioribus, caput ſcilicet roborantibus, & ſudorificis; aliis jam enumeratis, non neglectis.

Lib. 2. prædict. cap. IX.

Z *De*

De Sanguinis ſputo.

CAPUT V.

Sputum ſanguinis a variis corporis partibus oritur.

CUm à ſanguinis ſputo, ſi puris ſputum ſubſequatur, fiat phtihſis, parumper de eo hoc capite differendum, ut ejus cauſæ devitentur & recta curandi methodus, cum accidit inſtituatur: Sed quia ſanguis dum per os rejicitur, non tantum à pulmonibus, verum & ab quamplurimis aliis partibus prodire doceamur; & omnis qui exit à pulmonibus non ſemper immediate ab ipſo ſed per illum tranſiens rejiciatur: Omnia ſigna, quibus agnoſcitur, quanam ex parte ſanguis primum exeat, ſunt perpendenda. Exit autem per os ſanguis, à partibus pectoris, à pulmone, à trachea arteria, ſtomacho, gutture, capite, & partibus ipſius oris: Hoc autem quatuor modis; vel enim ora vaſorum referantur, *anaſtomoſis* dictus; vel ſanguis tranſſudat per tunicas vaſorum *Diapedeſis* dictus; vel ipſa vaſa rumpuntur *Rexis* dictus; vel denique vaſa corroduntur, *Diabroſis* dictus. Anaſtomoſis fere ſemper cauſas habet internas, ſanguinis abundantiam, aut ejus qualitatem; cum ſcilicet nimia quantitas, aut calor, vel ejus acrimonia, naturam irritant ad excretionem; Externas vero quaſdam habet, ut quædam venena, ſive morſu, ſive alio modo in corpus irrepſerint: quædam etiam medicamenta, ut aloë, & ſimilia. Diapedeſis cauſa, ſanguinis eſt tenuitas, cui addi poteſt tunicarum vaſorum tenuitas. Rexis, ſeu ruptio, cauſas habet præcipue externas, ut caſus, percuſſio, clamores intenſi, curſus, ſaltus, tuſſis nimia, ira, conatus validiores; cauſam etiam internam poteſt habere aliquam Rexis, vaſorum ſcilicet diſtentionem à plenitudine, ſed hæc cauſa indiget ut plurimum aliqua externa, quæ ſanguinem augeat, vel commoveat, & ad pectus propellat, ut exercitationes violentæ, & animi motus vehementiores, præcipue ab ira. In ſumma, ruptionis venarum cauſa ex Galeno. 4. de loc. affec. cap. 8. humoris eſt motus vehemens, aut ejus abundantia. Quod autem eo loco ſcribit; frigus, venarum rupturas per ſe non facere, ſed quia tunicas venarum rigidas,

Et fit hoc quatuor modis.

Frigus per ſe non eſt cauſa rupturæ vaſorum.

&

& ad diſtentiones contumaces reddens, ut rumpantur paratiores efficit, non omnino mihi probatur: Licet enim in pulmone, hiberno tempore, aër frigidus attrahatur, non video tamen, quomodo frigus venas in parte corporis calidiſſima, venas rigidiores efficere poſſit: Exiſtimaverim potius, externis partibus à frigore coarctatis, ſanguinem ad interiora propelli, ſubitaque ibi facta repletione, vaſa nimia tenſione pati rupturam: Si quis tamen hæc duo concurrere velit, ſi de pulmone tantum agatur, non inficiar. Diabroſis, ſeu eroſio, fit ab humoribus acribus, & ſalſis à capite ut plurimum delapſis, vel ad pulmones aliunde delatis, ad quæ multum facit temperamentum partis, & totius, ciborumque acrium uſus. Ex his conſtat Rexim, & Diabroſin, phthiſis frequentiores eſſe cauſas. Sed ut hæc omnia dignoſcantur, uniuſcujuſque ſigna ſunt perſequenda. In anaſtomoſi nullus eſt dolor, niſi ſanguine bronchiis oppletis fiat diſtentio, & ſpirandi difficultas; ſuppreſſa eſt aliqua evacuatio, ſanguis in magna quantitate rejicitur, idque pro vaſis aperti magnitudine, natura levatur, quæ fit certis temporum intervallis: Advertendum tamen ne ſanguinis concreta portiuncula remanens in pulmone, ibique putreſcens ardorem concipiat, & ulceret. Ex diapedeſi, ſeu tranſſudatione, ſanguis paucus, ſeroſus, emittitur. Si à ruptione vaſa aperiantur, præceſſit cauſa aliqua rumpens ſupradicta, ſanguiſque paucus, aut multus rejicitur, pro vaſis ruptæ & rupturæ magnitudine, nec regitur excretio à natura, ut fit ſæpiſſime in anaſtomoſi. Cum autem ſanguis effunditur ab eroſione, præceſſit acrior aliqua deſtillatio à capite, quæ cauſa ulcerationis eſt frequentior, poteſt tamen aliquando, in pulmonibus aliquid erodens concipi, vel aliunde quam à capite deferri; ſanguis à principio paucus, aucto tamen ulcere, interdum copioſior, nullaque cauſa violenta ante dicta præceſſit. Quot modis ſanguis exeat à venis, & quibus ſignis unumquodque agnoſcatur deſcriptis, ſupereſt ut ea quæ partem, à qua ſanguis effluit oſtendunt perſequamur. Cum ſanguis ſimplici excreatione, ſine tuſſi ejicitur, à partibus gutturis educitur; Si ſimplici ſpuitione, à partibus oris, de quibus non multum laboramus, niſi præter modum fieret excretio; tunc enim cauſa extraordinaria

Unde Vaſorum eroſio.

Signa unde cognoſcitur, a qua parte corporis ſanguis ſpuendo rejicitur.

eſſet

eſſet inquirenda, ut ſanguiſuga potu devorata, aut aliquid aliud. Ab ore multus ſanguis effundi non poteſt, niſi aliquando ex dente avulſo, aut vulnere licet viderimus multum ſanguinis ab ore rejectum fuiſſe, ſimplici expuitione, ut videre eſt in ſecunda Enarratione hujus cap. Quæ magis occurrunt conſideranda, ſanguinis eſt à cerebro, à ſtomacho, à partibus pectoris, & ex ipſo pulmone rejectio, præcipue hoc ultimum, eo quod ex ea ſæpe ſequatur phthiſis. A cerebro deſcendente ſanguine, movetur interdum tuſſis, cum fertur in aſperam arteriam, non tanta tamen, nec ſemper, ut cum à pulmonibus rejicitur; nec ita rubicundus eſt ſanguis, nec ſpumans, licet exeat interdum à pulmonibus ſine ſpuma; per nares aliquando de eo aliquid excernitur, quod etiam cum vomitu fieri ſolet, aut cum à pulmone in magna quantitate rejicitur; præceſſit aut adeſt capitis gravitas, vel dolor, vel utrumque. A ventriculo ſanguis vomitione redditur, ad quem interdum confluit à toto, vel à jecore, vel à liene, in quorum regione tenſio, aut dolor, vel ambo percipiuntur, deſcendit etiam ſanguis à capite in ſtomachum, ſed nigrior, & in minori copia vomitu rejicitur. Cum ex partibus pectoris educitur ſanguis, majori conatu, & tuſſi educitur, quam à pulmonibus, nec ita floridus eſt, dolorque interdum in quadam pectoris parte, ubi ruptio facta eſt percipitur. Si ſanguis à pulmonibus rejiciatur; ſi paucus eſt cum multa tuſſi, valde ſpumans eſt, ſi multus, nihil, aut parum habet ſpumæ; Ex communi doctrina, valde rubet, ut ſanguis arterialis, quo nutritur pulmo: At ſi ſanguinis fiat circulatio, ut multi fatentur, hoc ſignum erit invalidum, cum ſanguis venarum, & arteriarum miſceantur; quocumque autem modo res ſe habeat, exit cum tuſſi, in minori, vel majore quantitate, pro modo, & natura vaſis aperti, rupti, vel eroſi. Ex hoc occurit quod ſcribit Sennertus de ſputo ſanguinis quod fit interdum in pleuritide, quem à pleura tranſſudare contra Galenum 5. de loc. affec. cap. 3. non credit, pulmonemque ſimul affici credibile eſſe ait, ubi ſputum magna copia in pleuritide rejicitur, cum tanta copia materiæ, qualis ſæpe à pleuriticis per tuſſim rejicitur, non poſſit per pleuram tranſſudare ut jam cap. 3. diximus.

Differentia inter ſanguinem, qui ex Pulmonibus, & qui e ſtomacho ejicitur.

Lib. 2. pract. part. 2. cap. 16. de pleuri. Quæſt. 3.

mus. Præcipue vero, inquit, non eſt conſentaneum, ſanguinem qui in principio pleuritidis purus plane rejicitur, per pleuram tranſſudaſſe in cavitatem thoracis, & à pulmonibus imbibitum fuiſſe, nullam tamen in iis alterationem, accepiſſe. Sed vero magis conſentaneum eſt, è vaſis quæ aſperæ arteriæ nutrimentum advehunt, quæque partes illas, quæ in parte ſuperiore pulmones lateri annectunt, nutriunt, hiantibus ob copiam ſanguinis in pleuram vicinam ruentis effundi. Hæc ille, qui videatur loco citato & quæſt. 2. ſicut & quæ diximus cap. 2. hujus lib. & Enarra. 1. cap. 3. de ſputorum abundantia, in principio morbi. Ego quidem exiſtimo Sennertum veritati conſentanea afferre, niſi quis dicat, inflatis pulmonibus aëris inſpiratione, eos pleuram contingere, eoque tempore ſanguinem ab ea exudantem ſugere; à pleura autem decidere ſupra diaphragma, deinde à pulmonibus attrahi, ut tuſſi per os rejiciatur, impoſſibile eſt, non enim exudat à pleura exangui, in tanta quantitate, nec ad os perveniret ita rubicundus. Sed de ſputo ſanguinolento pleuriticorum, ſat ſuperque dictum. Redeamus ad reliquas partes ex quibus ſanguis per os rejicitur, ut ſunt aſpera arteria, guttur, & partes oris. Ab aſpera arteria ſanguis parcior, quam à pulmonibus rejicitur, & leviori tuſſi, & interdum ſpecies eſt doloris urentis in parte, in qua ruptio, aut erroſio facta eſt. A gutture deſcendit in ſtomachum, & ſi laryngem attingat, movet tuſſim aliquatenus, dolorque etiam interdum percipitur in gutture. Ab ore, & gingivis, ſimplici ſalivæ emiſſione ſpuitur. His omnibus rite perpenſis, parte ſcilicet affecta, & quo modo afficitur cognita, ad curationem veniendum, accurata in primis, victus ratione inſtituta, quæ in univerſum conſiſtit in abſtinentia eorum, quæ ſanguinem commovent, acrem reddunt & calefaciunt; & uſu rerum frigidarum, & temperatarum, incraſſantium, & aſtringentium: Interea ſtatim præmittenda eſt venæ ſectio, ex latere ex quo ſanguis exire creditur, detrahenda quantum exigunt plethora, vires, ætas, & anni tempus; poſtea vero ad revellendum, ſæpe, & parum eſt detrahendem, v. g. ℥iiij. digitum vulneri imponendo per vices, ut major, in parva quantitate ſanguinis extracti, fiat revulſio. Vena etiam malleoli aperienda, ſi menſes,

Signa, quibus dignoſcitur ſanguinem ab aſpera arteria, gutture, aut ore rejici.

Diætæ maxima in hujus affectus curatione eſt habenda ratio.

ſes, vel hæmorrhoïdes ſint ſuppreſſæ, aut ut ſolebant, non fluxerint. Remedia per os ſumenda, præter multa quæ in ordine alphabetico deſcribuntur, tria hic proponemus. Primum eſt laudanum, quo utor in variis morbis, ſimplicibus quæ miſcentur cum opio, mutatis, pro natura morbi, & partis affectæ poſitione, quæ poſtulat, ut ajunt, ducentia ad partem affectam, cum in locis eſt remotioribus, ut pulmo, ad quem ut ab ore remedia, aut eorum virtus perveniat, longa interiacet via; Pro ventre enim, cum agitur de aliquo dolore laudanum poſtulante, tantum addo caſtorium, quod & doloribus colicis, & corrigendo opio eſt accommodatum. Pro ſomno ſimpliciter conciliando, crocum admiſceo; At pro pulmone, & ſputo ſanguinis, ſic componimus.

Bolus anodynus.

℞. Opii in tegula, aut alio inſtrumento exſiccati, gr. j. aut iß. & ad ſummum gr. ij. boli arm. maſti. terræ ſigil. croci, carab. ana gr. viij. irid. flor. gr. iiij. cum ſyrupo cydon. fiat morſulus, capiat hora ſomni, quem ſi optime conciliaverit, repetatur eadem doſi, intervallo unius, aut alterius diei interpoſito; ſin minus, poſtera die, doſim opii augendo.

Secundum, eſt potio adſtringens cum ſale prunellæ.

Hauſtus adſtringens.

℞. Aquæ plantag. ℥iiij. boli arm. lap. hæmat. & ſalis prun. ana ʒß. ſyrupi cydon. ℥j. fiat potio, mane, & ſero ſumenda.

Tertium, eſt decoctum vulnerarium, quod multis profuit ſanguinem ſpuentibus, cujus hæc eſt deſcriptio.

Decoctum vulnerarium

℞. Sanic. bugulæ, pimpi. pulmon. regi. prati ana mß. ſem. goſſi. ʒß. fiat ex his decoct. capiat mane & ſero ℥iiij. cum ʒß. pulv. cancror. fluviat. in furno exſicc. & pergat in uſu per aliquot dies; poteſt quælibet doſis, ſaccaro dulcorari ad libitum ſumentis. Juſſi his diebus elapſis cuidam ægrotanti, qui vaſculum ſanguinis è pulmonibus, poſt longam tuſſim rejecerat, ut hoc decocto, ſaccharo dulcorato uteretur pro potu ordinario, & ab eo tempore ſanguis reſtitit.

PROGNOSTICA.

A Sanguinis ſputo, puris ſputum, malum. Hippoc. apho. 15. ſect. 7.

Sanguinem quidem ſupra ferri, qualiſcumque ſit, malum. Hipp. apho. 25. ſect. 4.

Ju-

Juvenibus ſanguinis ſpuitiones. Hippo. aphor. 29. ſectio. 3.

Qui ſanguinem vomunt, ſine febre quidem ſalutare; Si vero cum febre, malum. Hippo. aphor. 37. ſect. 7.

Qui ſanguinem ſpumoſum extuſſiunt, his à pulmone eductio fit. Hipp. apho. 13. ſect. 5.

Mulieri ſanguinem evomenti, menſtruis erumpentibus, ſolutio fit. Hippo. aphor. 32. ſect. 5.

Sanguinis ſputum ex pulmone, ſi intra tres dies non curatur, ſuperveniente phlegmone, incurabilis redditur. Galen. lib. 5. metho. cap. 13. & 14.

Sanguis à pectore, minori cum periculo eſt, quam qui à pulmone rejicitur.

Ubi malum vetus eſt, medicinæ non eſt locus.

Sanguinis ſputum, ſi diu tenet, tranſit in tabem.

Ex vena rupta, magis impendet periculum de præſenti; ab eroſa, de futuro. Anaſtomoſis his minus periculoſa; Diapedeſis autem minime omnium.

Vena rupta ſi coaleſcat, iiſdem de cauſis iterum poteſt aperiri.

Recens ruptio difficulter ſanatur.

Sanguis ex ore, & gingivis profluens, eo qui ab aliis partibus rejicitur, minus periculoſus.

Qui à faucibus, interioribuſque partibus profluit; majoris eſt periculi.

Sanguis à capite defluens curationem non habet difficilem, niſi intus retentus putreſcat.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Mulier quædam per ſpatium ſex menſium, & amplius, maximo ſanguinis profluvio, per brevia intervalla ex utero laborans, multis, & multo tempore tentatis, videbatur ſanata, ſed adventante menſium tempore, & ipſis fluentibus, ſequebatur poſtea idem profluvium ægre cedens remediis, quod multoties accidit, mihi multum negotii faceſcens; Tandem Deo volente ſanavimus. Poſt aliquot menſes duplici tertiana *Mulier poſt uteri hæmorrhagiam in ſanguinis ſputum incidens, phthiſi extincta.*

cor-

correpta eſt, in cujus proceſſu, cepit multum ſanguinis ex ore rejicere, cum dolore capitis, & faciei rubore; ſanguine ſpumoſo non exiſtente, nec ita rubicundo, ut à pulmonibus exire creditur, à capite defluere pronuntiabam: Sed cum per parva intervalla recurreret ſymptoma, multumque ſanguinis rejiceretur, ex modo exeundi, licet ſine multa tuſſi, & ex virium jactura, ex pulmonibus ſanguinem efferri, haud dubie affirmavi, exiſtimans qui deorſum alias ferebatur ſanguis, ſurſum aſcendiſſe, unde pulmo tandem affectus dextra ſui parte, in quam decumbere nullo modo poterat ægrota: omnibus fruſtra tentatis, licet ſanguis reſtitiſſet phthiſi conſumpta eſt, maxima ſpirandi difficultate in fine morbi ſuffocata.

OBSERVATIO II.

Sanguinis ſputum doſi laudani ſanatum.

Vocatus in caſtellum cujuſdam nobiliſſimi viri, ut ſororem uxoris inviſerem, quæ à tribus diebus ſanguinis ptyaliſmo, laborabat: veniens, rei novitate ſtupui videns tria mantilia ſanguine conſpurcata, ſimplici ſpuitione, ſine tuſſi, & excreatione. Cum ſibi venam tundendam curaſſet, obambulans ſine febri; præſcripſi tres doſes laudani more noſtro confecti, de quo ſupra, & in præſenti.

℞. Boli arm. maſt. carab. ana ſcrup. j. croc. ſcrup. ß. opii gra. iij. cum ſyrupo cydon. fiant tres morſuli pro tribus doſibus ſumendis, qualibet in ingreſſu lecti; à quarum uſu ceſſavit ſanguinis ptyaliſmus.

OBSERVATIO III.

Phthiſis a ſputo ſanguinis.

Juvenis quidam ſputo ſanguinis derepente correptus, adhibuit omnia quæ ad hujus affectus curationem conferre videbantur; ſanato ſanguinis ſputo, ſibi & aliis ſanus videbatur, non revertente tamen amplius, ſanguinis ſputo, ſenſim tabe correptus eſt, & conſumptus: Quod multis aliis adveniſſe animadverti; ideo ſanato ſanguinis ſputo, non eſt fidendum, licet puris ſputum poſt longum tempus non appareat; Imo non apparente puris ſputo, ſed tantum puriformi, non minus propterea phthiſis ſubſequitur, ut cap. de phthiſi dictum eſt.

OB-

OBSERVATIO IV.

QUidam vir fluxionibus in pulmones obnoxius, tandem ſanguinem rejiciens, ab omnibus phthiſi conſumptum iri credebatur: Manſit in hoc ſtatu per quoſdam menſes, à quibus ab phthiſi quidem liber factus, fluxione tamen in pulmones perſeverante, puriformiaque ſpuens, ab ea fluxione poſt aliquot annos obiit. Plures hujus conditionis vidimus ægrotantes, quibus fluxio in pulmones, minabatur exitum per phthiſim, parum interdum ſanguinis ſpuentibus, quorum aliqui ad 50. alii ad 60. annum vitam protraxerunt, tuſſiendo, & materiam perpetuo in pulmones delabentem excreando, donec à cauſa præcipue externa, geminata fluxione, ſubortaque febri continua, non valeret pulmo jam debilis factus ſe extricare, affectu, de quo jam cap. 2. hujus lib. morientes.

A fluxione in pulmones ſputum ſanguinis, puris & tandem mors.

OBSERVATIO V.

His diebus elapſis, vir quidam nobilis, poſt longam equitationem æſtivo tempore, veniens Burdegalam, manſit præ calore in lecto tota nocte ſine ſtragulis, unde corpus refrigeratum ſenſit, ſurgens mane rauca voce loquebatur; ſed cum ulterius iter eſſet ſuſcipiendum, ſub ſole equitans, ceſſavit raucedo, veniens tamen domum ſuam iterum rediit raucedo cum tuſſi: Conſulebam ut venam ſibi tundendam curaret, quod ſpernens perſeverante tuſſi, poſt menſem aut circiter, cepit ex improviſo, ſanguinem ex ore cum tuſſi rejicere, ad quantitatem vaſculi: Nolebat eum eſſe à pulmonibus, ex modo tamen exeundi, licet ſanguis non eſſet ſpumoſus, rogavi ne ſibi imponeret, audacter affirmans, hunc ſanguinem educi ex pulmonibus. Venam itaque bis tundendam curavi, præſcripſi decoctum vulnerarium ſupra deſcriptum, pro potu ordinario, & ſequentem opiatam, cum victus ratione accurata.

A refrigerato corpore poſt ſudorem, raucedo & ſanguinis ſputum.

℞. Rad. conſolid. major. ℥j, conſ. roſ. rubr. ℥ij. boli arme. lap. hæmati ana ʒj. cor. rub. ʒß. margar. præp. ſcrup. ß. ſirup.

Aa cy-

cydon. q. ſ. ad conficiendam opiatam, de qua capiat tribus horis ante paſtum, ad caſtaneæ magnitudinem mane, & ſero. Erat in animo laudani ſupraſcripti quaſdam doſes præſcribere; quia autem ſanguis non amplius rejectus eſt prætermiſi, monens non eſſe fidendum, etiam ſi à menſe, ſanguis ab eo non eſſet rejectus. Ex his obſervationibus conſtat, non ſemper requiri ut ſanguis à pulmonibus ſit ſpumoſus; hoc enim non fit dum in magna quantitate rejicitur.

OBSERVATIONUM NICOLAI CHESNEAU MASSILIENSIS. DOCTORIS MEDICI.

LIBER TERTIUS.

De dolore Stomachi.

CAPUT PRIMUM.

Cum dolor ſit de genere ſymptomatum, quæ ut exiſtant, cauſam præſentem deſiderant; licet tribus modis ſedetur, ut alio loco dictum eſt, via tamen ſecurior, eſt cauſæ ſubſtractio; illa enim ſublata tollitur effectus, dolor ſcilicet, qui ſymptomatum omnium cum ſit graviſſimum, nos ad ſe totos convertit, propria ſæpe cura neglecta: Hæc tamen doloris cauſa, tutius, & commodius aufertur, quocumque loco extiterit, ſi pars affecta dignoſcatur, tunc enim, & natura ipſius, & ejus affectus, & modi quibus profligandus facilius innoteſcunt. Galenus lib. 1. de loc. affec. quinque ſigna enumerat quibus pars affecta dignoſcitur, quorum primum, & potiſſimum, generatim loquendo, eſt actio læſa, In doloribus tamen, ſitus, & doloris proprietas, videtur eſſe majoris momenti, quia actio, ſæ-

Dolor eſt ex genere ſymptomatum.

Situs & proprietas doloris cognoſcenda.

ſæpe non ita cito, & manifeſte læditur; quod ſi lædatur, multum addit ad partis affectæ dignotionem: Dolere enim, vel dolorem augeri in regione ſtomachi, dum cibus conficitur, & ipſo confecto ſedari, aut minui, jure dixeris ſtomachum affici. Si quis autem more vulgi ſe gerens, aliquem è regione ſtomachi dolentem, ipſum ſtomachum affici contenderit, errabit ſæpiſſime, falſus à vicinis partibus, quæ aliquo modo ſtomachi dolorem valent repræſentare, ut colon qua parte pertingit ſtomachum; & peritoneum è regione ſtomachi, ſi quis humor acris per has partes oberret, ambæ enim ſunt exquiſiti ſenſus, Muſculi, & cutis, minus acute dolent, cauſa tamen exiſtente valde dolorifica, dubitamus de parte dolente, niſi levi tactu dolor exaſperetur: Jecur qua parte ſtomacho incumbit, aliis minus dolet, Ideo dum circa viſcera, ubi plures partes ſunt poſitæ, dolor aliquis infeſtat, non ſtatim ex ſolo ſitu, pars affecta talis putanda, qualis nobis videtur, ſed cogitatione omnes quamprimum ſunt aſſequendæ, quæcumque à corporis ſuperficie, ad profundum uſque ſibi ſubjacent, è regione doloris, aut quadam ſe vicinitate contingunt, deinde tenere, quale ſit uniuſcujuſque officium; ad quæ doloris proprietas cujuſlibet, venit tertio loco conſideranda, quæ ſtomacho cum ſit peculiaris, multum conducit ad illius cognitionem; dolor enim ſtomachi hoc addit ſupra aliarum partium dolorem, quod angorem invehat, vires proſternat, ſi urgeat, & ſymptomata gignat, quaſi dolente corde; unde veteres, ſtomachi dolorem cardialgiam vocaverunt, ſicut & vulgus hominum. Propria cujuſque partis accidentia, non parum faciunt affectæ cognitionem; dolente enim regione ſtomachi, ſi accidat ſingultus, nauſea, aut vomitus, audacter quis pronuntiabit ſtomachum affici, cum nulla ſit pars quæ talia patiatur ſymptomata, utrum autem condoleat tantum; aliarum patrium morbi, ſi qui ſint, inveſtigandi. Ultimum ſignum partis affectæ dignoſcendæ, propria ſunt cujuſque partis excrementa, quod in doloribus ſtomachi omnium eſt minoris momenti, ut pars affecta dignoſcatur, poteſt tamen doloris cauſam manifeſtare, ut ſi bilis vomatur, bilem parere dolorem veriſimile putatur, ſi vero pituita, pituitam, & ſic de aliis: Parte affecta nobis cognita, ad cauſæ doloris

Indicium dolentis ſtomachi.

Veteres ſtomachi dolores cardialgiam vocavere.

Cauſa doloris duplex

doloris inveſtigationem incumbendum, quæ ſecundum communem Medicorum ſententiam, duplicis eſt generis, intemperies, & ſolutio continui; multi tamen doctrina, & rerum uſu clariſſimi, affirmant nullam intemperiem, poſſe dolorem efficere, niſi agat in conitnuum, quod veriſimile omnino videtur; memini enim me vidiſſe mulierem, quæ è regione non multum calida veniens Maſſiliam, toto autumno, & hiberno tempore bene habuit, in fine autem veris, & æſtate, à caloribus inſuetis incaleſcente ſanguine, tumores fiebant in manibus, brachiis, & genis, cum rubore, mediæ partis mali aurei magnitudine, qui quidem digitis compreſſi, non dolebant. Ita etiam contingit in quibuſdam febribus, in quibus recidivam patiuntur ægroti, in qua nullus eſt dolor capitis, licet in primo morbo, eo divellerentur; quod tunc eſſent humores acres, & calidiores, agentes in continuum, qui magna ex parte, vel omnino abſumpti, remanentes pro recidiva minus acres, & calidi, non agunt in continuum, aut ſaltem exiliter, unde dolor, aut nullus, aut parvus. Sed quomodcumque res ſe habeat, dummodo tollatur cauſa doloris, ſatis eſt curanti: Intemperies igitur, ſi adſit, dolorem pariens, corrigenda, quia perſeverante pars debilitatur, excrementa cumulantur, quæ poſtea augent intemperiem, viciſſimque augentur ab ea, & ſic abyſſus abyſſum invocat: Quæ quidem intemperies, calida eſt, aut frigida; calidæ, ſicca ut plurimum jungitur; frigidæ, fere ſemper humiditas: Intemperiem calidam ſequuntur humores bilioſi, & acres calidi, à quibus oris amaritudo, ſitis, inappetentia, interdum nauſea, & vomitus bilioſi, alvique excrementa, quæ vel omnia aderunt, vel horum quædam; his junges temperamentum, ætatem, regionem, anni tempus, victus rationem, ex quibus bilis fit proventus, quæ ſi corrumpatur, febrem accerſit. Frigidam intemperiem comitantur humores pituitoſi, & frigidi, qui ſi tantum frigidi, aderit ſenſus frigoris in regione ſtomachi, & ſputatio frequens, ſitis non urgebit, niſi ſalſum aliquid inſit; & ſi flatuum generatio exitum non habentium, fiet ſtomachi diſtentio, aut frequens ructus, aliquando ſingultus, interdum nauſea, & vomitus pituitoſi, ciborum appetitio conſtabit, niſi ad extremum deducta

intemperies & continui ſolutio.

Intemperiem calidam ſequuntur humores bilioſi & acres.

ſit intemperies, quæ in bilioſis affectibus amittitur; calidas enim imtemperies nunquam comitatur, ex Galeno, cibi cupiditas. Si pituita fuerit ſalſa, & acris, aderit ut à bile, eroſio, morſus, & pro ratione cauſæ, angor, ſenſus tamen caloris major à bile: Dulcis autem pituita dolorem non parit, niſi quantitate nimia, aut flatuum generatione, diſtendat ſtomachum, vel ſit imbuta qualitate illi infenſa, quod ſæpe aliis humoribus accidit, præter qualitates quas habent manifeſtas: A cibo infeſtat magis dolor à pituita; à bile vero ante cibum, ut aiunt, ſed hoc non eſt perpetuum: Cum autem hoc accidit, ea ratione fieri exiſtimandum eſt, quod benignitate alimenti, qualitas bilis retundatur, & miteſcat; pituita vero, non quidem ſalſa, cum magis abundet, ſtomacho cibum amplectenti, humiditate innata relaxando, laborem affert, adde quod remanente ciborum appetitione, cibis magis repletur ſtomachus, quod non fit, dum bilis exiſtit cauſa doloris, eo quod cibi cupiditas eam non comitetur. Dolor tamen ſtomachi, ſi valde urgeat à quacumque cauſa, proſternitur ciborum cupiditas, licet magis à calida. De pituita ſalſa, non ſic ſtatuendum, ut de pituita dulci; illa enim in parva quantitate, lancinat ſtomachum, quod benignitate cibi poteſt demulceri, ſicut in dolore qui fit à bile, cum qua habet pituita ſalſa quædam communia ſigna, morſus ſcilicet, ſingultus, nauſea, vomitus, angor: Sed ſi arthritici dolores magis, aut minus ſæviunt, pro ſalium varietate, quæ humoribus excrementitiis immiſcentur, ut proprio cap. oſtenditur; eadem prorſus ratione diſſerendum, de omnibus partium doloribus qui pro ratione ſalis immixti excrementis, pariunt in ſtomacho cardialgiam, vel cardiogmum, vel cardiacam paſſionem: Cardialgiam cum dolor infeſtat ſine ſenſu rei mordentis, aut vellicantis, urget tamen cum languore; neque enim dolor omnis ſtomachi cardialgia vocatur, niſi languorem invehat cum virium proſtratione; Quod ſi cardialgiæ vellicatio, aut rei mordentis ſenſus accedat, cardiogmos dicitur; Cardiaca vero paſſio, cum maximus fit angor, & virium proſtratio, corpore immodico ſudore exoluto. Horum trium affectuum cauſis, præter humores jam dictos, plures annumerantur, cibus corruptus in ſtomacho; ſive ante quam ederetur,

Lib. 5. de loc. affect. cap. 7.

Benignitate cibi, qualitas bilis acrioris obtunditur, & miteſcit.

Pituitæ ſalſæ ſigna.

Cardialgia quid?

Cardiogmos quid? Cardiaca paſſio. Cauſæ horum affectuum.

cor-

corruptionis haberet principia; ſive admiſtione humoris cujuſdam corrupti in ſtomacho exiſtentis, ſive ſolius ſtomachi vitio: His lumbrici aſcribuntur, qui atroces ſtomachi generant ſæpiſſime dolores; Medicamenta emetica, commotis pravis humoribus, aut motu violento divulſo ſtomacho: ulcus ſtomachi, & venena aſſumpta, in harum cauſarum numero eſſe nemo dubitat, ſicut & inflammatio; Converſionem autem cibi in phlegma, ut vocat Bayrius, pauci agnoſcunt, quæ longas, & atroces generat cardialgias, & cardiacas paſſiones, quas ipſe bis, facili negotio curavit, exemplo Galeni in principe Commodo, hauſta cum vino generoſo, ℥j. piperis nigri nebulis involuta, paulo ante prandium, pedibus deinde inunctis oleo nardino quam maxime calido involutis. Hic affectus ab aliis diſtinguitur, quod à ſumpto cibo, præcipue poſt prandium torquere incipiat; cum ſcilicet nititur ſtomachus cibos amplecti ut conficiat, quod cum maximolabore id efficiat, angorem illum patitur, quouſque perfecerit: Quo quis autem tardius prandet, eo tardius, & quo citius, eo citius malum invadit, quod pro cauſæ viribus, magis, aut minus torquet, minori aut longiori tempore: Ex quo colligere oporteret, ſtomachum primo, & per ſe affectum; multi tamen propriam cauſam ignorant, & aliunde advenire exiſtimant, quia affectus rariſſimus eſt, nec quiſpiam de eo ſcripſit, quod ſciam, præter Galenum, qui de modo curandi, quo ſupra ſcripſimus, ut ipſe refert in duabus enarrationibus cap. de converſione cibi in phlegma. His omnibus ſignis cauſa doloris, & parte affecta cognitis, expedit inveſtigare, non ſolum ad curationem, ſed & multo magis ad prophylaxim, an pars affecta doloris cauſam in ſe contineat, an aliunde excipiat, ut à jecore, vel liene, eorum excrementis ad ſtomachum tranſmiſſis; Ab utero, vaporum elevatione, aut ſuppreſſis menſibus, humorum tranſmiſſione; A capite, pituita liquidioris, & acris deſcenſu, quæ cauſa frequentior eſt, plus quam putatur, ut videbitur in enarrationibus: Quibus omnibus rite perpenſis facile erit remedia adinvenire, pro unoquoque genere cauſæ, ſive in parte conceptæ, ſive aliunde tranſmiſſæ. Utrum autem affectu proprio laboret ſtomachus, an aliunde patiatur, non ſemper facile agnoſcitur, quamvis

Lib. de præ cog. cap. xi.

Non facile dignoſcitur an ſtomachi affectus ſit ſympaticus an ideopathicus.

vis in proprio affectu, continuo, ut plurimum laboret; in aliis vero per intervalla: Accidit enim ſæpiſſime, ut aliquo dolore perpetuo afficiatur ſtomachus, parte ipſum contingente affecta, aut ſemper aliquid de aliarum partium excrementis, ad eum confluentibus, præcipue cerebri: Accidit quoque ut tantum per intervalla, excipiat ſtomachus quid ſuperfluum, ipſoque recepto, aliquo tempore tantum doleat, modo coctionis tempore, ſi amplexus ciborum impediatur, modo alio tempore; at à converſione cibi in phlegma, ſemper à cibo, & non alio tempore patitur ſtomachus, multiſque ſæpe menſibus, cauſa non cognita, A ſumpto vero quodam cibo, quantitate, vel qualitate moleſto, fere tantum ſemel afficietur. Multi ex frequenti applicatione regionis ſtomachi ad menſam, præcipue inter ſcribendum, conquerentur de dolore in illa, multo tempore perſeverante, quem partibus vicinis, & ſtomacho ſuperiacentibus ineſſe potius crediderim, quam in ipſo. Dolor à flatibus diſtendentibus, inflatione ſe prodit, & levatione emiſſo ructu, qui etiam demulcet, quem vapor acris excitat. Inflammationis ſigna facile agnoſcuntur; veneni, vehementia ſymptomatum; ulceris, perpetuo dolore, vomitu, præcipue dum cibus ſumitur, his adde ſi perulentum quid vomatur, aut ſanguinolentum. Omnis denique doloris cauſæ notitia, ſemper aliquid dubitationis habet, à quo fonte originem ducat, ſive ſit continuus, ſive tantum per intervalla recurrens; doloris tamen vehementiſſimi cauſæ inveſtigatio, facilior eſt, quam mediocris, quia id quod violenter agit, magis, & diutius ſe manifeſtat. In omnibus igitur ventriculi doloribus inveſtigandum quænam cauſæ, atroces ſemper gignant dolores; quænam mediocres, quænam parvos; & quænam omnis generis, ſecundum cauſæ intentionem, quod paſſim hoc capite docetur: Inveſtigandum etiam utrum ægrotantis cerebrum fluxionibus gignendis ſit obnoxium, ab hoc enim fonte, plures, & omnis generis oriuntur incogniti ventriculi dolores, Inveſtigandum denique an pars aliqua ſtomacho proxima laboret, quæ nobis imponat, aut ipſi ſtomachus condoleat, ut jecur, & partes aliæ vicinæ, præcipue colon, à quo ſæpiſſime patitur ſtomachus, nihil in ſe mali continens; Quod colligitur ex quibuſdam purga-

Signa inflammationis ſtomachi.

Plures ſtomachi dolores fiunt a fluxione ex cerebro.

ga-

gationibus, in quibus cum ad dejectionem aguntur excrementa, per flexuoſos inteſtinorum prolapſus, devoluta ad colon, qua parte attingit ſtomachum, dolorem ipſi inferunt cardialgiæ, & interdum cardiacæ paſſionis non abſimilem, quæ ſtatim quieſcit facta dejectione, quod ſedem doloris aperte demonſtrat. His rite obſervatis, omnes cauſæ quæ proprium valent ſtomachum affectum indicare, in memoriam ſunt revocandæ: Primo quæ ſemper; & ubique, ut inflammationis, ulceris, & intemperiei ſigna, flatuumque diſtendentium, quibus annumeranda ſunt omnia quæ in ſtomacho corrumpuntur: Deinde natura dolorum venit conſideranda, qui duplicem poſſunt habere cauſam; vel in ipſo ſtomacho genitam; vel aliunde tranſmiſſam. Quamvis autem ſit quandoque difficillimum, agnoſcere in principio, unde cauſa doloris exiſtat; omnia tamen quæ hoc capite docentur, ſi rite perpendantur, à quo tandem fonte originem ducat innoteſcet. Si igitur aliquo morbo laboret ſtomachus, curandus: Inflammatio quæ rara eſt, refrigerantibus, calide ſumptis, & admotis, quibus immiſcentur quædam aſtringentia frigida, ut portulaca, plantago, ſumach, roſæ omphacium, rubus, addito in iis quæ per os ſumuntur, ſale prunellæ. Venæ ſectio, ut in omnibus inflammationibus, maxime convenit, & procedente morbo purgatio, ex caſſia, & tamarindis, cum infuſione ʒj. rhabarbari in aqua cichorei, & ʒß. ſalis prunellæ. Ulcus ſanatur potionibus vulneribus dicatis, quæ abſtergunt, & ſiccant, ut illæ quæ recipiunt parum ariſtolochiæ recentis: Quod ſi dolor urgeat, lac caprillum decoquatur, & cum bullire inceperit, in illius ℥iiij. vitellum ovi cum ſuo albumine diſſolve, & bibendum dato mediocriter calidum; poteſt opii gr. j. diſſolvi: valet hoc etiam, in doloribus omnibus ab acri humore genitis. Intemperies, quæ ſemper accerſit humores excrementitios ſibi familiares, prout vel calida eſt, vel frigida, vel alterius naturæ exiſtit, qui pravis ſuis qualitatibus dolorem potius excitant, quam ſola intemperies; Ideo prius vacuandi, cum iis tamen quæ intemperiei adverſantur, ſive purgantibus, ſive alterantibus; deinde intemperies corrigenda, præcipue frigida, tanquam ſtomacho magis contraria, & parens humidæ, quæ juncta frigidæ, il-

Cura morbi ab inflammatione.

Intemperies frigida præcipuæ corrigenda.

 lum

lum maxime enervat. Cognita intemperie, humores quos ipſa invehere ſolet expurgandi, deinde procuranda temperies parti innata; Difficile enim corrigitur intemperies, ſi pars ſcateat excrementis; imo ipſis vacuatis, nullo negotio pars affecta redit interdum in priſtinum ſtatum, præcipue ſi intemperies ſit calida; frigida enim difficilius tollitur, & nunquam perfecte, ſi ſit inveterata: Qualiſcumque autem fuerit, correctionis via duplex eſt, & prima fit qualitatibus contrariis; altera partis intemperatæ roboratione, quæ adeptis viribus, noxia expellit ſine alio adjumento. Cum autem dolores, qualiſcumque ſint generis, miteſcant calidis balneis, fotibus, & linimentis, ex modice calidis, quæ *paregorika* dicuntur, ideſt conſolandi, aut leniendi vim habentia; cauſa doloris non cognita, ad calida potius medicamenta inclinandum modice calida, quam ad frigida; accedit ad hoc, quod calidum naturæ noſtræ ſit magis amicum: Quamvis autem intemperies ſola, non ſit cauſa doloris, niſi in quantum valet agere in continuum; calida tamen, augent ſæpiſſime dolorem per accidens, aut ſaltem calor ſuperveniens, incaleſcentibus ab eo excrementis in parte exiſtentibus, quæ jam aliquem dolorem inferebant; eo quod excalfacta, agant magis in continuum. Hoc patet dilucide in quibuſdam febribus quæ dolori ſupervenientes illum exaſperant; alias vero mitigant, ſecundum qualitatem humoris dolorem facientis. Ex his concludendum, magnam adeſſe intemperiem, cum ipſa ſola cauſa doloris eſt; nam qualitates elementorum, quas activas vocant, non pariunt niſi in quarto gradu, quod ſi in aliis gradibus conſtitutæ id efficiant, hoc fit potius ab humore, aut vapore acri vellicante, aut maligna aliqua qualitate; intemperies tamen ſemper corrigenda, cum cauſa doloris eſt, ſive proxima, ſive remota. Calida ſtomachi intemperies corrigitur ſero lactis cum ſaccharo roſaceo; videndum tamen ne fiat nimia refrigeratio, etiam cum febris adeſt: Multi enim propter febris ardorem, aqua frigida ſe ingurgitantes, in maximum ſtomachi debilitatem inciderunt; imo & in ipſum hydropem, via igitur ſecurior, ſunt pullorum juſcula ex herbis refrigerantibus, in quibus parum omphacii inditur; nam Paracelſus, in quibuſdam experientiis, refert ſe mulierem dolore

Calidum naturæ noſtræ amicum.

Calida intemperies ſtomachi quomodo corrigenda. Aqua frigida affatim pota multorum malorum cauſa.

lore ſtomachi laborantem ſanaſſe, dato panis fruſtulo in omphacio intincto: Poteſt etiam in hujuſmodi juſculis, loco omphacii ʒß. ſalis prunellæ diſſolvi. Extrinſecus valet unguentum roſaceum, epithema ex aquis roſarum, plantaginis, ſolani, cum ſantalo citrino; aut fiat decoctio ex foliis lactucæ, portulacæ, plantaginis, rubi ſummitatibus, floribus roſarum, violarum, & nymphæa, addendo parum aceti roſacei. Frigida intemperies, quæ frequentior eſt, & quæ cito humidam accerſit, corrigitur calefacientibus cum aſtrictione, ut ſunt vina aromatica, clareta ſimplex, & compoſita, ſyrupus caryophillorum, cum aquævitæ, aut vini infuſione factus, prout magis, aut minus calefaciendum; Ros ſolis, qui nunc circumfertur, & aliæ aquæ vitæ compoſitæ, plurimum valent in calefaciendo ſtomacho; verum in imbecilis vim inferunt ſtomacho, ejuſque ſpiritus inſitos diſſipant niſi condiantur ſaccharo. Si autem humida intemperies prævaleat, præter jam dicta, condimentum obſoniorum ex cortice mali aurei probe maturi, potentiſſimæ eſt virtutis in ſiccando, cum adeſt multa ſputatio. Uſus theriacæ veteris, ad ʒj. mane ſumpta, jejuno ſtomacho, & tribus horis ante cibum, ſuperbibendo parum vim rubri, optimus eſt: nec eodem modo ſumptæ, ſpernendæ nuces conditæ, caryophillis, & cinamomo tranſfixæ. Gratiſſimus guſtui, & ſtomacho utiliſſimus cortex citri ſaccharo conditus. Pro pauperibus, ſuperficies corticis citri, aut loco ejus mali aurei tenuiſſime inciſi, & ficubus Maſſilienſibus ſuperpoſiti, ſi manducetur, ejus vicem ſupplere poteſt, aut utantur vino abſynthite per aliquot dies. Extrinſecus fiant fotus ex herbis calidis, inter quas primas tenent mentha, & abſynthium, roſis rubris, in vino rubro, & aqua fabrorum decoctis, inunctione poſtea facta ex oleo nucis moſchatæ calido, aut cruſta panis toſta in vino generoſo madefacta, & pulvere caryophillorum, nuciſque moſchatæ aſperſa calide ſuperpoſita, vel geſtetur aliquod emplaſtrum roborando ſtomacho dicatum, ut illud quod deſcribitur in ordine remediorum alphabetico, nec oleum, nec ceram recipiens. Quia autem intemperies ſola, diu non poteſt permanere, quin humores excrementitios invehat ſibi congeneres, ut diximus ſupra, pro natura cujuſque humoris expurgandi;

di; primo per inferiora, quo nihil proficiente, per ſuperiora, ſi ægrotus facile vomat, ſumpto identidem pauco juſculi, ad facilitatem vomitui afferendam: Quibus adminiſtratis, ſi dolor ſit pertinax, & urgeat, detur pilula laudani ituro cubitum. Cetera deſcribentur in Enarrationibus, & ordine remediorum alphabetico.

Humores expurgandi aut Catharctico, aut Emetico medicamento.

PROGNOSTICA.

Cardialgia cum febre ſemper mala.

Cardialgia à rodentibus humoribus vel à morſu lumbricorum, ſtatim aliquando interficit.

Cardiacus affectus in febre acuta, periculum minatur.

Cardiaci affectus, multi ab humorum deſcenſu occulto, à capite.

Cardiacus affectus, periculoſior iis, qui os ventriculi valde ſenſibile habent.

Ab inflammatione, periculoſus oris ventriculi morſus.

Non febricitanti, cibi faſtiduum, oris ventriculi morſus, vertigo tenebricoſa, & oris amaritudo, purgatione per ſuperiora opus eſſe ſignificat. Hippocr. Aphor. 17. ſect. 4.

In febribus, vehemens æſtus circa umbilicum, & cordis morſus, malum. Hippo. Apho. 65. ſect. 4.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Ulcus ſtomachi ſanatum.

Pater quidam Ordinis ſancti Benedicti, cepit dolere è regione ſtomachi, cum vomitu, vocatis Medicis, tanquam colica laborans curabatur; multis autem menſibus elapſis, perſeverante dolore, & vomitu, corporiſque macie accedente, cum virium proſtratione, accerſitus eſt Medicus rerum uſu, & doctrina clariſſimus, qui videns alios, doloris cauſam, ſuis tanto tempore non potuiſſe profligare auxiliis, alium à colico dolore affectum affirmavit, ulcus ſcilicet in ſtomacho, cujus magnitudinem, ab eo quod vomitu rejiciebatur demonſtrabat; neſcio utrum imperitis imponeret, remediis ſaltem ad id adhibitis, præter ſui ipſius ſpem, ægrotantem ſanitati reſtituit, qui mihi hæc enarravit: Ex quibus

bus priores Medicos non valde rerum uſu edoctos exiſtimandum eſt, quibus dolorem continuum, & frequentem vomitum, tanto tempore perſeverantem, cum corporis extenuatione, & virium lapſu, alium à colico dolore affectum excogitare, non venit in mentem. Vide centu. vj. hiſtor. anatom. Thomæ Bartholini, hiſto. xxj. de quodam, qui tragacantho cum aqua florum roriſmarini, ſanatus eſt ab ulcere ſtomachi.

Observatio II.

Dolor ſtomachi cum febre continua & pulſu intermittente a Lumbrico.

Mulierem trigeſimum annum agentem febris continua invaſit, cum atroci dolore ſtomachi; Secundo die pulſus factus eſt intermittens cum extremorum frigiditate: His perterritus ſymptomatibus, ſtatim in morbi principio apparentibus, malignum quid ſubeſſe affirmavi, reſque ægrotantis in maximo verſari periculo. Cum autem in ſtomacho cauſam ineſſe non dubitarem, conſului ægrotanti, ut medicamento purgante idoneo, ſtomachum elueret, quod ipſa recuſabat, ſe perituram affirmans, propter virium debilitatem; meis tamen precibus, & rationibus victa, ſumpſit 4. die medicamentum ex infuſione ʒj. rhabarbari in aqua cichorei, in qua ℥ß. catholici diſſoluta eſt, & ʒß. pulveris ejuſdem rhabarbari; à quibus quater venter dejecit, vomuitque vermem teretem ſatis magnum, quo ejecto omnia placata ſunt, die quinto extitit ſine febre; miratus unicum vermem, hæc lethalia ſymptomata tam cito invexiſſe, & tam cito ſimplici, & vulgari medicamento ceſſiſſe.

Observatio III.

Dolor ſtomachi tertio potu aquarum mineralium ſanata.

Vir quidam religioſæ ſocietatis, dolore quodam ſtomachi per ſex menſes affectus, cum maxima inappetentia, & interdum febricitans, tamen obambulans; cum multis adhibitis remediis nihil proficeret, venit in hanc urbem, in qua adhibito duorum Medicorum conſilio, multis uſus eſt remediis, ſcilicet purgationibus, venæ ſectionibus, apozematibus, alternatim purgantibus & roborantibus, topicis, ſicut & opiatis per os ſumptis, parumque proficiens, niſi quod interdum meliuſcule haberet; Tandem adventante potus aquarum mineralium tempore idoneo, præſcripſimus uſum earum, quæ *de Villaranque* vocantur,

tur, juxta Raïonam ſcaturientium quibus virtus vitrioli ineſſe creditur, ex quarum uſu, ſpatio ſeptem dierum, ſanitati omnino eſt reſtitutus. Poſt aliquot menſes, octo circiter, præſcriptum vitæ modum nullatenus ſervans, in eundem affectum incidit, in quem pluribus ut antea fruſtra tentatis, ad eaſdem aquas confugere oportuit, quarum uſu iterum ſanitatem recuperavit, diſceſſitque in alterum cœnobium. Poſt duos aut tres annos, rediens in hanc urbem, correptus eodem affectu; acriter diſputatum eſt à me, contra alium Medicum, qui alias ad curationem hujus ægrotantis mecum adhibitus fuerat; cujus ſententia erat, cauſam antecedentem ſymptomatum omnium ægrotanti ſupervenientium, petendam eſſe a liene, ut & multi aliorum locorum Medici crediderant: Ego vero negabam, fretus doctrina Galeni, & experientia, quæ docent aliquod ex viſceribus, aliquo affectu chronico, & notabili, laborare non poſſe, bono exiſtente faciei colore, quæ fere ſemper in eo rubicunda erat; Quapropter culpam potius capiti referendam eſſe, à quo ſenſim delabebatur humor in ſtomachum, dolorem, inappetentiam, corporis gravitatem, & quandoque febrem pariens. Cum autem ægrotus nullibi audiviſſet Medicum, qui in ea fuiſſet ſententia, meæ non aſcripſit, credens ſe alteri Medico, qui ut & alii multi, affectum à liene originem ducere affirmabant; ego vera facta prognoſi, totum illi curandum reliqui qui à præmiſſis jam univerſalibus, pyroticum tibiæ ſiniſtræ inurendum, imperavit, abducendis à liene humoribus excrementitiis, quo fluere incipiente, magnus factus eſt humorum decubitus ſuper tibiam, cum rubore, & dolore, ut ab aliis Religioſis mihi relatum eſt, quibus per ludibrium dixi; oportet nunc fateri, Patris lienem non parvo tentari affectu, cum tot ſcateat excrementis: Quomodo autem hoc fieri poſſit, conſtante vultu in ſtatu ſanitatis, prorſus ignoro. Medicus qui Patrem curandum ſuſceperat, nitebatur venæ ſectione, iteratiſque purgantibus, fluxionem avertere; nihilominus tamen, paucis poſt diebus à prima fluxione, alia facta eſt in tibiam dextram: Nunc demum, etiam per ludibrium, reſpondi, hoc ad me deferentibus; & lienem, & jecur, habet Pater male affecta; ut quid hoc ſtabit, cum bono faciei colore: Nunquam mihi

Lib. 2. de loc. affect. cap. 3. & lib. de atra bile.

hoc

hoc quis perſuadere poterit, etiam doctrina clariſſimus; Solum enim caput gignendis hujuſmodi fluxionibus obnoxium eſt, ipſo manifeſte non læſo, & ſanis adhuc viſceribus: Quod ſi quiſpiam, etiam & ipſe ægrotus non crediderit, ſcire eos velim temporis progreſſu, cauſæ propagatione, hoc cognitum iri, ut docuimus cap. de fluxionibus; quod ita accidit, ut videbimus. Tantam humorum copiam in tibiis irruentem, videns Medicus ſupradictus, operæ pretium duxit, aliis nihil proficientibus abſumendam materiam exſiccante victus ratione, cum ſudorum provocatione, diæta communiter dicta, qua nihil emolumenti percepit ægrotans; ſtetit enim tumor in utraque tibia, interdum major, cum dolore, & rubore, interdum minor, ſicut & alia ſymptomata, pro quantitate humoris præcipitantis à capite. Interea factus eſt etiam humorum decubitus in brachium dextrum, quo uti non valebat, nequidem ad ſcribendum: Tunc animo volutans ægrotus, quæ à me audiverat, fontem omnium malorum ſuorum, à capite ducere originem, cepit omnia tædio habere quæ fiebant ab altero Medico, dixitque ægrotorum curam habenti, velle ſe totum mihi committere, nec præ me ullum Medicum expetere, rogavitque illum hoc ad me deferre, & ut illum convenirem, de omnibus confabulaturus, quod me facturum promiſi. Cum autem ambo deambularemus, narraretque omnia quæ acta erant, ſeque nunc certo ſcire confiteretur, præcipue ex brachii fluxione, omnia quæ patiebatur, & à longo tempore paſſus fuerat, originem duxiſſe à capite, nunc vero quid facto opus eſſet ſtatuendum: Reſpondi omnia fluxioni avertendæ idonea eſſe facienda, nulla ratione habita lienis, aut tibias toti fluxioni excipiendæ exponeret, neque veritus ſum fateri, nunquam toto vitæ decurſu, à tali fluxione fore immunem, quin per intervalla repeteret, prout vitæ rationem ſervaſſet, & alia auxilia adhibuiſſet: Primum igitur conſului, ut quolibet menſe, medicamento purgante ſatis valido uteretur. Irruente cum majori impetu fluxione, ſanguinis miſſione ex brachiis averteret ejus impetum, caputque à frigore quantum poſſet defenderet, & vitæ modum ſæpiſſime præſcriptum ſervaret; periculum enim eſſe, ut rheumatiſmo partes externas deſerente, & ad in-

interiora converſo partem aliquam vitæ neceſſariam depravaret.

OBSERVATIO IV.

Dolor ſtomachi aquis mineralibus ſanatus.

Quidam religioſi Ordinis ſodalis, conquerebatur de quodam ſtomachi dolore, ad medium ſterni interdum pertinente; licet autem dolor non multum urgeret, moleſte tamen eum habebat, conſueta ſæpe munia obire impediens, læſa appetentia, cum faciei pallore inſolito. Dolor quidem per longa temporum intervalla recurrebat; ſemel autem invadens, multis diebus perſeverabat, inæqualis tamen. A purgatione, & roborantibus ſtomachum remittebat; ſtatim autem cum recitandis precibus de nocte ſurgeret, revertebantur dolor. In hac affectus recurrentis viciſſitudine fruſtra laborans, ſtatui perfectæ curationis adipiſcendæ animo, potum aquarum mineralium *de Villaranque* præſcribere, quibus, quorum doloris cauſam, ſicut & iſtius, fluxioni à capite tribuebam, quæ per intervalla fiebat, prout eſſet internarum concurſus; Ægrotans enim erat alias obnoxius hemicraniæ humore in capite conſidente, ſtatim atque genito, liber quidem degebat ab hemicrania, ſed aliæ partes deorſum poſitæ afficiebantur; deſcendens enim humor per œſophagum in ſtomachum, ſenſum doloris, præterfluens, in medio pectore inferebat, & in ſtomachum, in quo conſidebat; à quibus liber factus eſt, prædictarum aquarum uſu, omnia ſodalitatis munia obire valens, juſſique ad præcautionem pyroticum brachio inurendum, fluxionis derivandæ animo; monui etiam, ut quantum fieri poſſet, caput tueretur à frigore; ter aut quater in anno, medicamento purgante uteretur: Si autem iterum his doloribus affligeretur, ad aquas minerales confugeret.

OBSERVATIO V.

Ferinus humor Doloris ſtomachi, oris exulcerationis; & mortis cauſa.

Vir quidam nobilis 60. annorum, firma ſatis uſus toto vitæ decurſu valetudine, incidit in rheumatiſmum, variis juncturarum doloribus afflictus; Cum enim unus abſcederet, alius novam articulationem adoriebatur, liberumque putans interdum ſe eſſe ab omni dolore, novis de nocte afficiebatur Pluribus 15. aut 20. dies adhibitis auxiliis, tandem convaluit, manſitque

ſitque ſanus toto triennio, à quo apud me conqueſtus eſt de quodam ſtomachi dolore, cum inappetentia. Affectus non videbatur in principio eſſe magni momenti apud vulgus, quod vir ille nobilis ſolita munia obiret, prout ejus ætas poſtulabat; inſidebat tamen in vultu aliquid non ſpernendum, quoniam ex Hippocrate, in parvis morbis facies ſi fuerit mala, malum ſignum eſt. Lib. 6. epid. ſect. 2. Propterea monui ægrotantem, ut rationem haberet ſuæ valetudinis, antequam malum per longas moras invaleſceret. Sed cum à remediis per os ſumendis eſſet maxime averſus, & in ea ſemper fuiſſet ſententia, Medicinam non valere morbis curandis, ſed tantum demulcendis, dieſque noſtros eſſe præfinitos, omnia ſpernebat conſilia. Tandem perſeverante affectu cum majori inappetentia, & virium lapſu, ſuorum precibus dedit, ut conſilium duorum Medicorum iniret, qui alias adhibiti fuerant in curatione rheumatiſmi, quorum ego unus eram, & in ea ſententia, quod eadem nunc eſſet cauſa præſentium ſymptomatum, quæ alias fuerat rheumatiſmi, viam mutante humore à partibus externis, ad ſtomachum, inclinante ætate, facta minus valida expultrice, ut humores à capite præcipitantes ad exteriora propelleret: Quod etiam ſi in rheumatiſimo, ut docemus proprio capite, hoc non concederet alter Medicus, nunc tamen ſententiæ meæ aſcripſit, omniaque præſcripta ſunt fluxioni avertendæ, & affectæ parti roborandæ, & conſolandæ idonea, erat ſerinus humor, ut videbimus infra; Sed ipſe parvi pendens omnia, ſuo genio vivebat, ſemper tamen occurrens illi, coquerebatur de iiſdem ſymptomatibus, ſed præcipue de inappetentia; ego vero quæ multoties dixeram, reſpondebam, ejus affectum eſſe majoris momenti, quam ipſe exiſtimaret, cum jam nunc febris aliqua deprehenderetur, & niſi mature ſuccurreret, non eſſe in poſterum occaſionem faciendi. Cum autem tempus utendi aquis mineralibus inſtaret, quibus nihil conducibilius omnium ſuffragiis, ad hunc affectum, conſulebam ut illis uteretur, ſed ſurdis auribus canebam; vires tamen in dies ſibi minui confitebatur, omniaque præter vinum, reſpuere ſtomachum, neque ſe peſſime ægrotare putabat, ut ſuis ſæpiſſime prædicebam, licet alter Medicus contrarium aſſereret. Tandem accedente hieme omnia

ſymptomata invaleſcebant, idoneum tamen curandi tempus, & aquas minerales ſumendi, elapſum erat; nihilominus ſibi jam timens, erat animo remedia adhibere, ſed intempeſtive, febris enim magis urgebat, cum quotidiana circa veſperam exacerbatione, quæ uno die, major erat altero, omniaque in pejus ruebant tamen purgationes adminiſtratæ ſunt, venæ ſectiones ex brachiis, ex ſalvatella, & ex malleolo, propter febrim, quæ nullo modo remiſit. Tandem cauſa quam à capite originem ducere ſemper prædicaveram, omnibus innotuit, fluxio ſcilicet, quæ linguam carni noviter à pelle expoliatæ non abſimilem effecit, & rheuma ferinum evaſiſſe concluſum eſt, nec mirum; progrediente enim morbo, & guttur affectum eſt, impedita tranſglutitione, ulteriuſque progrediens humor, fluxum ventris excitavit cum dolore, & rubore in circuitu ani. Ad demulcendam hujus humoris feritatem, lactis uſum præſcripſimus; ſed octo diebus elapſis nihil proficiens dimiſimus, lædere enim incipiebat, qua de cauſa, recordatus eorum quæ de aquis mineralibus dicta erant, experiri optabat, ſed deficiente natura, omnia deficiebant, aucto enim gutturis malo à ferina fluxione, per tres dies nihil valens deglutire, poſtulans ſibi aliqua ſemper fieri remedia, qui antea illa ſpreverat, mortuus eſt, miſerum cum languore per duos annos trahens ſpiritum. Diſcant ceteri ægrotantes tempore idoneo, & cum morbus altas nondum egit radices, validiſque viribus, remedia adhibere; cum autem mala per longas invaluere moras, de ſalute fere ſemper conclamatum eſt.

OBSERVATIO VI.

Cardiogmus ab humore acri.

Vir quidam urbanus, & eruditus de nocte dormiens; ex improviſo expergefactus eſt à dolore ſtomachi, ac ſi à canibus, orificium ipſius dentibus comprehenſum teneretur; huc illuc ſe convertens nihilque proficiens, ſedit in lecto, manibus partes vicinas comprimens cauſæ doloris excutiendæ gratia, quid ageret neſcius; ita enim dolor urgebat, ut inhibita reſpiratione ad extremum ventum eſſet, niſi dolor cito quieviſſet: Quid hoc rei eſſet perpendens animo, cum vir ille eſſet, quibuſdam doloribus externis obnoxius, iſte autem per breve tempus

pus cruciaſſet, affirmavi cardiogmum illum eſſe ab humore acri, & erodente, à capite per œſophagum deſcendente, qui relictis partibus externis, per interiora tunc ferebatur, crucians partes in quibus moram faceret, eſſe tamen in parva quantitate, quod ipſe ægrotus tandem agnovit; aliquando enim ardorem ſentiebat de nocte in gutture, illo evaneſcente, ſtatim dolor ſupradictus apprehendit orificium ſtomachi, brevis tamen durationis: Alias etiam ſuperveniente illo gutturis ardore, paulo poſt corripuit morſus ille ſtomachi, non ceſſante tamen gutturis dolore, propter humoris tunc majorem abundantiam, eo quod à conſuetis purgantibus diu abſtinuiſſet.

De Spleniticis.

Caput II.

Non miror amplius vulgus ſpleniticos eos vocare, qui aliquo affectu diuturno in hypochondrio ſiniſtro laborant, licet muſculi abdominis, aut colon inteſtinum, aut alia pars à liene diverſa afficiatur; Cum & ipſi Medici, tum antiquiores, tum recentiores, id quoque audire videantur. Hippocrates enim, quamvis ſpleniticos, ſcribat eos dici, quibus lien diu obduruit; libro tamen 6. de morbis popularibus ſect. 2. loquitur de ſplenis elevationibus, & alibi ait, ſplen elevatus eſt, quod hypochondrii potius quam lienis affectus dicendus eſt. Galenus quoque lib. 2. cap. 5. de arte curat. ad Glauco. tradit curationem lienis a flatibus diſtenti, quos in ipſo contineri nemo fatebitur, cum flatibus continendis corpus cavum non habeat. Recentiores loquuntur paſſim de rugitu lienis, quem rugire eſt impoſſibile, eadem ratione. Crediderim ego hos omnes affectus tribui lieni, eo quod non ſit viſcus majoris famæ, in hoc ſiniſtro hypochondrio, cui totius, aut partis alicujus latens vitium, in hac regione ſitæ, melius referri poſſit; partemque nobiliorem, magnos illos viros accipere pro hypochondrio, receptæ hoc apud vulgus dantes opinioni. Sed cum agitur de morborum curatione, cujus principium eſt morbi cognitio, quæ poſtulat, ut pars affecta primum dignoſcatur, non ſunt

Splenitici vulgo vocantur, qui diuturno affectu in hypochondrio ſiniſtro laborant.

Gale. lib. 2. de meth. med.

Medici munus eſt corporis partes anatomice bene noviſſe.

hæc vulgi more communiter accipienda: Medici enim eſt, dum aliquis affectus in aliqua corporis regione deprehenditur, omnes in hac parte poſitas tenere ex anatome, earumque actiones, ſitus, doloris proprietatem, propria accidentia, & ſi expedit, eorum excrementa. Sed plures video Medicos; etiam magni nominis apud vulgus, qui ſine diſtinctione, coli affectum aut muſculorum abdominis, è regione lienis, pro ſpleniti-co accipiunt, quos ſæpiſſime arguere non puduit, tanquam craſſioris anatomes ignaros. Non hic tamen animus expendendi, quidquid præter naturam in hypochondrio ſiniſtro extiterit; ſed qualis ſit proprie in eo affectus ille, quem plebeii, & vulgus Medicorum ſpleniticum appellant, licet ad eum lien nihil conferat, niſi interdum conſortii lege ſimul afficiatur: Quod eo magis agnoſcendum operæ pretium duxi; quo affectus iſte frequentior eſt in hac regione, in qua innumeri paſſim de liene conqueruntur, ſpleniticos ſe eſſe affirmantes; quos ſi interroges, nullo modo lienem affici, ut plurimum comperies: Ego enim multoties rogatus ab ejuſmodi ægrotis, eos arcanum docere ad ſplenem, & in multorum curatione adhibitus, vultum reſpiciens bene coloratum, & ſui ſimilem; ſtatim affirmabam eos non male habere à liene, ex doctrina Galeni lib. 5. & 6. de loc. affec. lib. de atrabile. Et teſte Hippocrate lib. de affect. & lib. de inter. affectio. quibus in locis, colorem corporis vitiari affecto liene, ambo affirmant; & corpus minui, Hippoc. lib. de loc. in homi. & Gale. lib. 2. de natu. facult. Quapropter tales reſpiciens ſpleniticos, cum facie boni coloris, & ſui ſimili, ſemper negavi eorum affectus eſſe tribuendos lieni, nec me fefellit hæc doctrina: volens autem inquirere qualis eſſet iſte affectus, fere ſemper deprehendi intemperiem eſſe frigidam, qua omnium ſymptomatum primaria erat cauſa qua hypochondrii partibus debilitatis, læſiſque earum functionibus naturalibus, excrementorum fiebat proventus, eorum retentio, obſtructiones, & alia quæ temporis progreſſu ab his exiſtunt, ut febres longæ, diarrhæa, cachexiæ, hydropes, quorum hæc ſunt principia, & progreſſus; In hac enim regione, in qua ver, & æſtas, ut plurimum, non ſibi conſtant, tota ſæpe die ardoribus torquemur, ipſa vero ad veſperam inclinante,

Veri ſplenetici nunquam habent faciem bene coloratam.

te, deducimur, ut ita loquar, ad aquas nivium, excitatis tonitruis, & largis imbribus, interdum cum grandine, quibus cœlum ita refrigeratur, ut inclinantis autumni videatur eſſe tempeſtas, per aliquot dies; præcipue ſi inſigniter grandinet: Cum autem quiſque, dum calor omnia videtur adurere, refrigerium quærat, & in veſtibus, & in cibis, & in potu, & mora in locis frigidis; repentina illa aëris refrigeratione, nondum devicta à calore noſtro, ea quæ tali jam dicta vivendi methodo, partibus erat impreſſa; corpus primo tentatur: ſecunda vice afficitur: tertia patitur; & tandem male habet: Quibuſdam ſtomachus primum afficitur: Aliis pro robore uniuſcujuſque, una, aut plures partes in hypochondrio patiuntur præcipue ſiniſtro; dextrum enim difficilius cedit, propter jecoris munimentum, quod à corde, ſecundus eſt fons caloris: Alii ex potu frigido, & glaciali æſtate frequenti, in hunc affectum incidunt: Alii ex ſudoribus in his partibus ſæpiſſime refrigeratis, quod viris maxime accidit, qui tunc temporis diducto thorace, voluptatis gratia, frigus colligunt: Alii ex longis curis, & mœroribus, & nimio literarum ſtudio; hoc ſpirituum diſſipatione, & alio revocatione; altero eorum quaſi veterno, & refrigeratione. In principio dum in his peccatur, nihil quidem incommodi quis percipere videtur; at repetitis ictibus malleus, figit clavum, & temporis progreſſu refrigeratis partibus, debilitas, & intemperies invehuntur. Infantibus, ſæpe tumor à capitis fluxione, in hypochondrio ſiniſtro oboritur, quem falſo, & imprudenter, quamplures Medici, tumentem lienem appellant; qui quidem tumor, ita eſt aliquando in ſuperficie poſitus, ut inter illum, & muſculos immiſſis digitis, multoties comprehenderim, quod ſub cute exiſtere tumorem indicium erat; nec timendum ab hujuſmodi tumoribus, etiam duriſſimis, experientia comperimus; & eo magis, quo natu ſunt minores, dummodo facies ſit boni coloris: Multis tamen viris fluxionibus obnoxiis, etiamſi ab hypochondrio ex ea laboraverint, non fiunt tumores, ſed tantum dolor, qui intenſus, in partibus ſuperioribus percipitur non raro, de quo in Enarratione 2. viris tamen ſi tumores fiant in hypochondrio, ſemper mali, eoque magis, quo plus facies à naturali

Infantibus ſæpe oritur tumor in hypochondrio ſiniſtro a capitis fluxione.

ſtatu receſſerit, quod graviorem noxam indicat: Sunt tamen quandoque leves cauſarum noxam inferentium impreſſiones, ita ut liene intacto, & meſenterio, muſculiſque abdominis, ſtomachus, & colon tantum afficiantur, quod magis fit ab aſſumptis actu frigidioribus. Cutis, & muſculi ſubjacentes, à cauſis extrinſecus accurrentibus, potius refrigerantur, præcipue ſi ſudore madeant, quæ niſi fortes, ad interiora non valde progrediuntur. Sæpiſſime hæ cauſæ concurrunt, majuſque fit nocumentum: Aliis ſive innata partium imbecillitate, ſive cauſæ magnitudine, ſive frequenti occurſu, ſive plurium concurſu, variæ partes afficiuntur, una autem magis quam altera, prout quælibet valet robore, ad reſiſtendum cauſis noxam inferentibus: Quæ omnia ex ſymptomatibus cuilibet parti propriis agnoſcuntur. Quibuſdam ex rugitu inteſtinorum præcipue coli, morbi exiſtunt principia, qui ſtatuto tempore excitatur, mane ſcilicet, & jejuno ventriculo. Cutis, ſi externa refrigeratio dederit principium, frigoris vel minimos ſentit appulſus, jam firmatæ intemperiei ſignum, qua ſtomachus, & totum hypochondrium interdum coafficiuntur, unde rugitus ille, & multa ſalivatio, præcipue ab intempeſtivo potu; Pogreſſu temporis pondus in hypochondrio, ſpirandi difficultas, à flatibus in inteſtinis diaphragma comprimentibus; dolor gravans, & interdum acutus ut coli dolores; excrementorum proventus; obſtructiones; inſomnia; jactationes nocturnæ in lecto, & flexis genibus inter orandum. Rebus in pejus ruentibus, lienis veri affectus, cachexia, melancholia, diarrhœæ, dyſenteriæ, hydropes, quæ tandem ad mortem deducunt, niſi principiis obſtes: Ideo ſtatim atque hujus affectus principia animadvertuntur, vitæ ratio eſt imperanda. Primo ut regio ſtomachi, & hypochondrii, tegumentis extrinſecus à frigore arceantur, præcipue in viris, quibus hæ partes, ſola interdum linea ſubucula conteguntur; cui rei providere volentibus, non eſt credibile quantum illis profuerit, duplicato mantili, meo conſilio, in formam zonæ corpus cingere; non advertunt enim multi, cujus ſit momenti, debilitatæ jam partis calorem tueri, ut ab externo frigore avertatur. Imperandum quoque ut cibis boni ſucci, & coctu facilibus veſcantur; vitando craſſa, ut panem ſine fer-

Veri lienis affectus.

Utendum cibis boni ſucci.

fermento, carnes bubulas, anſerinas, leporinas, carnes anatum, & avium omnium in aquis, & locis cœnoſis degentium; carnes etiam porcinas, omnia ſalſa, & acria, piſces cetaceos; & in luto morantes, omneſque qui carne ſunt dura, aut glutinoſa, aut molli ſine friabilitate. Fugienda omnia flatulenta, ut legumina, caſtaneæ; omne fungorum genus, & quod glutinoſum eſt, ut animalium pedes, & cetera ejuſmodi. Abſtinendum ab omnium fructuum crudorum genere, præcipue quibus ineſt multa humiditas, eduntur poma cocta, deinde pyra, licet frigidum inflent ſtomachum: de caulibus hoc dicam, me vidiſſe hominem hoc affectu laborantem, qui toto vitæ decurſu, ne vel minimum ab eorum eſu percepit nocumentum; cetera tamen olera non placebant ejus ſtomacho. Aromata conveniunt, ſed parce pipere utendum, propter ipſius calorem urentem, in parte terreſtri poſitam, quam retinent humores excrementitii. Pro potu, acinato vino, & rubore valde ſaturato, rebuſque aſtringentibus interdicendum, ſicut & omni potu æſtate nimis frigido, præcipue aquæ. In ſomno, & vigilia, ſervanda mediocritas. Exercitationes valde utiles, & in debilibus locum teneat equitatio, quæ multum prodeſt, præcipue ſi fiant peregrinationes, quibus relaxandis animis, & quibuſdam morbis curandis, de quorum numero iſte eſt, nihil magis conducibile. Inter animi motus, curæ, & triſtitia, tanquam facies colubri fugienda; animum potius liberalibus oblectamentis recreando, confabulationibus, conviviis, dummodo cibus, & potus, moderate ſumantur; ſatietas enim nimia in hoc morbo, ut & aliis, valde noxia. Quod ad curationem pertinet, cum morbus iſte ſit totius hypochondrii, aut quarundam partium ejus refrigeratio, ut ſupra diximus, qua læſis harum facultatibus lædantur actiones & præcipuæ, ſenſibus arbitris, coctrix, & excretrix, ex quarum læſione, fit multorum excrementorum congeries, fiunt obſtructiones, abyſſoque abyſſum invocante, ut jam diximus, morbi ſupra enumerati invehuntur: Præcipua quæ in ea curatione ſcilicet præſtanda ſunt tribus ſcopis adeptis perficiuntur; Temperamenti partium ad priſtinum ſtatum reductione; Excrementorum reſidentium expurgatione; & obſtructionum apertione. Primus perficitur

Equitatio & peregrinatio ſpleneticis utilis.

ca-

calidis fotibus, inunctionibus, & emplaſtris admotis; ſumptis vero, calidis roborantibus, & in quantum fieri poteſt, aperientibus, partium calore, præ ceteris, ſervato tegumentis idoneis; ad quod interdum emplaſtra tantum proficiunt, quantum virtute roborandi præſtant. Sed quia redundantia excrementorum; & roborantium vires; & aperientium facultatem infringunt, à purgatione aliqua ſemper incipiendum, niſi manifeſta ſint plenitudinis ſigna; tunc enim à venæ ſectione, licet ratione morbi non conveniat, ab injecto, & rejecto enemate curatio incipienda, quæ ratione obſtructionum etiam convenire poteſt; Purgatio autem talis eſſe poterit.

A purgatione cura incipienda.

Potio purgans.

℞. Rad. fœni. & petroſ. hiberno tempore, ana ℥ß folior. æſtate, borr. ling. cerv. beton. cuſcu. ana mß. ſem. dauc. apii. & ani. ana ʒj. flor. cord. pß. flor. gen. & ſtœc. ana pj. aza ſcrup. ß. fiat ex his decoct. Acc. q. ſ. infun. folior. ſen. mund. ʒiiij. agar. ʒj. expreſſ. diſſol. cathol. ℥ß. ſyru. magiſtr. de quo in Enarratione 4. ʒiiij. criſt. tar. ʒß. fiat potio mane ſumenda, qua ventrem ſexies ad minimum dejicere oportet, alioquin immutanda.

A purgatione fiant fotus calidi, pluribus diebus ante paſtum, cujus talis poteſt eſſe deſcriptio.

℞. Rad. alth. ℥j. folior. orig. calam. puleg. abſyn. rutæ cent. mino. ana mj. ſem. ani. fœn. cum. ana ʒij. ſem. fœnug. ʒiij. bacc. laur. & junip. ana ℥ß. flor. chamœm. & melil. pij. fiat ex his decoct. in aqua & vino albo pro fotu, à quo parte bene abſterſa, fiat inunctio ex.

℞. Olei aneth. & chamæm. ana ℥ß. olei de bacc. lauri ℥ß. fiat litus vel ungatur pars oleo circumforaneorum quod optimum eſt; habetur ejus deſcriptio in ordine remediorum alphabetico. Titulo. Balſamum. Geſtetur poſtea emplaſtrum quod calefaciat, roboret, humores & flatus diſcutiat, neque enim eſt hic opus emollientibus, niſi tumor adeſſet in cute, aut in muſculis, aut in ipſo liene.

℞. Empl. de melil. ℥ij. empl. de ſulph. ℥j. olei de ſpica ʒij. pulv. cumi. ʒjß. malaxentur cum oleo de bacc. lauri, & fiat emplaſtrum. Innumera invenies ad affectus lienis deſcripta in ordine remediorum alphabetico, & in Enarrationibus mox deſcribendis.

PROG-

Prognostica.

Si pulſant hypochondria, perturbationem ſignificat, aut delirium; ſi autem crebro oculi moveantur, cum perturbatione, mania expectanda eſt. Hippo. lib. 1. prognoſt. cap. xi.

Splenis elevationes, ſi non ad articulos finierint, aut ſanguis è naribus erumpet, aut dextri præcordii fiet intenſio, ſi non penetraverint urinæ. Hippo. lib. 6. de morb. popul. ſect. 2.

Quibus lien minuitur, corpus augeſcit. Galen. lib. 2. de facult. natural. ex Hippo.

Quibus lien afficitur, iis color corporis mutatur. Galen. lib. 5. & 6. de loc. affect. & lib. de atra bile. ex Hippoc.

Lienoſis dyſenteria ſuperveniens, bonum. Hippo. apho. 48. ſect. 6.

Quicumque lienoſi dyſenteria corripiuntur; longa facta dyſenteria, hydrops, aut lienteria ſupervenit, & moriuntur. Hippo. apho. 43. ſect. 6.

Vetus intemperies frigida hypochondrii, ſi negligatur, cachexiam, aut hydropem invehit.

Tumores hypochondrii ſub cute, aut in muſculis, parum habent periculi in infantibus, ſi color faciei ſit bonus; quo magis autem quis ætate provectus fuerit, majus habet periculum; multoque magis, quo facies à naturali ſtatu receſſerit.

Tumor lienis mollis curabilis eſt, ſyrrhoſus difficillime, & ſi confirmatus fuerit, nunquam.

A ſcyrrho lienis, hydrops.

In affectibus lienis, ſicut & jecoris, quo facies pejor, eo morbus eſt periculoſior, licet aliis ſignis non manifeſtetur.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

Observatio Prima.

Vir nobilis genio indulgens, variis affectus ſymptomatibus pro lienoſo habitus, cujus poſt mortem hæpar inventum aliquo modo corruptum, liene exiſtente parva.

Vir quidam nobilis, & Dynaſtes juxta Nogarum, indulgens genio, præcipue æſtate, in omnium rerum infrigidantium uſu, cum eſſet in obſidione urbis Montalbani, tantus derepente factus eſt rugitus, in hypochondrio ſiniſtro; ut rei novitate perterritus, duos celebres Medicos accerſendos curaret, qui-

bus facta narratione de his quæ acciderant, conjunctis ſententiis pronuntiatum eſt, hos omnes rugitus eſſe à liene, temporiſque progreſſu, niſi provideret, male habiturum. Cum autem in modo vivendi, ſemper peccaret, nullaque niſi coactus adhiberet remedia, in pejus pedetentim ruens, gravius cepit laborare, non ſolum in regione lienis, ſed & ſtomachi, quem valde refrigeratum ſentiebat, unde magna flatuum generatio, multi ructus, dolor, & cetera, quæ intemperiem ejus frigidam ſequuntur, cum multum progreſſa eſt, ut ſunt tarda coctio, fluctuatio pituitæ liquidioris, glutinoſæ generatio, ſalivatio multa, ciborum inappetentia, vomitus pituitæ, facies pallida, & impotentia quædam ad ſolita munia obeunda. Multis in conſilium vocatis Medicis, variæ erant ſententiæ: Fere omnes more vulgi, lienem affectum eſſe affirmabant, de quorum numero unus eram, adhuc juvenis, & nondum rerum uſu edoctus. Quidam experientia, magis quam doctrina clarus, ita ſolum ſtomachum intemperie frigida laborare, mente conceperat, ut pituitam viſcoſam, quam ægrotus vomuerat, ab anno hæſiſſe ſtomacho aſſereret; Ideo ſolus antea vocatus, ſumptis, & admotis calidis aſtringentibus utebatur. Alii ſtomachum coaffectum non negabant; ſed præcipuum morbi iſtius fomitem, in liene conſtituendum affirmabant, quem magnum præter modum eſſe omnes putabant; quapropter aperientia calida, magis eſſe idonea, ut apertis obſtructionibus, & tenues facti humores craſſi, facilius cederent purgantibus: Quæ ſententia recepta eſt; multaque hujus naturæ medicamenta præſcripta, ſunt, apozemata, variæ purgationes, fotus, linimenta, emplaſtra, & opiatæ, ex quibus paucis utens, ut illi mos erat, meliuſcule tamen habuit; unde arrepta occaſione, animi relaxandi gratia, equum conſcendit: Cum autem pertranſiret juxta foſſam ramuſculis tectam, decidit in eam, ſine tamen læſione, ex viſu, & ejus teſtimonio. Octavo poſt caſum die, magnus de nocte factus eſt nigrorum, & liquidorum vomitus, quæ ſanguinem eſſe, accenſa candela, putaverunt aſtantes, quo ſymptomate omnibus perterritis, quatuor Medici in conſilium ſunt vocati, inter quos habita conſultatione, poſt tres dies à caſu quod nihil ſanguinis, nihilque atri rejectum erat; communi

ni ſententia, tres ſeniores affirmarunt, ex caſu venam eſſe ruptam: Ego vero contra, negabam venam eſſe ruptam, nec ullum ſanguinis vomitum extitiſſe, ſed excrementi cujuſdam melancholici pituita diluti; quod à liene in ſtomachum protruſum erat: Trium tamen Medicorum ſententia, eorumque ſeniorum, contra me pravaluit, omniaque aſtringentia, & venis ruptis glutinandis idonea præſcripta ſunt. Cum vero octavus omnino dies illuxiſſet, à primo ſanguinis putato vomitu, iterum de nocte rediit ex ore ſanguinis illa, aut humoris atri copioſa excretio, nullo ex aſtantibus periculum faciente, de natura excreti, an verus eſſet ſanguis, aut atræ bilis cujuſdam ſpecies. Vocatus ideo celebrior Medicus, qui primæ conſultationi interfuerat, & ego tanquam loci vicinus, & ordinarius, ut quid de hoc vomitu eſſet ſtatuendum decerneretur, omni aſſeveratione affirmavi, & illi, & ægroto, & aſtantibus, nullo modo eſſe pertimeſcendum, de vena rupta in corpore, his ductus rationibus. Primo quod ægrotus, octavo die tantum à caſu vomuiſſet ſanguinem illum exiſtimatum, qui ſi à vena rupta excidiſſet, vel ſtatim à caſu, vel paulo poſt fuiſſet rejectus, cum multus eſſet, aut aliqua parte collectus putruiſſet, pondus, dolorem, & febrem inferens. Secundo, venam ruptam non regi à natura, ut tantum octavo quoque die ſanguinem fundat; vena enim in corpore rupta, ſi magna, & multum ſanguinis effundat, cito jugulat; ſi autem parva, parumque ſanguinis effundens, ſine ordine fit ejus excretio, aut in cavum excidens, trium dierum ſpacio putrefactus exiſtit, abſceſſum faciens, ſi exitum antea non habuerit. Accedit tertio, quod aſtantes accurate interrogati de natura humoris excreti, incerti erant an verus eſſet ſanguis; quippe nocturni judices: Quibus auditis Medicus ſupradictus, nec probavit, nec negavit, ab aſtringentibus tamen pedetentim remiſſum eſt, utente ægroto quibuſdam purgatiunculis, per longa quantum poterat intervalla; erat enim à remediis maxime averſus, licet urgente morbo, multi placerent Medici. Non amplius redeunte illo vomitu, poſt annum à putata ſanguinis prædicta excretione, ludens à cœna foliis luſoriis, cepit conqueri de dolore in dextro hypochondrio, à quo nunquam male habuerat,

dimiſſoque ludo, petiit lectum, ingraveſcente ſymptomate in modum colici doloris. Caſu præſente Pharmacopœo, enemata injecta ſunt, & alia quædam exhibita ad colicum dolorem idonea, quibus nihil juvantibus, miſſo ad me ſervo de nocte, rogavit ut ſe inviſerem, quem ante lucem veniens ſemper dolore divulſum inveni; quapropter juſſi ſtatim atque illuceſceret, colligerentur herbæ ad ſemicupium parandum; quo quidem dolore levatus eſt: Sed ex pulſu, & ſudore, agnoſcens facultatem ad interitum feſtinare, ne in ſemicupio moriens, verteretur mihi in dedecus, juſſi renuentem in lectum deferendum, in quo intra duas horas mortuus eſt. Diſſecto cadavere, ut mortis inſperatæ, & longæ invaletudinis cauſa innoteſceret; inventum eſt jecur aliqua ſui parte, eaque parva corruptum, principiaque hydropis adeſſe, ex collectione aquæ, in parva tamen quantitate, in fundo abdominis inventæ: Cumque aſtantes, qui auditu de morbi natura aliquid à Medicis acceperant, lienem magnum ſe inſpecturos, & venæ quondam ruptæ veſtigia expectarent, mirati ſunt lienem tam parvam inventam eſſe, quam quod minimum, omneſque in hypochondrio ſiniſtro partes poſitas, omnino integras eſſe, ſicut & ſtomachum; mirabile viſu in homine, quem celeberrimi omnes Medici, ab ſplene laborare prædicaverant: Quod effecit ut ſtudioſe indagarem, quid proprie eſſet iſte affectus, quem vulgus, & fere omnes Medici, ſine diſcrimine, appellabant ſpleniticum; rerumque uſu comperi, eſſe harum partium refrigerationem, quam plurima, ſucceſſu temporis, ſequuntur ſymptomata, ut ſupra diſſeruimus, de quibus etiam in Enarrationibus ſequentibus.

OBSERVATIO II.

Vir Melancholia hypochondriaca laborans ſanatus.

Doliarius quidam faber, ætate 30. annorum, temperamento melancholicus, neſcio quibus de cauſis, incepit laborare ab hypochondrio ſiniſtro, & ſtomacho, vomens qualibet hebdomada, nigra quædam cum labore, fuligini diſſolutæ ſimilia, urinæ nigræ cum ſedimento nigro, perpetuo meiebantur, eratque impotens ad artis ſuæ munia obeunda, lecto tamen non detinebatur, nec febricitabat. Vocatus in conſilium cum Medico

dico ordinario, nec præſtituta die veniens, propter alium ægrotantem, non data poteſtate, paucis tamen poſt diebus, equum conſcendens, veni in domum ægrotantis, à quo inſtructus de omnibus, quæ ad prædictæ vomitionis cognoſcendam originem videbantur conducere, ſententiam meam exaratam, dedi Medico ejus ordinario mittendam: Quibuſdam tamen diebus elapſis, convenit me ægrotus, affirmans præ me, nullum ſe Medicum expetere, nec in alterius medicationem velle ſe committere; quo audito, omnia accurate perpendi, quæ ad ejus curationem inſervire putabam. Primo conſtabat apud me, vomitum illum liquidioris atræ bilis, à partibus hypochondrii ſiniſtri originem habere, præcipue à liene, qui ſecundum communem opinionem, fæculentum ſanguinem attrahit à jecore, quo ipſe nutritur, expulſis per vas breve reliquiis, ad excitandam famem, & in ramum ſplenicum, per inteſtina vacuandis: Quæ quidem partes debiles factæ, & vitiato earum temperamento, male fungebantur officio, lien præcipue, non valens jecur expurgare, multo ut ex temperamento conſtabat, fæculento abundans ſanguine, vel attractum non recte conficere, vel à reliquiis ſe exonerare, obſtructis ad id meatibus; unde multis in locis ſtagnare, in ramo præcipue ſplenico, & ejus propaginibus, nec non & in meſenterio, donec naturæ graves, qualibet hebdomada in ſtomachum rejicerentur; reliquum autem non attractum, in venas regurgitare, & per urinas excerni; hæc autem omnia, ſine ullo caloris ſenſu in hypochondriis, & ſine febri. Aut ſecundum ſententiam eorum, qui lienem alterum jecur affirmant, dicendum chili partem terreſtriorem per ramum ſuum ſplenicum attrahere, ut craſſum ſanguinem ex ea conficiat, alendis partibus abdominis accommodatum; dicendum, inquam, multum ſanguinis craſſioris abundare in liene, præ debilitate partium male elaboratum; unde circum viſcera, magnus ex eo proventus, præcipue in ramo ſplenico, meſenterico, & eorum propaginibus, quouſque & propter obſtructiones, & propter partium debilitatem cumulatus, naturæ gravis exiſtat, conatuque facto, pars ejus maxima, vomitu vacuanda, in ſtomachum protrudatur; non quidem per vas breve, ab illis enim non admittitur, ſed per alias vias; per inteſtina, puta-

verim, ingredi per pylorum, quod ut nuper vidimus, aliquando corrumpitur, ſicut ſcriptum eſt cap. de Colico dolore, Enarrat. 5. Sed ut ad curationem veniamus, quam in hoc poſitam mihi certum erat, ut craſſi ſucci generatio impediretur; viæ per quas fæx illa ſanguinis erat vacuanda expedirentur, & ut omnis ſtagnans circum viſcera, per intervalla purgantibus dejiceretur, roboranti quoque virtute præditis. Ad primum, rationem vitæ ordinatam imperavimus, ut ab omnibus craſſis, ſalſis, flatuoſis, de quibus ſupra, & ab actu infrigidantibus, abſtineret; præcipue autem, propinati veneni à parentibus ſuſpicionem deponeret: Credebat enim cum nondum conjugatus eſſet, veneno ſe à parentibus infectum, fortunarum ejus ſpe ductis. Ad ſecundum, aperiendis obſtructionibus accommodatam præſcripſi ptiſanam, prius purgato corpore melanagogo pharmaco: juſſi poſtea venam baſilicam utriuſque brachii aperiri, certis quibuſdam diebus, deinde ſaphenam malleoli ſiniſtri & paucis poſt diebus ab uſu remediorum, ſanguiſugas ano applicandas, ut non ſolum venæ ſectionibus fieret humorum vacuatio, ſed & obſtructionum expeditio; ptiſanæ autem aperientis hæc fuit deſcriptio.

℞. Decocti cortic. rad. eryng. parum contuſæ ℥vj. ſalis trunc. fabæ ſcrup. ß. cinam. ʒß. capiat quolibet mane per aliquot dies: Quia autem ſal prædictum non ſemper eſt in manu, poteſt ſumi cineris truncorum fabarum ſuperinjiciendo, prædicti decocti bullientis eryngii ℔j. baculo poſtea movendo, & per manicam transfundendo. Ad tertium, ut excrementum illud nigræ bilis naturam referens, identidem vacuaretur, cum partium roboratione, primo quia æſtas erat, præſcripſi ſyrupum magiſtralem talis compoſitionis, quo tres ſcopi perficiebantur, vacuationis, apertionis viarum, & roborationis partium.

℞. Cort. rad. fraxi. cort. rad. capp. & tamar. ſicco. ana ʒij. recent. an. ℥ß. rad. eryng. gram. rubeæ, fœnic. ana ℥j. folior. borra. cicho. cuſc. agrim. capillat. omnium, eupato. pimp. beton. petroſ. fumi. lupuli, ana mj. flor. cord. tamar. & geniſtæ, ana pj. ſem. ani. fœni. dauc. ana ʒj. azari. ʒij. fiat ex his decoctio in q. ſ. aquæ, coletur, deinde.

℞. Folior. ſenn. mund ℥iij. ſem. coria ʒj. rhab. & agar. troch.

ana

ana ʒij. ſem. cartha. ℥ß. turbith. gumm. ʒij. infun. in aqu. petro. tantæ quantitatis ut ℔j. remaneat; quam cum ℔ß. decoct. herb. & radicum miſcebis, & cum ℥iij. ſerap. roſ. purg. & saccha. q. ſ. coques in ſyrupum perfecte coctum, de quo capiat ℥jß. aut ℥ij. cum juſculo carnium mane qualibet hebdomada.

Aſſumpto, & conſumpto ſyrupo magiſtrali, uſus eſt ægrotans tota hieme hiera Pachii, in forma pilularum, ſumendo ʒj. cum gr. iiij. diagri. aut vj. ut fortiores redderentur, & hoc quolibet menſe, aucta, vel doſi imminuta, ita ut venter ſexies abunde, ad minimum dejiceret. His uſus remediis, Deo dante, perfecte ſanatus eſt, à 35. annis adhuc ſuperſtes, arti doliariæ incumbens.

OBSERVATIO III.

Domina quædam, à triſtitia moroſiori diu male habita, cepit tandem ab hypochondrio ſiniſtro ægrotare, flatuum generatione, excrementorum congerie, & moleſto ſenſu à frigore externo; ad hæc inſomnia, jactationes, & tremor interdum partium omnium lateris ſiniſtri: Intera tumor pilæ mediocris inſtar, in eodem hypochondrio, non longe diſtans è regione ſtomachi; qui quidem tumor, tactu deprehendebatur, & manu ad latus impellebatur verſus ſtomachum, quem ſi attingeret, ut referebat ægrotans, ſtatim caput concutiebatur, velut ſubito terrore percita. Magnum mihi, & aliis Medicis, faceſſivit negotium tumor iſte, quanam in parte hæreret; quæ eſſet ejus cauſa: & devoluto verſus ſtomachum cur cerebrum concuteretur. Non minus laborabant Medici, in vera tremoris cauſa inveſtiganda: Utrum ab affectu idiopathico cerebri: an ab aliquo vapore, ex hypochondrio ſurſum aſcendente. Nam ab utero, menſes ſervabant ordinem, & conſueto more fluebant, quod ex Hippocrate, ſignum eſt, confirmante Galeno, morbos ab utero non accidere: Alio igitur quæranda erat ſymptomatum, & affectuum origo. Primo quidem de tumoris ſede, non magna erat controverſia, in parte mobili conſiſtere, cum ipſe moveretur, in colo ſcilicet hac parte poſito, præcipue qua meſenterio alligatur. Quænam vero eſſet tumoris cauſa, magis erat arduum internoſcere, & adhuc magis, cur

Mulier melancholica laborans tumore in hypochondrio ſiniſtro inſtar pilæ mediocris, quomodo ſanata.

Apho. 57. ſectio. 5.

cur verſus ſtomachum devoluto, cerebrum concuteretur: In tumore aliquid contineri malignæ qualitatis particeps, morbi proceſſus non indicavit, ipſo manente, aliis ſedatis ſymptomatibus, & ſana facta ægrotante: Adde quod cerebri illa concuſſio, aliquando accidiſſet, tumore verſus ſtomachum non devoluto, ex vapore humoris maligni in illo contenti; placebat ideo morbi mineram circa ſtomachum conſiſtere, ex qua, tumore ad ſtomachum impulſo, vel proprio pondere devoluto commota, vapor cerebro infenſus aſcendebat, cujus appulſu ſtatim percellebatur: An autem à fluxione, vel à congeſtione alicujus humoris melancholici, factus eſſet tumor, non bene conſtabat; Primo modo factum rationi magis conſentaneum erat, cum fluxionibus à capite eſſet obnoxia ægrotans: Nam ſi ab humoris melancholici congeſtione tumor extitiſſet, ſanitatem non eſſet adepta manente tumore, cum vel ſcyrrhus, vel cancer remanſiſſet; de genere potius glandularum fuiſſe, exiſtimandum eſt. Quod autem attinet ad tremoris cauſam, videtur aut à fluxione capitis in exortu nervorum hujus lateris, affecta ſpinali medulla, ea etiam parte, aut potius ex vapore, per partes nervoſas hujus lateris ſe diffundente, & eas vellicante; affectus enim cerebri idiopathicus, majoris fuiſſet momenti, ut nobis longa invaletudo demonſtravit, quæ fuit plurium annorum, antequam ægrota ad perfectam ſanitatem reſtitueretur; ideo ſingulatim omnia recenſere, non ſuppeditat infelix memoria, præſertim cum à longo tempore jam bene valeat; præcipua tamen, & obſervatione digna perſtringemus. Paucis igitur poſt diebus à morbi principio, & ſymptomatum prædictorum, febri continua correpta eſt ægrotans, quæ in pulſu magna non videbatur, erant tamen ſæviora ſymptomata, quæ ante febrim infeſtabant, præcipue inſomnia, tremor etiam totius lateris ſiniſtri, bis, aut ter accidit, toto febri decurſu, quæ 20. diem tranſcendit, eoque res devenit, ut in vitæ diſcrimen adduceretur, repetitis tamen venæ ſectionibus parca manu, cucurbitulis ſupra humeros cum ſcarrificatione appoſitis, uſu apozematum aperientium, levibus purgationibus adhibitis, pullis columbarum capiti ſuprapoſitis, ſumptiſque ſomnum conciliantibus, nec ſpretis cardiacis, à febre facta immunis;

nis; ſpes multa profligandæ affectionis primariæ nobis affulſit: Febris enim dum morbos comitatur, non ſolum facit ad periculum; ſed maximum eſt ſanandis hujuſmodi morbis impedimentum, qui calida potius, quam frigida, ad ſui curationem poſtulant remedia. Febri igitur penitus diſcuſſa, ad ſymptomata jam enumerata prorſus eradicanda laboravimus, incipientes à ſyrupo magiſtrali ſuperioris ferme deſcriptionis, qui ut jam diximus, aperit, vacuat, & roborat, eoque per ſex menſes, vere ſcilicet, & æſtate uſa eſt ægrotans: Autumno vero, & hiberno tempore, cum validioribus eſſet viribus, præſcripſi hieram Pachii, cujus facultates in ejuſmodi morbis, mihi rerum uſu perſpectæ erant, de qua in forma pilularum, ter ſumpſit, vigeſimo quoque die, poſtea vero ſemel in menſe, qualibet vice ʒj. cum gr. iiij. diagridii; cujus uſu non parum remiſerunt ſymptomata, tumor autem perſeverabat, ad quem fotus emollientes, & diſcutientes erant præſcripti, nec non & emplaſtra; quocumque etiam devolvebat tumor; caput non amplius percellebatur, licet adhuc quædam eſſent inſomnia, quæ urgente neceſſitate, ad ſomnifera nos cogebant: Cauterium brachio inuſtum eſt, ad fluxionem avertendam; & tibiæ ſiniſtræ, ad derivandum ab hypochondrio. Tempeſtive autem uſa eſt aquis mineralibus. Cumque res domeſticæ in dies melius haberent, moroſitatis cauſa ablata, ſubindeque pharmacis corpore expurgato, omnino eſt ſanata, adhucque vivit pluſquam ſexagenaria, exactis triginta annis à morbi principio.

Observatio IV.

Puella laborans tumore, & tandem ſuppuratione muſculorum abdominis, pro lienoſa habita.

Filiola nobilis cujuſdam viri, ex hujus urbis vicinia, ab eo tempore quo cibis ſolidis ali cepit, frequentibus febribus à vermium ſcaturigine correpta, in vitæ diſcrimen deducebatur. Circa annum ætatis quintum, tumor durus, & magnus depreherſus eſt in hypochondrio ſiniſtro; fortaſſe quod eo tempore, ut vorax eſt puerorum genus, & puellarum, ſe omni eſculentorum genere, præcipue fructibus ingurgitaret; patri enim chariſſima, cuncti omnia illi indulgebant, ſuoque vivebat arbitrio: vel dicendum alicujus humoris deſcenſu, pluries in hanc partem facto, craſſum remanſiſſe, ſubtili reſoluto. Ro-

gatus à parentibus, cum bene valeret, tumorem explorare, quem & ipſi, & omnis generis artis medicæ alumni, tumefactum lienem affirmabant; inſpecto vultu puellæ, qui erat boni coloris, negavi lienem aliquo tumore eſſe affectum, ſed partes potius externas, tumentemque locum pertractans, inveni tumorem eſſe omnino in ſuperficie, digiti enim illum comprehendentes, ſupponebantur ea parte, qua vergebat ad ilia, quod certiſſimum erat ſignum, tumorem in muſculis abdominis conſiſtere. Poſt annum, aut circiter, febri acuta correpta eſt puella, cum tumoris incremento, præ dolore vix tactum ferentis, & quadam inflammatione; facta venæ ſectione ad revulſionem, topiciſque adhibitis, animadverſum eſt tumorem vergere ad ſuppurationem, confectoque pure, molita eſt natura per umbilicum ejus excretionem: Cum autem non valeret exitus expurgandæ materiæ, quæ multa erat, viam ad partes inferiores, paravit ſibi natura per interſtitia muſculorum, tribuſque digitis infra umbilicum collecta eſt materia, de qua variæ erant ſententiæ, non deerant enim Medici, nec Chirurgi; urgebam ego tumoris apertionem videns puellam ad extremum deductam, quæ tandem accerſito peritiſſimo Chirurgo, ferro candenti facta eſt, exeunte materia ita fœtida, ut cum inteſtinis commercium habere, à collegis crederetur, ideoque de ſalute puellæ deſperantibus: Ego vero, demerſos parentum animos, ad ſpem erigens, affirmabam non eſſe deſperandum, de ægrotantis ſalute, nec inteſtina eſſe corrupta, ſed fætorem illum contigiſſe, ex nimia puris jam confecti mora in eo loco, Ideo arcendam putredinem, & cavum carne replendum frequentibus injectionibus, ex aquis vulnerariis ſic paratis.

℞. ariſto. rot. & recentis; antiqua enim nihil vallet, ſed illa quæ inciſa, rhabarbaro inciſo ſimilis eſt. ℥ij. rad. conſol. majo. ℥ß. folior. ophioglo. ſi haberi poſſint, licet ſiccorum, mß. inciſa coque lenta ebullitione vaſe clauſo, in ℔iß. vini albi, ad conſumptionem tertiæ partis, addendo in fine ſacchari ℥iiij. colatura ſervetur ad uſum.

Hoc decocto vulneris cavo abſterſo, pedetentim coaluit muſculorum interſtitium: Sanandis enim vulneribus tam potens eſt hoc vulnerarium, quam quod maxime; non ſinit carnes putre-

trefieri, & in pus converti, nec tumores enaſci, aut inflammationes: Qui eo utuntur, non indigent linteis vulneri ſuperponendis, ſed tantum foliis braſſicæ rubræ, in aqua vulneraria calida parum tabefactis, vulnus identidem eis madefaciendo, tribus poſtea, aut quatuor ſuperpoſitis: Interea purgabatar puella per intervalla, ſed ab omnibus purgationibus male habuit, præter ab iſta, quæ à me præſcripta eſt, vidente aliis ſuas non bene ceſſiſſe.

℞. Rad. eryng. & petroſ. ana. ℥ß. folior. pimpi. beton. agrim. ceterach. ana. mß. flor. borrag. & tamar. ana pj. ſem. ani. & dauci, ana. ʒj. azari. ſcrup. ß. fiat ex his decoct. Acc. ℥vj. in quibus infu. folior. ſen. mund. ℥ß. ſem. coria. ʒß. turbith. gum. tandumdem. expreſſis diſſol. ſerapii roſ. purgatorii. ℥j. & fiat ſyrupus, iterum coquendus lenta ebullitione, quem capiat mane cum regimine.

Hanc purgationem facile ferente ægrota, multæ factæ ſunt doſes pro reliquo morbi decurſu, perfecteque ſanata eſt puellá, nunc viro juncta.

Ea mente hanc ſcripſi ennarrationem, ut oſtenderem non eſſe temere pronuntiandum, de hypochondrii tumoribus, ut à multis fieri ſolet; ſed omnia rite eſſe perpendenda, ex ſitu partium, & ex ſymptomatibus, quæ maxime ab ipſis affectis invehi ſolent, ut eſt faciei color naturalis depravatus, in affectibus jecoris, & lienis ſi conſideratione digni extiterint; Ideo ſi conſtante facie, & ſui ſimili, tumor aliquis, aut alius affectus chronicus in hypochondriis animadvertatur, nullo modo jecur, aut lien afficiuntur: Si autem faciei color naturalis mutatus fuerit, licet in partibus externis tumor, aut aliquid aliud præter naturam tantum ineſſe videatur; interiora ſimul afficiuntur: Quo autem magis à naturali ſtatu vultus receſſerit; eo gravior erit affectus, cujus principia, quo magis ſeneſco, eo ſæpius à fluxione capitis extitiſſe deprehendo, quod cogit me aſſerere, hos omnes tumores inſignes, & in viſceribus obortos, & in aliis partibus carnoſis, qui ad ſuppurationem perducuntur, & ex aliis multos, à fluxione capitis originem ducere, quod etiam deducitur ex Gal. lib. 2. de febrib. cap. ij. nullumque tumorem ex his fieri à congeſtione. Cur enim in jecur, & lienem, &

circum viſcera non defluet humor excrementitius à capite, quemadmodum in pulmones, & in iis inflammationes, œdemata, & ſcyrrhi principia excitare non valebit? Quia autem ſenſim decidit humor ſæpiſſime, quouſque auctus dolorem inferat, non percipitur; ideo in parte congeſtus creditur.

OBSERVATIO V.

Canonicus macilentus & Melancholicus purgatione ſanatus.

Canonicus quidam valde macilentus, & temperamento melancholicus, hac intemperie frigida hypochondriorum laborans, tot flatibus partibus in illis poſitis diſtendebatur, ut in Eccleſia pſalmos concinere non valeret, nec thoracem conſtringere; Perlectis tunc temporis dotibus hieræ Pachii, conſului ut ea uteretur in forma pilularum, addito diagridio, ut ſupra diximus, mirum quantum emolumenti percepit; unde in iis qui ab hypochondriis laborabant ſine febri, & calore in eis præter naturam ſemper uſus ſum hiera Pachii cum felici ſucceſſu.

Mulier quædam Tholoſæ, tumore in hypochondrio ſiniſtro laborabat præcipue verſus matricis latus, ab omnibus ipſius matricis aſcenſus credebatur, manibuſque deorſum comprimebatur, mortua tandem muliere, ejuſque cadavere diſſecto, inſpicientibus cum pudore Medicis, inventum eſt lienis tumorem, illuc præcipue pertingere.

De Hydrope.

CAPUT III.

Lib. 2. de Nat. facul. lib. 2. prog. cap. 1.

Ex communi Medicorum doctrina, poſt Galenum lib. 5. de loc. affec. cap. 7. & pluribus aliis locis, fatendum eſſet nunquam fieri hydropem, niſi jecore affecto, ſive per ſe & primario, ſive ab aliis partibus affectu illi communicato: Sed ex Hippocrate lib. 1. de morb. mulie. & ex his qui lienem aliud jecur eſſe affirmant, craſſioremque chyli partem, ut ſuperiori cap. attigimus, à venis meſeraïcis exuctam, antequam jecur ſubeat, per ramum ſplenicum ad ſe allicere, conficiendo ſanguini materiam, ignobilibus quibuſdam

buſdam partib. abdominis alendis convenientem; Dicendum erit hydropem, etiam invehi per ſe à liene, ipſo jecore illæſo. Hæc opinio, in quam facile diſceſſerim, graviſſimos habet Authores, alteraque validioribus fulcitur rationibus, ut videre eſt apud Sennertum ejus fautorem, & Andream Laurentium alterius defenſorem: In gratiam autem ſententiæ à qua ſtat Sennertus & alii ante illum, hoc eorum addam rationibus; lienem ſcilicet in ſiniſtro latere poſitum eſſe, tanquam in ſua juriſdictione, quemadmodum jecur in dextro; quod à ſolerti natura non eſſet factum, ſi excipiendo tantum excremento comparatus fuiſſet; proxime enim, ut veſicula fellis, jecori admotus hæſiſſet. Si dicatur lienis magnitudinem obſtitiſſe; Reſpondebimus, ideo lienem ad alios uſus factum, quam ad excipiendum excrementum, quod ex Galeno, longe parcius excremento bilioſo, minorem ad illud excipiendum requireret locum. Quod autem fuerit ſententia Hippocratis, hydropem non ſemper exiſtere vitio hepatis, imo potius lienis; patet ex cap. 1. lib. 1. progn. & coac. 1. lib. 2. coac. præcipue autem lib. 1. de morb. mulie. in quo loquens de hydrope, ait lienem è ventre ad ſe aquas attrahere, quibus ſaturatus, & expletus, redundantiam deponit per venas in corpus, & maxime in omentum & loca circa ventrem, & crura, unde hydrops, ſcribitque Duretus ſupra coacam jam allatam, fuiſſe judicium Hippocratis lib. 1. gynæc. omnem aſcitem naſci præeunte liene; contra, eumdem vitari, & abigi diarrhœa cruditatis experte; ideſt, nihil de lienteria, aut dyſenteria redolente. Experientia etiam comprobatur in diſſectione cadaverum hydrope defunctorum, in quibus multoties deprehenditur, hunc affectum non eſſe ab hepate; licet aquis innatans temporis progreſſu afficiatur: Sed à liene, aut alia parte abdominis, ut omento, vel pancreate, quod in diſſectione cadaveris hydropici, totum veſiculis aqua plenis refertum, me præſente, Pariſiis inventum eſt, quod etiam renibus contigiſſe obſervavit Platerus lib. 3. obſer. Idem Duretus, licet ex Hippocrate ſcripſerit, ut ſupra diximus, omnem hydropem fieri præeunte liene, in explanatione tamen prædictæ coacæ, etſi poſtea in coac. 7. ejuſdem lib. fateatur nullam aſcitem oriri ſine conſenſu, & conſpiratione lienis; Docet poſt

Lien hydropis ſæpe eſt cauſa.

Lien non comparatus exipiendo excremento.

Non ſemper hydrops ab hepate.

Galenum ubi ſupra, fruſtrationem operis ſanguificandi, cauſam eſſe communem hydropis; Quod fit vel hepate, ut inquit, impedito, ut in lienteria, diarrhœa jejuni inteſtini, & torminibus alvi, quæ nulla curatione quieſcunt; Fruſtationis vero cauſam alteram, eſſe jecoris alienationem, quæ duas habet cauſas: Unam quidem ipſius exolutionem, quæ atonia dicitur, cum ſcilicet jecur exit de tono ſuo, ſeu œconomia, ſuo defraudatum genio; Alteram vero maraſmum retorridum, ex febri acuta, quæ ſedem habet in hepate, ipſiuſque gratioſum humorem depopulatur, cujus defectu creſcit, durumque efficitur, indeque fruſtratio hæmatoſeos, ex qua hydrops, aſcites ſcilicet; nam de tympanite, ſcribit eum fieri ab intemperie hectica, quam meſenterio, & tenuibus inteſtinis, ilium & lumborum vitia intulerunt; Lumborum quidem ſecundum nervos qui ab ipſis oriuntur, & meſenterium conſtituunt, Tum per communicationem febris acutæ, quæ ſedem habet in vena cava deſcendente, & arteria ſibi ſocia in regione lumborum. Sennertus vero non vult aſcitem fieri vitio hepatis, ſed tantum anaſarcam; in ea enim hydropis ſpecie, inquit, ſanguis frigidior, & aquoſior generatur, & per omnes venæ cavæ ramos diſtributus, facit ut tertia coctione fruſtrata, corpus totum tumidum, & aqua quaſi ſuffuſum reddatur. De hydrope vero aſcite, ut & tympanite, aliter, ait, ſentiendum puto, & Hippocratem procul dubio intellexiſſe anaſarcam, per hydropem qui fit ab hepate; per hydropem vero ab ilibus, aſcitem, & tympanitem: Ideoque vult ipſe Sennertus, ubi ſerum copioſum in ramis venæ portæ ſubſiſtit, in omentum tranſire, per venas in eo diſpoſitas, quarum orificiis apertis, in cavum abdominis deſtillat: hæc Sennertus; Cujus ſententia in quibuſdam recipienda, in aliis vero improbanda: Neque enim mens fuit Hippocratis in prognoſtico, & in coacis, loquentis de hydrope, illum qui fit ab hepate eſſe tantum anaſarcam; nam in prognoſtico, unde coaca prima libri ſecundi eſt deſumpta, loquitur Hippocrates de omnibus hydropis ſpeciebus, quæ fiunt ex morbis acutis; anaſarca vero, & in iis, & magis in morbis longis accidit, nec Interpretes, Galenus, Duretus, & alii, affirmabant Hippocratem intellexiſſe tantum anaſarcam, per hydropem qui fit ab hepate; &

Tympanites fit ab hectica.

Anaſarca ſecundum Sennertum fit vitio hepatis.

& aſcitem, & tympanitem, per eum qui fit ex parte inani, ſeu ab ilibus. Præterea cum quis anaſarca primo laborat, deinde ut ſæpe fit, aſcites ſubſequitur; ſi anaſarca fit tantum hepatis vitio, ut vult Sennertus, licet ex Hippocrate lib. 1. gynæ. poſſit etiam fieri vitio lienis, quis negabit aſcitem, tunc temporis non fieri, cauſa in pejus ruente, & jecore magis refrigerato? Quod vero tympanites, vitio etiam jecoris accidere poſſit, ſicut & lienis, facile exiſtimaverim; licet Duretus, ubi ſupra non ſit in ea ſententia: Nam ſi, ut ipſe ſcribit à febre acuta quæ ſedem habet in vena cava deſcendente, & arteria ſibi ſocia in regione lumborum, ilibus communicato vitio, tympanites hydrops exurgit; Quare febris acuta ejuſdem generis, quæ ſedem habet in jecore, vel liene, tale vitium ipſis non communicabit, unde fiat tympanites: Dixi ejuſdem generis, quia febris ex qua tympanites ſubſequitur, debet hoc habere peculiare, ut fiat ex humore, à quo flatus ejuſmodi facile generentur, ut eſt humor melancholicus, generandis flatibus, etiam ſine febri, maxime idoneus, ex quo purus fieri ſolet tympanites; mixtus vero, ex aqua quæ parit aſcitem, calore quodam in flatus converſa; unde dicitur quod raro eſt aſcites ſine tympanite, & è converſo, ſumpta tamen denominatione à materia prædominante. Quamvis etiam Duretus ubi ſupra, poſt Galenum lib. 2. progn. in explanat. cap. 1. ſcribentem omnis hyprops communem eſſe cauſam, fruſtratam ſanguificationem; Dicam tamen multoties fieri hydropem, nullo modo læſa ſanguificatione; cum quis ſcilicet ex nimio potu, in febribus, in itinere diebus æſtivis, aut alia de cauſa ſitiens, ſubito incidit in hydropem ex nimio potu, ex quo ſæpiſſime facile ſanatur, quod non fieret, inquit Sennertus, ſi jecur eſſet refrigeratum, vultque aquas, antequam in ventris cavum decidant, contineri inter ventriculum, & renes, in ramis ſcilicet, ut alibi docet, venæ portæ: Sed ubi potus nimius ingeſtus eſt, exiſtimo eum paulo poſt venas lacteas ſubire, & ab eis in alias permeare, à renibus non attractus; hæc enim via eſt in diabete, ex Thomæ Bartholino; cent. 5. hiſto. 30. per quam quæ bibuntur, ſtatim ad renes, & veſicam perveniunt, & meiuntur; ſicut per ſanitatem, cum renes valent, nec viæ obſtructæ ſunt, aquæ minerales, & a-

Hydropis cauſa ſæpe eſt potus nimius.

lius

lius potus liberaliter ſumptus, ex vino, cereviſia, aut pomorum liquore: Aqua vero pura nimium pota, ſua frigiditate partes debilitans, vias denſando ſibi præcludit, & à renibus non attracta, nec interdum à liene, & etiam jecore, propter eorum morbos, vel ejus abundantiam, ſtagnat in ejuſmodi venis, in aliaſque vicinas penetrat; à quibus per anaſtomoſim, & partim per diapedeſim, ſtillat in ventris capacitatem, qui repletur aqua, niſi arte educatur, aut à natura expultrice foras expellatur; Neque hoc ſolum accidit, ſi aquæ morentur, ſed viſcera pedetentim afficiuntur, hepar, & lien, attractis aquis, his autem præcipue, ſine quo nullus aſcites, ut ſupra diximus, eo quod aquas è ventre & ſtomacho attrahat, & per venas in corpus, & præcipue in omentum tranſmittat, ex doctrina Hippocratis ſuperius allata: Unde colligitur fluxum ventris perſeverantem ſine levamine, in hyprope qui fit ex parte inani; ſive ex morbo acuto accidat, ſive ex alio morbo, primario fieri lienis potiſſimum affectu, qui aquis attractis ſaturatus, eas tranſmittit in omentum, per propagines quæ à ramo ſplenico ad ipſum pertinent: Cum autem omentum, ut verbum epiploon ſonat, inteſtinis ſupernatet, aquis repletum, ea quibus incumbit refrigerat; ipſis refrigeratis, & eorum calore naturali imminuto, functiones naturales debilitantur, coctrix præcipue, & retentrix; unde fluxus ventris diutinus, non exolvens dolorem, nec molliens ventrem, ut inquit Hippocrates in prognoſtic. Ubi licet loquatur tantum de hydrope, qui fit ex morbo acuto, in quo jejunum, & meſenterium, phlegmone, ex Galeno, laborant; mihi potius videretur ex phlegmone harum partium, ileon invehi quam fluxum ventris: Quapropter facile crediderim, in hydrope ex parte inani, qui fit à morbo acuto, in quo fluxus ventris perſeverat ſine levamine, ipſum quidem fieri jejuno, & meſenterio inflammatione interdum affectis; hoc vero primo & per ſe, jejuno autem propter vicinitatem, cujus venæ debiles fiunt, ut ait Galenus, per quas jecur ad ſe trahit alimentum; ita fit ut nequaquam ſubſerviant viſceri ad diſtributionem, neque maneat in jejuno, tenuioribuſque inteſtinis alimentum: Quod ſi graventur ab eo, utpote debilia, id omne pellunt deorſum; atque hæc alvi fluoris cauſa eſt. Quin etiam cor-

Aqua pura nimium pota, partes debilitat.

Hydrops quæ a diuturno alvi fluxu non ſolvitur, fit a liene.

corrumpi alimentum, biliſque colligi copiam veriſimile eſt; ob calorem partium quæ inflammatione vexantur, & ob eam rem inteſtina admodum mordentur, proindeque excitantur, ad excernendum contenta in ipſis excrementa; atque hæc rurſus cauſa diarrhœæ eſt. Hæc ex Galeno. Quæ quidem, diarrhœæ ſcilicet cauſa, oriri poteſt in morbo acuto, inflammationis experte, ideoque non eſt ſimpliciter pronunciandum, fluxum ventris in hydrope, de quo hic agit Galenus, eſſe à phlegmone jejuni inteſtini, una ex volvuli cauſis, in quo nihil dejicitur; ſed à morbo acuto, qualiſcumque ille fuerit, qui inteſtina gracilia debilitare valet; ſicut etiam fit ex eorum refrigeratione, ab omento aquis referto, ut ſupra demonſtravimus: Non eſt tamen negandum, in hydrope à propria hepatis refrigeratione, ejuſmodi fluxum ventris poſſe ſupervenire, aquis in omentum, vel pancreas, vel meſenterium tranſmiſſis: Nam cùm Hippocrates ait, ventrem non dejicere niſi dura, in hydrope qui fit hepatis vitio, loquitur tantum de eo qui exiſtit à morbo acuto, quem Galenus ſedem habere in hepate, inflammatione alimentum torrente, inteſtinis, nec meſenterio affectis, ſcribit: in alio vero hydrope, à propria jecoris refrigeratione, inteſtinis, & meſenterio, facile poteſt communicari refrigeratio, ex qua debilitas facultatum, & inde diarrhœa. His ita enodatis, de parte præcipue affecta in hydrope; ad curationem veniendum, quæ duobus, quantum ad pharmaciam, perficitur auxiliis: Aquarum eductione; & partis à qua generatur corroboratione. Aquarum eductio juvatur victu exſiccante, & præcipue abſtinentia potus, quo ſolo multos ſanatos fuiſſe narrant hiſtoriæ. Cum autem collectio aquarum in hydrope tripliciter fiat, ut inquit Duretus; Nimio potu, bullarum ruptione, & febris abſceſſu, cum materia febris cauſa deponitur in ventrem: operæ pretium exiſtimaverim ſcire, quomodo hydrope laborans in hunc inciderit. Nam ſi ex nimio potu affectio ſequuta eſt, ſintque viſcera integra, & robuſta; ſola potus abſtinentia, aut ſola potentis hydragogi exhibitione curari poteſt: Si ex nimio potu, non ſolum aquarum in ventre facta eſt collectio; ſed & viſcus aliquod refrigeratum fuerit: Quo major refrigeratio; eo majus negotium erit in curando: Ita ut & repetenda ſint hydragoga,

Victus exſiccans & abſtinentia potus optimus in Hydrope.

goga, & roborantis uſum, frequentem eſſe oporteat; ne quantum aquæ prima, aut ſecunda vice ſubſtraxeris, tantum tibi debile viſcus ſuppeditet; quod in omni hydrope maxime venit conſiderandum. Si aquarum collectio in ventre, fiat ruptione bullarum, quæ excitantur nimia in viſcere exiſtente aquæ abundantia, viam ſibi quærente, difficilis admodum, & ferme impoſſibilis curatio: Nam ſi ulcera in corpore hydropicorum exorta, difficile ſanantur ex Hippocrate; à fortiori intra corpus, & in ſubſtantia molli alicujus viſceris: Maximum etiam ſane vitium labes, & corruptio viſceris, quod, ut inquit Fernelius, etſi omnem noxium humorem ſubſtraxeris, manet in viſcere. Quod cum acciderit in hydrope, aut ſaltem refrigeratio ad extremum deducta; quantum diureticis, aut hydragogis, aut alio modo, aquæ ſubſtraxeris; tantum generabitur à viſcere tali modo affecto: Hoc tamen in principio; cum ægrotus curandus ſuſcipitur, non facile cognoſcitur, ſed procedente morbo, & quibuſdam adhibitis remediis; Quare Medicum accedentem ad hydropicum ſanandum, non oportet penitus de ſalute deſperare; nec de certa ſpe valetudinis recuperandæ pronuntiare, donec periculum fecerit, utrum integra ſint viſcera, aut ſaltem non admodum refrigerata, quin ad priſtinum ſtatum reduci poſſint, quod ex juvantibus auxiliis indicabitur, natura ex his melius habente, aut ſaltem in pejus non ruente. Si febri tamen ſupervenerit hydrops, præſertim continuæ, raro ſervantur ægroti, & multo minus ipſa perſeverante; à febri enim, aut ejus cauſa, aliquod ex viſceribus male affectum eſſe ſignificatur; ipſo vel corrupto, aut nativo ejus calore exoluto, quæ tandem rapiunt ægrotantem: etiam ſi à quibuſdam aliis ſignis, ſpes ſalutis promittatur: Præterea febris refrigerantia poſtulat; hydrops calefacientia; ita ut ſi uni mederi velis, alteri noceas: At in hoc indicationem pugnantium concurſu, amborum, quantum fieri poteſt, habenda eſt ratio, magis tamen hydropis; calida enim naturæ noſtræ frigidis amiciora, majuſque impendet periculum ab hydrope, quam à febre, ut plurimum, & in roborantibus, ut inquit Paracelſus, non ſunt reſpiciendæ primæ qualitates. Si igitur hydrops cum febre continua, qualiſcumque ſit generis, curandus ſuſcipitur, magna cum prudentia agen-

Apho. 8. ſect. 6.

Viſceribus bene conſtitutis, aut non nimium refrigeratis, magna ſpes curationis affulget.

gentis, infelices primo nuntiantes eventus, & curam difficilem. In venæ ſectione quæ ratione febris permittitur, vires, & naturam morbi, maxime reſpicietis, parca manu ſanguinem detrahentes, partitiſque vicibus, ſi plus quam ſemel detrahendum. De purgantibus autem, nulla intercedit difficultas, quin exhibeantur, non ſolum bis, & ter, ſed pluribus vicibus; neceſſitas enim ducendi aquas, nulli cedit indicationi, nec in hoc caſu leniter purgandum; eligenda tamen ſunt quæ minori cum moleſtia id efficiunt, ut eſt ſuccus radicis ebuli, congrua tempeſtate collectæ, juſta doſi exhibitus, ut docebitur in Enarrationibus. Cum æger eſt à pharmacis maxime averſus, poteſt exhiberi magiſterium rad. jalap à gr. xv. ad xviij. ita ut venter decies ad minimum dejiciat, quod eſt advertendum in hydropicorum purgationibus; abundat enim humor purgandus, quem facile natura demittit ſibi moleſtum, ideo abunde vacuandus. Magiſterium rad. jalap, docetur à Schrodero in ſua Pharmacia, quod conficit eliciendo tincturam cum ſpiritu vini, ſupra quem poſtea injiciendo aquam, præcipitatur in fundo magiſterium, quod reſinoſæ eſt ſubſtantiæ, longe minori moleſtia purgans, ipſo radicis pulvere. Semen etiam ebuli potenter aquas ducit, præſertim quo recentius. Cum à nigra carne mundatum eſt, debet in aquam injici, ut omne quod ſupernatat abjiciatur; tunc in mortario marmoreo, ℥j. pondere contuſum, ſumitur cum vino, juſculo, aut alio liquore: vel cum ſyrupo in formam opiatæ redactum manducatur, ingrati enim non eſt ſaporis: Si quis tamen oleum extraheret ex ſemine, gratiſſimum efficeret medicamentum, quo nobilis quædam mulier Benearnenſis, ab hydrope liberata eſt, aquis eductis, cum juſculo in quo impoſitum fuerat oleum. Si igitur hydrops ſit cum febre continua, audacter purgantibus aquas utendum, viſceraque roboranda: Dentur apozemata, aut decoquantur ſimplicia in juſculo carnis in hunc modum.

Parca aut nulla venæ ſectio inſtituenda licet febris indicare videtur; purgantia vero ſæpius exhibenda.

Semen Ebuli potenter aquam educit.

℞. Carnis vervecinæ, hædi, aut pulli; fruſtuli jecoris, aut ſplenis, ſi ſplen ægrotare videatur, ana q. v. decoque in ℔ij. aquæ quouſque omnis ſpuma ablata fuerit; adde poſtea rad. gram. cicho. & eryng. ana ℥ß: folior. agrim. utriuſque cicho. hæpat. ling. cerv. & ceterach. pro ſplene, ſummit abſyn. pont.

Juſculum in Hydrope proficuum.

 ana

ana mß. flor. roſ. pj. ſpicæ nardi ſcrup. j. paſſul. exacinatarum ℥ß. ſem. petros. & ſem. frigi ana ʒj. cinam ʒij. ſine ad tertiæ partis conſumptionem fervere, pro tribus doſibus mane & ſero.

℞. Pulver. diarrho. Abbat. aut trias. pro ratione caloris febrilis, pulver. abſyn. pont. ʒß. ex aliorum ſingu. ʒij. ſyru. de cichor cum rhabar. q. ſ. ad opiatæ conſiſtentiam, de qua capiat quolibet mane ad nucis magnitudinem per multos dies, ſuperbibendo parum aquæ cicho. in balneo mariæ deſtillatæ. Vel quod horum vicem ſupplebit.

℞. Rhabar. ʒij. infunde in aquæ cicho ℔j. bibat de expreſſo ℥iiij. quolibet mane, renovando infuſionem quandiu opus fuerit.

In febribus longis qualiſcumque generis, à quibus perfectam ſanitatem, vix recuperare poſſunt ægrotantes, non ſatis laudari poteſt hoc medicamentum: Cetera videbuntur in Enarrationibus; ideo hic ſuperſedebimus.

PROGNOSTICA.

Omnis hydrops, ſi ex acuto morbo exiſtit mala eſt, neque enim ſedat febrem, ſed dolorem admodum infert, & mortem Hippoc. cap. 1. 2. Progn. & in coac. 1. cap. 19. lib. 2.

Epilepſia hydropicis funeſta. Hippoc. in coac. 5. cap. 19. lib. 2.

Hydrope laborantibus, ulcera in corpore facta difficile ſanantur Hippo. aphor. 3. ſect. 6.

Hydrope laboranti, ſi aqua è venis in ventrem fluat, ſolutio morbi ſcilicet. Hippocrat. aphor. 14. ibidem.

Quibus tormina, & circa umbilicum dolores, & lumborum cruciatus, fiunt, qui neque pharmacis, neque aliter ſolvuntur, in hydropem ſiccum firmantur. Hippo. aphor. xj. ſect. 4.

Suppurati, & hydropici, quicumque uruntur, aut ſecantur, ſi pus aut aqua confertim effluat, omnino moriuntur. Hippo. aphor. 27. ſect. 6.

Hydropicis tuſſis ſuperveniens, malum. Hippoc. apho. 35. ibidem.

Quibus jecur aqua repletum, in omentum eruperit, iis venter aqua repletur, & moriuntur. Hippo. aphor. 55. ſec. 7.

Inci-

Incipiente hydrope, alvi profluvium ſine cruditate, morbum ſolvit. Hippo. lib. 2. coac. cap. ix. coac. 8.

Leucophlegmatia detento, fortis diarrhœa ſuperveniens, morbum ſolvit. Hippo. aphor. 29. ſect. 7.

In ſicco hydrope ſtranguria prava eſt; ac prava quoque urina quæ hypoſtaſim habet exiguam. Hippo. lib. 2. coac. cap. ix. coac. 4.

Hydropicum febre, urina pauca, atque turbida, pernicioſa. Hippoc. lib. 2. coac. cap. ix. coac. 7.

Hydrops qui Medicinæ cedit, & revertitur, deſperatus. Hippoc. ibidem. coac. xj.

Quo magis inveteratus eſt hydrops, eo curatu diciffilior.

Quanto lotii minus redditur; tanto deterior hydrops.

Abſceſſus, vel maculæ in cruribus erumpentes lethales in hydrope, ex Hippocrate 7. epidem. loquente de Bione, & Cteſiphone.

Omnis hydrops qui alteri morbo ſuccedit, altero periculoſior; & præſertim ſi morbus ſit chronicus.

Hydrops à tumore hepatis, periculoſior illo, qui fit lienis vitio.

Hydrops à tumore horum viſcerum, incurabilis; magis tamen jecoris, quam lienis.

Fluxus ventris in hydrope, qui nihil proficit, peſſimus.

Anaſarca diuturnas febres potiſſimum excipit, vitioſumque ventriculi habitum, & nimium fluentes menſes, aut hæmorrhoïdes, nec non immodicas vigilias, & incipientem viſcerum intemperiem frigidam.

Tympanites ſupervenit, etiam longis febribus; imo in quibuſdam acutis ſequitur languores ſtomachi, ejuſque, & inteſtinorum inflammationes, & ſcyrrhos jecoris, ventriculi, uteri, & peritonæi, ſicut & inflationes coli, & ſtomachi.

Aſcites ſuccedit anaſarcæ, excipit tumores duros, vetereſque jecoris, lienis, uteri, meſenterii, ardentiſſimas febres, ſubitam jecoris refrigerationem, diuturnam auriginem, ſanguiniſque largam profuſionem, aut ſæpiſſime repetentem.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

Observatio Prima.

Hydrops a ſcabie intro-pulſa.

Vir quidam ruri habitans, accerſivit me ab hydrope curandus, in quem ſcabie intro unguentis repercuſſa inciderat; lecto detinebatur propter ventrem, qui in maximam molem increverat, huic ſtatim cum regimine, tale præſcripſi hydragogum.

℞. Succi rad. ebuli ℥ß. rhabar. ſcrup. j. pulver. electu. diacartha ʒß. cum parum aquæ cicho. fiat potio, capiat mane.

A purgatione, imperavi ut quolibet mane tribus horis ante cibum, & jejuno ſtomacho, caperet de opiata ſequenti, ad parvæ nucis magnitudinem, parum vini ſuperbibendo, quam ita deſcribit Bayrius.

℞. Eupat. ſpicæ nar. cinamo. ſchæn. caryoph. rubeæ, ſem. petroſ. & apii ana ʒiiij. liquir ʒij. rhabarb. ʒiij. maſtic. laccæ illotæ ſpod. roſar. rub. ariſto. rot ana ſcrup. iiij. trita, & per incerniculum tranſmiſſa, cum melle deſpum. miſc. fiat opiata.

Poſt circiter dies duodecim à prima purgatione, præſcriptum erat Pharmacopœo, curam ægrotantis habenti, ut propinaret illi ſecundam purgationem aucta doſi, quo peracto venter omnino receſſit, utenſque ægrotus reliquo opiatæ jam præſcriptæ, una quadrageſima liberatus eſt; menſe enim Martio radix ebuli potentiſſimæ eſt virtutis, quo tempore hydrops curari inceperat.

Observatio II.

A nimia ingurgitatione fructuum horariorum, Febris tertiana, Hydrops & Epilepſia.

Hujus urbis adoleſcens, profectus in villam tempore vindemiarum, fructibus hoc tempore maturis ſe ingurgitans, incidit in febrem duplicem tertianam, in qua Pharmacopæi conſilio, venæ brachii ſemel, atque iterum ſecta eſt, ſumptumque medicamentum purgans; Cum autem male ſe gereret, præcipue in largo potu aquæ acinatæ, ſequutus eſt hydrops, quod videns ejus pater, ut facilius quæ ad curationem neceſſaria forent adhiberentur, filium ægrotantem in urbem reducendum curavit, ab eoque rogatus ut illum viſerem: Accedens ad ægrotantem, totum corpus valde tumidum aſpexi,

aſpexi, præcipue ventrem, & faciem, cum febre duplicem tertianam non amplius redolente, nulla enim erat intermiſſio, nec exacerbationes quotidianæ cum frigore, ut antea; quod me præſens periculum cognatis prædicere coëgit, à quibus certior factus de omnibus, quæ acta erant, tum ab ægrotante, tum ratione ejus curationis; ſtatim à medicamento hydragogo orſus ſum, quod talis eſſet naturæ, ut non ſolum hydropi, ſed etiam febribus intermittentibus profligandis, qualis hæc fuerat, eſſet idoneum, ut eſt pulvis cornachini, qualis hæc fuit formula.

℞. Diagr. vapo. ſulph. caſtigati gr. viij. antim. deton. gr. vj. criſt. tartari gr. iij capiat mane cum juſculo, radicib. diureticis alterato.

Hac purgatione, alvus quater abunde dejecit, aquis bilioſis exeuntibus, à quibus manus, & brachia parum detumuerunt. Interea pro potu ordinario, præſcripſi eryngii decoctum, quia grati eſt ſaporis: Cum autem prima purgatione, venter non eſſet ſatis abunde ſubductus, ut decet hydrope laborantibus, quatuor aut quinque diebus exactis, cogitavi de ſecunda, & fortiori exhibenda, ex eodem pulvere, hac doſi.

℞. Diagr. vapo. ſulph. caſtigati gr. x. antimo. deton. gr. xij. criſt. tartari gr. iij. fiat pulvis, capiat ut ſupra dictum eſt.

Hæc purgatio, quamvis altera validior, minus duxit alvum, tamen poſt aliquot dies, febris omnino dimiſit, quæ tertio die reverſa eſt; culpa fortaſſe ægrotantis, ſeu potius ejus matris, in omnibus illi indulgentis. Interea ad viſcerum roborationem, præſcripta erat opiata Bayrii ſupradicta; qua toto morbi tempore, quod fuit quatuor menſium, uſus eſt ægrotans, morſulos quotidie ſibi parans cum pulvere ſacchari, præter in diebus epilepſiæ, ut poſtea dicetur: Secunda purgatione votis non reſpondente, licet prima fortiori, medicamentum mutare decrevi: Cumque alias ſuccus radicis ebuli mihi bene ceſſiſſet, ut ſuperiori Enarratione relatum eſt, ejus utendi deſiderio flagrabam; ſed tempeſtas nondum aderat, ut in ſupradicto ægrotante, qui purgationibus ex ſucco rad. ebuli, uſus fuerat menſe Februario inclinante, & menſe Martio; quo tempore, potenti ſucco ad purgandum, valde prægnans eſt radix; ſicut & aliæ

quæ

quæ in eumdem finem expetuntur: At in hoc ægrotante erat tunc dies tantum decimus Novembris; hac de cauſa, malui uti potius ſucco radicis iridis noſtratis, quem hoc tempore, alteri longe præſtare exiſtimabam; ideo hanc ad periculum faciendum præſcripſi doſim ſequentem.

℞. Succi rad. irid. noſtrat. ʒvj. mannæ, propter ejus aſperitatem ſtumacho gravem, ʒij. cinamo. ʒß. fiat potio mane ſumenda, cum regimine, qua venter, ter aut quater tantum dejecit.

Ante hanc purgationem, quia mulier bene habuerat uſu decocti cort. mediani quercus, conſulueram ut ægrotus eo pro ordinario potu uteretur; roborat enim vi aſtringente, & urinas movet indita proprietate, ut in ægrotante probatum erat. A proxima purgatione ex ſucco iridis; licet non multæ fuiſſent dejectiones, venter, & reliquum corpus parum detumuerunt, excepta facie, quod mihi anſam præbuit, paucis poſt diebus aucta doſi, aliam ex eodem ſucco propinare, in hunc modum.

℞. Succi rad. irid. noſtrat. ℥ij. mannæ calab. ʒiij. fiat potio cum regimine ſumenda. Res inaudita! omnes purgationes aucta doſi, præter ultimam, ventrem minus ſubduxere.

Ut autem varietas occurret moleſtiæ, ex ſucco iridis purgationem parari juſſi, dando ℥iij. quæ minus alvum ſubduxerunt, quod me induxit, ut inter purgantia medium interjicerem enema diſcriptum, & probatum à Valleriola in obſervationibus.

℞. Urinæ pueri impubis ℔j. fermenti veteris, ℥iß. ſalis pj. mellis ℥j. fiat enema.

Ter jam purgantium doſi aucta, rebus non bene mihi cedentibus, novum, & alterius generis quam prædicta, eligere ſtatui, quo tempore ingruente nocte, inſultu epileptico correptus eſt ægrotans, mortis proximæ ſignum eſſe, patre, & matre exiſtimantibus, nec mirum, epilepſia ex Hippocrate in coacis, Hydropicis funeſta: Ideo quam citiſſime vocatus, ex relatis quid rei eſſet ſuſpicatus ſum: Cum autem me præſente, iterum, atque iterum, inſultus epilepticus invaſiſſet, & gravioribus paroxiſmis, nigra evadente facie, dentibuſque lingua multis in locis vulnerata, ſpretis quæ ad hydropem fiebant pro tempore, ad epileptica confugimus, potionemque propinandam curavimus

mus ex aqua pœoniæ, theriaca, & ſpiritu vitrioli, quæ habetur cap. de epilepſia, qua tribus etiam diebus, ad præcautionem uſus eſt frequenter ægrotus ex cochleari; nec ab illa nocte reverſus eſt paroxiſmus epilepticus; ſed per octo dies manſit ægrotans quaſi ſtupidus, & velut infans; ita ut dubitaretur, utrum fieret, iterum mentis compos. Reſtituto ægrotante in ſtatu, in quo fuerat ante epilepſiam; de nova & alterius generis, ut jam dictum eſt, purgatione, decernebam, invito patre, qui omni ſpe de ſalute filii amiſſa, aut ſaltem epilepſiæ obnoxium fore, omnia in caſſum fieri affirmabat, rogabatque ne tot remediis torqueretur: Ego vero inſtabam filium non eſſe deponendum quamdiu vel tantilla ſpes recuperandæ valetudinis affulſiſſet; fidendum ætati illius, nec in hominum ora abeundum, qui præpoſtere de rebus ſemper judicant; ejus epilepſiam eſſe de genere illius, affirmabam, quæ fit à vermibus, quibus, & eorum ſcaturigine ejectis, ſedatur, & omnis abit ejus diſpoſitio: Addebam non eſſe mirandum, ejus filium hydrope laborantem, epilepſia correptum fuiſſe; cum recedente parum, totius corporis tumore, faciei qui magnus erat, in eodem ſemper ſtatu permanſiſſe, quod caput, & cerebrum aquis perfuſum, indicabat, quæ tandem corruptione, aut alia de cauſa, qualitatem cerebro infenſam induentes, graviſſimi hujus ſymptomatis cauſa fuerant, ut ab ipſis cerebrum ſe expediret, meliuſque in poſterum haberet; hujus rei certiſſimum eſſe argumentum, quod ægrotans ab affectu lethargico, octo dierum, qui epilepſiam ſequutus eſt, magis quam antea cibos appeteret, magiſque alacer factus eſſet, quod admiratione dignum erat; ideo non eſſe deſperandum de ſalute, à natura adjuta, quæ adhuc ſtabat contra morbum. Cum autem corporis moles imminuta, ſubinde in eundem ſtatum reverteretur, abſente parte, favente tamen altero parente, alterius generis, quam prædictas, purgationem eligere ſtatui, ut tandem idonea occurreret: Non ſolum enim, ut inquit Meſue, purgans medicamentum eligendum; ſed naturæ noſtræ, & temperamento accommodatum, quod cum niſi rerum uſu agnoſcatur, pluribus eſt utendum, quouſque aptatum inveniatur; Ideo ex jalap, quo nondum uſus fueram, præſcribere volui.

 ℞. Pulv.

℞. Pulv. jalap. ℥j. cinam. tenuior. ſcrup. j. capiat cum juſculo, propter febrim continuam, ſerotinis horis ingraveſcentem.

Hæc purgatio, bis, aut ter tantum duxit alvum, quæ aucta doſi ad ſcrup. iiij. non magis mota eſt; quod me in admirationem rapiebat, inſcium unde aucta doſi ejuſdem purgantis, jam quater, minores extitiſſent dejectiones: Nihilominus ſatis mihi erat animi, ad parentes ad ſpem erigendos, quod in ægroto ſtaret ciborum cupiditas, & in facie alacritas quædam inſideret non ſolita; unum erat mihi etiam ſolatium, purgantia exhibita, incrementum ſaltem prohibuiſſe ægritudinis, imo parumper levatum eſſe; licet ſemper lecto detineretur æger. Scrotum quod antea tumefactum erat, omnino detumuerat; paucis tamen poſt diebus, in maximam molem increvit: Exiſtimans naturam, exitum aquarum per hanc viam moliri, placuit ut vocato Chirurgo, funiculus xylinus, acu per ſcrotum traduceretur, idoneum aquis hydropicorum educendis remedium, præcipue juvenibus; ſenibus autem periculoſum, propter gangrenam, quæ ſæpiſſime iis accidit, ex defectu caloris: licet etiam timenda in juvenibus, ut in ægrotante iſto formidavimus, non parva ſuborta inflammatione. Hoc remedii genus parum nobis profuit, exigua, præter ſpem, aquarum quantitate excreta, cito, & paulatim areſcente ulcere, quod me in novi auxilii exhibitionem adduxit; in aquæ ſcilicet ſtillatitiæ radicis ebuli uſum, quo ſciebam circa Bliterenſem civitatem, mulierem à Medicis relictam, fuiſſe ſanatam à quodam fratre Ordinis ſancti Benedicti. Interea dum paratur aqua, quia venter non recedebat, ut optabam, nec anaſarca, quæ magna erat, præcipue in pedibus, præſcripſi doſim pulveris Cornachini, addito turpeto, ſumendam in juſculo diſſolutam.

℞. Scammo. vapore ſulph. caſtiga. gr. xi. ſtybii deton. gr. x. criſt. tart. gr. iij. turbith. ſcrup. i. capiat cum juſculo.

Hæc potio, ſicut præcedentes, non bene reſpondit optatis, quia in hydrope, debet alvus multum dejicere, ut jam diximus; alioqui magis aquæ ſuppeditatur à fonte, quam à medicamento vacuatur, ſicque res, aut in pejus ruunt, aut ſi tantum

tum vacuatur, quantum gignitur in eodem ſtatu permanet, ut longo tempore factum eſt in noſtro ægrotante, quem firmis fuiſſe viſceribus exiſtimandum eſt. Parata aqua rad. ebuli, ſumpſit ægrotans mane trib. horis ante paſtum ℥iiij. quatuor conſequutis diebus, cujus uſu maximum percepimus levamen: Nam & in geſtu, & in loquela, & in facie, omnia alacriora facta ſunt, & partes carnoſæ minus tumentes. Quia autem ventris ſtabat moles, licet imminuta, cum jam inſtaret principium anni, ideoque tempeſtas idonea utendi ſucco radicis ebuli, qui mihi bene ceſſerat in hydropico ſuperioris enarrationis, & in ægrotis infra ſcribendis, decrevi ex eo purgationem ſorbendam præſcribere ex ℥i. ſucci radicis ebuli, & ſcrup. i. pulveris rhabarbari, qua cum multum venter non deieciſſet, non fuit in animo eam aucta doſi iterare, cum ſatis eſſet ℥i. ſucci, exiſtimanti radicem, nondum eſſe principio Januarii multo ſucco prægnantem, quemadmodum in fine Februarii, & toto menſe Martio; Ideo compoſitam purgationem præſcribere ſtatui in hunc modum.

℞. Polyp. quer. & rad. ebuli ana ℥ß. vel ſem. ebuli, ſi ſit æſtas, ʒj. folior. cicho. agrim. eupat. ana mß. ſpicæ, abſynth. pon. ana pj, ſem. apii & petroſ. ana ʒj. fiat ex his decoct. infun. in q. ſ. turbith, & jalap. ana ʒß. diagr. vapo. ſulph. caſtig. gr. xij. ſtyb: deton. gr. x. caſſiæ recenter extractæ ʒij. fiat potio, quæ giganti purgando ſufficiens erat, quater tamen, & poſt prandium, abunde autem alvum duxit; quod non mihi ſatis erat, licet videretur res ægrotantis in melius abire. Tandem circa finem Januarii, iterum propinandam curavi eandem purgationem, additis ʒiij. foliorum ſennæ in infuſione. Res inaudita: mediam partem potionis ſorbendo effudit ægrotus, tot purgationibus faſtidioſus, decies tamen, & amplius, ventrem exoneravit: ex quibus dejectionibus tantum levamenti perceptum eſt, ut nullo amplius medicamento aquas ducente opus fuerit, niſi quod per octo dies, aut circiter reliquum opiatæ roborantis vorando, ut ſolebat, abſumpſit, perfecteque ſanatus eſt; quod omnes qui in morbi decurſu inviſerant pro miraculo habebant, nec temere: Nunc vero optima valetudine fruitur,

egregius curiæ ſecundarii juris Conſiliarius; nec ab eo tempore, quod ſciam, ullam paſſus eſt ægrotationem.

OBSERVATIO III.

A dolore colico hydrops, & ab errore in diæta recidiva.

Chirurgus quidam hujus urbis vicinus, ætate 30. annorum, colico dolori à quibuſdam annis obnoxius, incidit tandem in hydropem; ventris tumor non ita magnus erat, quin per oppidum deambularet; febris nulla infeſtabat. Cum autem colici dolores hydropem præceſſiſent, extimabam ſecundum doctrinam aphoriſmi. Quibus tormina adſunt & circa umbilicum dolores, &c. eum eſſe de genere tympanites; perſuaſus etiam parvo ventris tumore, qui ſemper major eſt in aſcite, niſi in ejus principio, ut in iſto ægrotante, in quo colici doloris cauſa, quæ ſemper frigida eſt ex Galeno, refrigeratis tandem viſceribus, hydropem invexit aquoſum, ut à juvantibus ſumpta eſt indicatio: Nam cum æſtas eſſet, tempeſtas utendi radicum ſuccis purgantibus inepta, eorum loco, doſi pulveris Cornachini præſcripta, in juſculo ſumenda, magnam partem aquarum eduximus, ex quarum vacuatione melius habens ſententiam mutavi, non dubitans de aſcite; ideoque incumbendum hydrogogis, de quibus ſupra, cum aliquo roborante quod talis fuit deſcriptionis.

Apho. xi. ſect. 4.

℞. Eupat. ſpi. nard. cinamo. ſchœn. rubeæ, rhab. abſyn. pont. ana ℨiij. ariſto. rotun. azari ana ℨj. roſ. rub. ℨß. jecoris, aut ſplenis bovis, ſecundum partem affectam ℨij. cum melle deſpu. fiat opiata, de qua capiat quolibet mane trib. horis ante paſtum, ad parvæ nucis magnitudinem, parum vini ſuperbibendo.

Per id tempus, quo opiata utebatur, quibuſdam interjectis hydragogis, circa finem Septembris ſanatus eſt. Cum autem vitæ modum illi præſcriptum non obſervaret epulando cum amicis, vinum dulce potans liberalius, & eſculentis pro ratione potus ventrem replens; circa principium Novembris, iterum incidit in hydropem, longe præcedenti graviorem; monſtroſa enim erat ventris moles cogens illum ſe continere intra cubiculum, ad ignem fere ſemper ſedentem. Iterum vocatus, auditiſque in quibus ipſe peccaverat, multis proſequutus ſum objurgationibus; non pudere illum, virum Chirurgum, rerum momen-

menta ſcientem, talia præſtitiſſe: Affirmans in poſterum magis ſibi eſſe providendum, niſi perire vellet, quæ imperaſſem, omnia promiſit ad amuſſim obſervaturum; unde iterum in priſtinum ſtatum reſtituere aggreſſus ſum, conſulens quantum fieri poſſet, potus abſtinentiam: bibere autem ſi cogeretur, decocto eryngii vino albo tenui diluto, uteretur parvo hauſtu, rebuſque aſſis, & coctu facilibus cum ſobrietate. His præceptis, & reliquis ad vitæ modum conducentibus, hydragogum præſcripſimus ex ſucco rad. iridis noſtratis, addita manna, propter ſucci aſperitatem ſtomachum lædentem, ut jam diximus, à doſi mediocri incipientes, deinde ad majorem, prima votis non ſatis reſpondente; à quibus meliuſcule habuit. Interea ſtatim à prima purgatione, opiatam qua prima vice uſus fuerat, ad roboranda viſcera, præſcripſimus, octavo quoque die propinantes pharmacum aquas ducens. Licet autem autumno, magnæ præcipue radices colligantur; hoc fit ad earum ſepoſitionem, quia æſtate ſucco vacuæ, eſſent invalidæ; vere autem nimio abundantes, non ſervarentur: Sed cum agitur de ſucco cathartico extrahendo; non ſatis ad id prægnans eſt radix autumni tempore, magis tamen in fine quam in principio; ideo quod propinatum eſt pharmacum menſe Decembri, melius reſpondit quam menſe Novembri, utrumque tamen non ſatis ad votum; qua de cauſa, cum tempeſtas idonea utendi ſucco radicis ebuli appropinquaſſet præſcripſi ex eo hydragogum, hoc modo.

℞. Succi rad. ebuli ℥ß. pulv. elect. diacarth. ſcrup. j. rhab. ſcrup. ß. aquæ cicho. q. ſ. fiat potio mane ſumenda.

Hac potione quater abunde venter ſubductus eſt, maximumque levamentum ſe ex ea percepiſſe ſcripſit, petens fortiorem, quæ ſepties, & amplius, ut illi dixeram, ventrem ſubduceret; quod me facturum promiſi 20. die Januarii: Interea uteretur, cum opiata eſſet abſumpta, pulvere kachectico, quem habebat in promptu, de quo, & utendi modo cap. ſequenti. Jam dies vigeſima Januarii illucebat, tempus purgationi promiſſæ dicatum, radice ebuli vires acquirente eundo, pridie quam ægrotus, de rebus ſuis ſollicitus, miſit nuntium potionis ſibi afferendæ gratia, quæ fuit ejuſmodi.

℞. Succi radicis ebuli ℥i. pulver. electuarii diacarth. ʒß. rhabar.

bar. ſcrup. i. fiat potio ut antea, quæ optime alvum ſubduxit, magna aquarum dejecta quantitate, quibus levatis viſceribus, adhibens quod reliquum erat de pulvere kachectico, perfecte ſanatus eſt.

OBSERVATIO IV.

A febre tertiana & nimio potu hydrops.

Juvenis quidam Rotomagenſis, peregrinator jacobites, correptus in reditu febri duplici tertiana; ex prava vivendi ratione, incidit in hydropem, præcique, ut opinor, ex nimio potu; venter, & partes inferiores præ ceteris tumebant. Ad ejus curationem hydragogis ſupradictis uſi ſumus, ex pulvere Cornachini, & pulvere jalap, quia tempeſtas non erat idonea utendis radicum ſuccis. Si uſu comprobaſſem, ſemen ebuli ad purgandas aquas plurimum valere, quemadmodum poſtea mihi innotuit, illo uſus eſſem, vide ejus electionem, & modum utendi cap. de arthrit. Huic ægroto ſcrotum tumidum evaſit, quod perforandum curavi: Cum autem in xenodochio non haberet lintea, quantum aquis excipiendis, quæ ab ſcroto fluebant, neceſſaria, madens ſemper ſcrotum, parte qua linteis ſternebatur, in ea gangrena correptum eſt, qua fere totum excidit; poſtea tamen à natura reparatum eſt. Tandem repetitis hydragogorum potionibus, & aſſiduo roborantis uſu ex pulvere kachectico, invitum ſanavimus, cogentes ſumere quæ ad morbum curandum neceſſaria erant.

OBSERVATIO V.

Hydrops curata per ſuccum Rad. Ebuli.

Rogatus à nobili viro Dynaſte, ut filium nutricis filiæ ſuæ primogenitæ, hydrope larborantem inviſerem; veniens in caſtellum, inveni ægrotantem ventrem habentem valde tumidum, ceteras vero corporis partes non item; ſurgebat enim quotidie è lecto obambulans, nec febri laborabat. Primo Cornachini pulvere aquas ducere tentavimus, deinde ſucco radicis ebuli, qui minori cum moleſtia id efficiebat; die enim quo pulverem ſumebat, ſiti infeſtabatur: quo autem ſuccum ebuli, minime: unde purgationem ex eo factam, aliis ſemper antepoſui, dummodo radix tempeſtate idonea colligeretur: habet etiam hoc purgatio hæc, ut ſtomachum non lædat, quemadmodum ſuccus iridis: Cum iſtis hydragogis utens ægrotus opiata

ata roborante priſtinæ ſanitati eſt reſtitutus. Hic modus curandi hydropem, rerum uſu mihi probatus, cogit me à ſententia eorum recedere, qui moventia urinas in ſanando hydrope hydragogis præſtare affirmant. Ego quidem, quamvis ſciam naturam utraque via, ſine artis ope, hydropem ſæpiſſime ſanare, viamque ſecuriorem eſſe per urinas, per quam aquæ foras ducuntur, ante quam in ventris cavum confluant; in artis tamen operibus, facilius per ſeceſſum aquas hydropicorum educi, quam per urinas, & ſudores, ſemper expertus ſum, quia potentiora ad hoc, & ſecuriora habemus hydragoga, quam diuretica, & diaphoretica: Si quis tamen his uti velit, multa, & experta inveniet, in ordine remediorum alphabetico.

De Cachexia.

Caput. IV.

Cum cachexſia neglecta ſit via ſæpiſſime ad hydropem, hujus expedito capitulo, aliquid de ea diſſerendum, ne ejus cauſa ultra limites progrediens, graviorem inducat affectum: Eſt autem cachexſia ut verbum ſonat, malus corporis habitus, à crudo, & pravo ſucco, quem viſcera coctioni dicata, ad ejus nutritionem ſuppeditant; Qui quidem ſuccus, à partibus ad quas tranſmittitur non probe elaboratus, perfectè non poteſt aſſimiliari, ſolo ſui ipſius vitio: quod vel à male affectis viſceribus contraxit, vel à pravis alimentis; vel re aliqua inſolenti, ut creta, calce, carbonibus, & aliis ejuſmodi, quod ſæpe accidit in fœdis virginum coloribus, cachexſiæ annumerandis; quorum curatio, & ab hoc capite, & ab eo de menſibus retentis, eſt petenda. Ex his patet, cachexſiæ proximam cauſam, eſſe ſuccum illum alimentarium pravum, & crudum, partibus alendis appoſitum, & ad probam elaborationem ineptum: unde coloris vividi totius, præcipue autem faciei labefactatio, ſpirandi difficultas, pulſus inæqualitas, quandoque febris, inappetentia, cardialgiæ, cordis palpitationes, omnium denique functionum naturalium, & motricis imminutio. Alia cau-

Quid Cachexſia.

Cachexſiæ cauſa proxima.

cauſa proxima cachexſiæ, eſt ipſarum partium imbecillitas, habitu corporis refrigerato, ex continuo vitioſi alimenti appulſu, cum malum longo tempore protrahitur: unde cachexſia dicitur à quibuſdam, frigida, & humida intemperies partium, quam ſequitur vitioſus color totius. Alias dicitur inquinata nutritio, & depravata: quæ cauſa eſt talis intemperiei. Cauſæ antecedentes cachexſiæ, aliæ magis, aliæ minus remotæ: Magis remotæ ſunt quidquid aptum natum eſt, partes nutritioni inſervientes refrigerare, & debiles efficere, ut morbi longi, ſpiritus, & calorem naturalem diſſolventes, & quædam febres quartanæ, quotidianæ, tertianæ nothæ, & longæ, duplices tertianæ: De horum genere ſunt etiam diarrhœæ longæ, dyſenteriæ, retentæ vacuationes ſolitæ, menſium præcipue, & hæmorrhoïdum: ſicut & nimius eorum fluxus. Cauſæ antecedentes his proximiores, ſunt cacochymia, ſuccus ſcilicet ille pravus nondum nutriens, ſed in venis, & viſceribus contentus; deinde viſcerum affectus, ut ſcyrrhus, intemperies frigida, & reliquiæ morborum calidorum, quibus per accidens viſcera refrigerantur, eorum calore reſoluto: Cauſæ externæ ſunt pravi cibi aſſumpti, vel quid eos pravos efficiens: ex quibus bonus chylus fieri nequit. Licet autem in principio integra ſint viſcera: cum non ſit ſecundæ coctionis, ut fertur communi Medicorum ſermone, vitium primæ emendare, multoque minus tertiæ, vitium, ſecundæ reparare: Ex chylo male confecto, & affecto, bonus ſanguis generari non poteſt, nec ex eo fieri in toto corpore bona nutritio; quod etiam accidit aliquo ex viſceribus male affecto, præcipue jecore, deinde ſtomacho, poſtea liene, quæ ſubſtantiam nutritioni partium deſtinatam, vel laudabilem, & puram male conficiunt, & corrumpunt; ita ut fiat ſeroſior, & frigidior, unde partes male nutritæ decolores fiunt, & refrigerantur; Quare non mirandum, ſi cachexſia ſit via ad hydropem, & principium hydropis: Ideo valde affinem cum eo habet curationem; tria ſcilicet peragendo. Primo ut ſuccus ille pravus, & perfectæ nutritioni ineptus auferatur. Secundo ut ejus generatio impediatur: Tertio ut partes, præcipue viſcera, roborentur, & ad priſtinam temperiem reducantur. Primum perficitur vacuantibus per ſeceſſum, per urinas, & per ſudo-

Antecedentes Cachexſiæ cauſæ.

Externæ cauſæ Cachexſiæ.

Cachexſia eſt via ad Hydropem.

Cura Cachexſiæ.

ſudores. Secundum impeditur recto vivendi regimine, & morbos viſcerum, ſi qui ſint, curando. Tertium acquiritur roborantibus. Vacuatio per ſeceſſum in hoc morbo, variis modis præſcribitur, ſecundum morbi conditionem, & naturam ægrotantis, qui aut genus aliquod purgantis deprecatur, aut viribus infirmis validiora ferre non valet: Quæ autem morbi conditio poſtulaverit, ex faciei colore ægrotantis innoteſcet; qui enim pallida omnino ſunt facie, pituitoſum humorem ſolitarium eſſe ſignificant, & majorem refrigerationem; Quibus ex pallido flaveſcit, bilis pallidæ miſtione; Quibus fuſco viridi facies inficitur, melancholiæ; Quibus vireſcit, praſſina bilis immiſtionem oſtendit. Nam qui ante morbum bilioſus erat; licet affectio ſit frigida, aliquid perpetuo ſubeſt de naturali temperamento, cujus aliqua habenda eſt ratio. His poſitis eligatur genus purgantis morbo primum conveniens, deinde ægrotanti magis jucundum. Syrupi magiſtrales in morbis longis, in quibus repetenda eſt ſæpiſſime purgatio, valde mihi probantur, pluribus de cauſis: Primo quod leniter purgant: Quod purgando aperiant: Quod roborent ſi velimus: Quod denique eos domi habentes, recordemur illis eſſe utendum, ne ſumptu inutili comparati, ſitu corrumpantur. Si igitur neceſſitas poſtulet, talis præſcribi poterit.

℞. Rad. petroſ. eryng. fœn. & erythrod. ana ℥ß. folior agrimo. beton. pimp. eupato. abſyn. pont. & cuſc. ana mß. ſem. aniſ. fœn. & dauc. ana. ʒj. flor. cord. & gen. pj. azari ʒij. fiat ex his decoct. addendo in fine rad. polyp. contuſæ ℥ß. deinde facta colatura, capiat ut mox dicetur.

℞. Folior. Sennæ mund. ℥iij. turbith. & Jalap. ana ʒij. rhabar. ʒiij. agar. ʒiiß. ſem. ebuli. contu. ʒiß. fiat horum infuſio in aquæ abſyn. ℔j. quouſque octo remaneant, quibus junge tantundem decocti rad. & herbar. prædict. & ſacch. q. ſ. fiat ſyrupus, de quo cape ℥iß. aut ℥ij. per ſe deglutiendas, aut cum juſculo carnium diſſol. Si velis autem ſyrupum exigua doſi purgare, loco ſacchari pone ſyrupum roſac. purgator. aut ſaltem mediam partem; purgabit enim, ut dictum eſt de ſyrupo magiſtrali deſcripto, cap. de ſplenit. enarrat. 4. Syrupus purgans in Cachexſia.

Si febris cachexſiam comitetur poſſumus uti rad. cich. gram.

& aſpar. cum herbis frigidis, hepatica borra. ſpecieb. cicho. aut miſcere calida cum frigidis, ut ſyrupus evadat temperatus; omnia autem pro ratione tempeſtatis, utendo radicibus præcipue hieme; æſtate vero herbis; hunc delectum Pharmacopœis minime committemus, quorum pleriſque omnia perinde ſunt, dummodo lucrum percipiant: Ideo Medicus ſit ſtudioſus tenere, & advertere tempeſtatem, in qua unumquodque ſimplicium viget, & quo tempore eo ſit utendum ut curatio melius ei cedat; in qua, ſicut & in hydrope, cum febris cachexſiæ jungitur, ſatius eſt peccare in calidis, quam in frigidis; quia morbus frigidus eſt, alia de cauſa febre ſuperveniente, vel perſeverante, cum anteceſſit, à labe ſcilicet alicujus viſceris, vel humoribus excrementitiis, & corruptis, quos eorum genuit, & gignit quotidie intemperies. Neque febris in hoc affectu, cum adeſt, ſicut & in aliis affectibus; non tam pulſus magnitudine, celeritate, & frequentia æſtimanda eſt, quam virium læſione; ita ut contigerit mihi in pluribus ægrotis, qui in hoc affectu febre conſideratione digna laborabant, hujus in præſcribendis formulis rationem non habuiſſe, pulveriſque cachectici, licet calidi, uſum imperaſſe cum felici ſucceſſu. Qui firmis ſunt viribus, loco ſyrupi magiſtralis, purgari poſſunt pulvere cornachini, aut pulvere electuarii diacarthami, in juſculis appropriatis, ut dicunt; aut.

Magis læſio virium quam febris æſtimanda in Cachexſia.

℞. ſupraſcrip. decocti, ſyrupi magiſtr. q. ſ. infu. folior. ſen. mund. ℥iij. ſem. ani. ʒß. rhab. aut agar. pro ratione dominantis humoris ʒj. expreſſo diſſol, elect. convenientis, ut diacarth. diaphæni aut diapr. ſolut. ℥ß. ſyrup. de cicho. cum rhabar. ℥j. fiat potio. Purgato corpore, & neceſſariis venæ ſectionibus parca manu adminiſtratis, etiam è malleolo. In feminis, & virginibus, quæ parum, aut nullo modo purgantur, nihil præſtantius inveni pulvere cachectico, cui non ſine cauſa hoc nomen inditum eſt. Modus parandi apud me talis eſt, quamvis apud alios non item, qui magis laborioſam, & minus efficacem conſulunt chalybis præparationem; virtus enim chalybis aperiens, latet in ejus parte ſubtiliori vitrioli, quæ non tot requirit càlcinationes ut eliciatur, quemadmodum fit in conficiendo vitriolo martis, in quo ſeptem imperantur, cum pulvere ſulphuris

phuris calcinationes: At in ſubtiliori parte vitrioli, è marte extrahenda in ſtomacho, ſufficit tantum una calcinatio, ut experientia comprobatur, etiam in cruda chalybis limatura, cujus ſolo uſu, vidi ſanatas mulieres ex fœdis, quos vocant, virginum coloribus, valente ſtomacho, partem ſubtiliorem ejus vitrioli, aperiendis obſtructionibus idoneam elicere. Ideo in præparatione chalybis, pulveri cachectico neceſſaria, nulla requiritur humiditas, ne quidem aceti, viaque melior hæc eſt, quam docet Beguinus in tyrocinio, aliiſque præſtat quas deſcribit præparationibus; ut ſcilicet accipiatur limaturæ chalybis. v. g. ℔ß, pulveris ſulphuris ℔j. miſce in vaſe teſtaceo, quod igni reſiſtat: & calcina identidem ſpatula ferrea materiam inflammatam movendo, donec ſulphur omne ſit abſumptum, quod ex odore percipitur: Probe facta calcinatione, abſtrahatur materia, & in tenuiſſimum pulverem redigatur, de qua. Præparatio chalibis cum ſulphure.

℞. Chalyb. hoc modo præpar. p. j. cinam. temrior. & electi, p. ij. ſacch. part. iij. miſce, fiat pulvis tenuiſſimus, nomine cachecticus, cujus talis eſt uſus Pulvis Cachecticus.

Primo purgato corpore, cum aliqua ex prædictis purgationibus, accipitur de pulvere ter in die, mane jejuno ventriculo, hora tertia pomeridiana, & veſperi eundo cubitum; qualibet vice ſumendo ex cochleari, aut mucrone gladii, quantum aſſis capere poteſt, idque quindecim, viginti, & plurium etiam dierum ſpacio, cum obſtructiones ſunt pertinaces, purgando corpus in medio & fine curationis. Ex his intelligitur, quam in re chimica ſint imperiti, & rudes in Phloſophando, qui me audiente affirmabant, chalybem præparatum, ſolo pondere vias obſtructas aperire; quaſi vero per os ſumptum crudum, aut præparatum in ſtomacho, ſemper tendat deorſum; & quamvis tenderet, quomodo aperiendis obſtructionibus in exiles ductus penetraret: Diſcant igitur tales Medici, ferro viride ineſſe vitriolum, cujus pars ſubtilior, una vice calcinati, ut ſupra diximus, facile elicitur in ſtomacho, obſtructionibus expediendis accommodatiſſima. Rudes ſunt in Chimicis, qui vim Chalibis aperiendi, ſolo ejus pondere adſcribunt.

PROGNOSTICA.

Cachexſia via eſt ad hydropem; ideo non contemnenda.

Cachexſia à veteri intemperie alicujus viſceris ægre curatur.

Cachexſia à labe alicujus viſceris, protrahitur quidem ſed non ſanatur.

Cachexſia cum febre pertinaci, periculoſa.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Chloroſis pulvere Cachectico ſanata.

Virgo quædam ætate 25. annorum, incidit in cachexſiam, quam huic ſexui chloroſim vocant, quod nomen à Græco deductum (*chloros*) viridem colorem in pallidum vergentem ſignificat: Quibus autem de cauſis tali affectu laboraſſet non memini, ſicut me unquam vidiſſe colorem huic ſimilem, niſi in quodam ictero laborante. Hanc uſu pulveris cachectici, ut ſupra docuimus, ſpacio viginti dierum perfecte ſanavimus.

OBSERVATIO II.

Idem effectus ab eodem pulvere.

Aliam nobilem virginem, à longo tempore, Cachexſia laborantem cum dolore capitis, & ſtomachi acerbiſſimo, eodem pulveris uſu ab omnibus ſymptomatibus liberavimus.

OBSERVATIO III.

Chloroſis dolore ſtomachi conjuncta.

Aliam etiam, quæ cum hoc affectu gravi tantum dolore ſtomachi cruciabatur, ſtatim primo quaternario liberavimus à dolore, beneque habuit, utens tantum octo diebus; Nullaque virgo, aut mulier chloroſi laborans, ſive à retentis menſibus, ſive aliis de cauſis acceſſit ad me curanda, quæ hujus pulveris effectum mirabilem non ſenſerit.

OBSERVATIO IV.

Varii infanfantes pulvere Cachectico curati.

Plurimos etiam infantes, poſt febres cachexſia loborantes, & cum ipſa febre, hujus pulveris uſu ſanavimus, cum enim non ſit guſtui ingratus, libenter eo utuntur. In omni denique affectu chronico, in quo veteres obſtructiones ſunt expediendæ, & viſcera dicata coctioni roboranda, cauſa præcipue exiſtente frigida, juvat maxime.

De

De Colico dolore.

CAP. V.

Colicus dolor eſt de genere ſymptomatum, quibus à parte affecta nomen inditum eſt; licet autem alia inteſtina doloribus etiam afficiantur, quia colon frequentius patitur, eo quod utraque extremitate, ſit medio ſuo corpore anguſtius, unde hac parte facile excrementis, & flatibus repletur. Ideo inteſtinorum aliorum ſuperiorum dolores, quantumcumque atroces, dummodo peſſimum aliud ſignum non habeant, colici, ſaltem in principio, potius vocantur, quam nomine alterius alicujus inteſtini, licet Ileon ſæpiſſime patiatur; cum autem dolor maxime urget, cum frequenti vomitu, nihilque infra dejicitur, etiam ſi horum cauſa in colo ſubeſſe poſſit, Ilei tamen nomine, à Medicis vocatur affectus, ab ileo inteſtino, quod propter tenuitatem, & quod ſemper magis ſit plenum jejuno, facilius obſtruatur; Galenus tamen nomen Ilei à ſymptomate potius deducit, quod hoc inteſtinum affectu laboret, à Græcis coarctatio dictus eſt, aut contortio, à verbo (*eilein*) contorquere, coarctare, vertere. Uti ſe res habeat, conſtat ex his, parum ad artis opera conferre, quæ de doloris diſcrimine coli, ab eo qui fit in Ileo traduntur, quibus non valde credendum in principio: Aſſerere enim Ilei dolorem, magis eſſe intenſum, magis fixum, & circa umbilicum; coli autem dolorem magis in lateribus vagum, & paulo infra ventriculum, propter revolutionem ejus ſupra fundum ventriculi, non ſatis habet fundamenti: Nam dolor ilei à mitiori cauſa, non erit ita intenſus, ſicut dolor coli, qui à graviori exiſtet; licet ileon ſit colo majori facultate ſentiendi præditum. Quod etiam dolor coli ſit magis in lateribus, vagus, & circa fundum ventriculi, non ſemper ſtandum in eo; Ileon enim, & jejunum, ad latera divertunt, ſituſque coli ſupra fundum ſtomachi, non longe abeſt ab umbilico, ubi circumiacet, jejunum, & paulo inferius ileon: Adde quod horum inteſtinorum poſitio, mutatur nobis jacentibus, à nobis ſtantibus, ita ut ſupino corpore, co-

Colico dolori nomen a parte affecta eſt inditum.

Lib. 2. meth. cap. 2.

Colicus dolor non facile ab ileo diſtinguitur.

lon ſtomacho incumbat, & conſequenter ipſi vicinum. Idem ſtatuendum de dolore vago; quod in ileo poſſit eſſe vagus, & in colo fixus: Quamobrem cum hæc omnia non ſint ſemper vera, ex jam dictis; & quod hæc inteſtina pluribus in locis ſe contingant, nervoſarumque partium doloribus ſit proprium, longius ſe producere, etiam ad intacta ab ipſa cauſa dolorem inferente; difficile ut plurimum eſt; ex ſitu partis dolentis, affectum inteſtinum internoſcere. Ego quidem in pluribus; præcipue autem in me ipſo, à ſumpto medicamento purgante, hoc expertus ſum, poſt quaſdam dejectiones, dolorem in regione ſtomachi excitari, qui me angebat, & quaſi in deliquium animi deducebat, à quo ſtatim fiebat ventris dejectio, cum ſedatione doloris: Prima vice magno certaſſem pignore, cauſam illius exiſtere in ſtomacho; ſubita vero dejectione brevi à dolore ſuccedente, perſuaſus ſum cauſam, ſaltem doloris, ſubeſſe in colo, materiam ſcilicet purgandam per ipſum devolvi, quæ in eam partem coli, qua fundum ſtomachi attingit perveniens, quadam illi qualitate adverſa ſenſum illius doloris inferebat, malo vicinitatis jure; Aut colon ea parte potius, quam aliis debilius exiſtens patiebatur, materia pertranſeunte. Alios etiam dolores perpeſſus, cogitatione ſemper attingere conatus ſum, quanam in parte ſedes eſſet mihi doloris, de qua ſæpiſſime fui incertus; à fortiori in aliis ægrotis. Verum cum Galenus lib. 6. de loc. affec. cap. 2. loquens de dyſenteria, dicat ſuperioribus inteſtinis affectis, præſidia ſumenda eſſe ab epotis, inferioribus, vero affectis, à clyſteribus; eadem fere ratione dicendum eſt, coli dolores enematibus, magis juvari, quam ilei multoque minus alia duo ſuperiora: Ideo quantum fieri poteſt, incumbendum eſt, dolore affectum inteſtinum, ex ſitu internoſcere, ut potioribus auxiliis, contra dolorem pugnemus. Cum autem poſitio coli magis innoteſcat, ſitque magis doloribus obnoxium, ex ejus ſitu, aut contrario, quale patiatur inteſtinum facilius patebit. Optime ad rem ſitum coli, & naturam ejus doloris deſcribit Hollerius, dum ait, partim ex Galeno lib. 2. de loc. affect. Dolor excitatur quaſi infixi pali, certoque loco inſiſtit; ſed ut plurimum vagus, ad inguen ſiniſtrum, & utrumque renem, ſurſumque aliquando revolvitur, & locum mu-

A ſumpto medicamento purgante ſæpe oritur dolor in regione ſtomachi, qui ceſſat ventre dejecto.

Lib. de morb. inter. cap. 39. de colic. dol.

mutat, ut ſunt flexus coli inteſtini, quod relicto inteſtino recto, ad ſiniſtrum inguen divertit, aſcendens inde ad ſiniſtrum renem, ubi anguſtius eſt; quæ anguſtiæ efficiunt aliquando, ut hac parte dolor colicus gravis intendatur: Hinc ad ſplenem, & ventriculum jam laxius extenditur, ſubitque hepar, hæretque aliquando in cyſtide fellis. Poſtremo in dextrum ilion deſcendit, ubi deſinit in cœcum, quod ad renem dextrum poſitum eſt. Dolor hic fixus ut in anguſtiis; Qui ad ſiniſtrum renem eſt, nephriticum dolorem repræſentat, ut etiam peritos Medicos fallat. Hæc Hollerius. Cujus verbis conſtat dolorem colicum ut plurimum eſſe vagum, quandoque fixum, quod etiam teſtatur Galenus ubi ſupra. Hoc ſigno itaque ſolo, quod dolor ſit vagus, non diſtingui in principio dolorem colicum, ab eo qui fit in Ileo certum eſt: Cum autem procedente affectu frequens vomitus ſubſequitur, iliacæ paſſionis ſignum eſt, præcipue ſi nihil infra dejiciatur; Quamvis autem in nephritico dolore frequens ſit interdum vomitus, longe diſſimilis eſt altero, qui tandem grave olet videturque ſæpe materia tanquam per ſedem rejecta. Sed de dolore nephritico, quomodo diſtinguatur ab eo qui fit in colo, dicemus ſuo loco. Sunt & alii dolores, quos jubent Authores internoſcere à colico dolore, ut eſt ille de quo Fernelius cap. x. lib. VI. Pathol. quem Riolanus Pictonicum, & Pictavienſem nominat. pag. 656. Fernelius autem colicum dolorem nothum, qui ab eo ita deſcribitur. Alii inſuper cruciatus quadam ſimilitudine & vehementia, colici nuncupantur, quibus tamen non in colo inteſtino ſedes eſt, ſed vel in peritonæo, vel in membranis quæ abdominis, ventriſque partibus obtenduntur. Hi ſane graviſſimi ſunt, & admodum diuturni, ac neque clyſteribus, neque medicamentis, neque fomentis, neque iis remediis quibus qui vere ſunt colici dolores deliniri ſolent. Eorum materia, aut flatus eſt tenuis, aut humor acerrimus, & æruginoſus, membranarum ſpaciis concluſus, è quibus detrahi vix poteſt. Succedunt diutunis febribus aliiſque bilioſis morbis, quorum eſt difficilis ſolutio, &c. quæ videantur loco citato. Alii dolores qui colicum repræſentant, parvi ſunt momenti, ut dolores poſt partum, & quibuſdam mulieribus antequam fluant menſes; cum partus præcedens, & ſub-

Dolor colicus ad renem ſiniſtrum, ſæpe nephriticum repræſentat dolorem.

Dolor Pictonicus, vel colicus nothus.

ſubſequentes menſes cauſam detegant : majoris ſpeculationis eſt colici doloris cauſam internoſcere, quæ vel humor eſt acris, aut valde frigidus; vel flatus, vel materia obſtruens, vel tumor. Humor eſt ut plurimum frigidus, cui interdum acrimonia jungitur, cruciatque duplici ratione, aliquando calidus eſt, & acris, ſed varius, quem colicæ bilioſæ cauſam eſſe exiſtimabant; licet Galenus colici doloris ſpecies enumerans lib. 2. de loc. affect. hujus non meminerit: Sed hac de re fuſius in prima Enarratione. Humor frigidus, ut plurimum, pituita eſt vitrea, quæ interdum evadit ſalſa; aliquando liquidior eſt, & acris, à capite ſæpiſſime defluens, facienſque interdum paroxiſmos. Plerumque cruditas eſt, ſeu humores crudi, fruſtrata coctione in ſtomacho, aut quæ fit in inteſtinis ſuperioribus; ſive harum partium vitio, ſive quantitate, aut qualitate ingeſtorum; ſive à repentino frigore, tempore coctionis; ſive à motu violento coctionem perturbante. Flatus ſemper ab aliqua materia gignuntur, ſimulque coëunt, ita ut non ſint flatus ſine materia, licet modo illi, modo hæc exuperent, unde fit colicæ denominatio. In colica bilioſa flatus ſæpiſſime generantur, licet æruginoſi ex Hippocrate, non ſint admodum ventoſi: quia cauſa colica bilioſæ non eſt vera bilis, ſed humor quidam calidus in corpore bilioſo male coctus, febrem aliquando ex putredine invehens; cum autem cruditas ſit flatuum parens, hæc bilis à cruditate, flatus gignit putredineque ſua acrimoniam acquirens, & interdum malignam qualitatem, peſſimum generat colicum dolorem. Nam vera bilis dyſentericam potius diarrhœam efficeret ſua mordacitate; ſemper enim dyſenteriam præcedunt ex Galeno 2. de loc. affec. dolores mordaces. Flatus ut plurimum obmurmurant, dolorque locum mutat, & venter dum flatus cohibentur, paſſim in tumorem attollitur; tantaque interdum fit tenſio coli, ut infantis brachium ſubeſſe videatur, media præcipue ejus regione, à jecore, ad ſplenem. Humores liquidi, etiam murmur edunt, ſed a flatibus ipſis diverſum; ſiquidem veluti aqua defluentis ſonus ſubauditur, levioreſque dolores excitant, quia ut plurimum dejectione vacuantur, dolorque locum mutat, nec ſurſum illi ut flatus recurrunt, torminiſque in modum, ut plurimum dolor cruciat: hujuſmodi enim dolores, ſi diu, & mul-

Colicæ bilioſæ cauſa. Cap. 2.

Humor frigidus colicæ cauſa.

Apho. ulti. ſect. 5.

Cap. 2.

multum urgeant, colici dicuntur: ſi per modum tranſeuntis, & acuti, tormina vocantur: Si vero dolor perſeverans, & violentus, frequentem vomitum afferat, nihilque infra dejiciatur, iliacus dicendus eſt, & iliaca poſſio. Pituita vitrea, quia innato lentore parti adhæret, dolorem magis fixum, quam cauſæ ſupradictæ, & triplici de cauſa graviorem efficit: Inſigni ſcilicet frigiditate, acrimonia, quæ illi interdum à ſalſedine jungitur: & flatuum generatione: Non mirandum igitur, ſi ægrotantibus, ut teſtatur Galenus, terebro videatur perforari inteſtinum. Tumor ſi fiat cum inflammatione, dolorem colicum per ſe efficit: ſi ſine inflammatione, per accidens, via ſcilicet excrementis impedita: Si tamen urgeat ſymptoma cum frequenti vomitu nihilque ut ſupra diximus infra dejiciatur, Ileus dicitur; licet in colo ſit tumor, aut inflammatio: Ille tactu fere ſemper deprehenditur: iſta calore, & febri, majorique ad tactum dolore. Eodem prorſus modo differendum de fæcibus induratis, aut de materia aliqua obſtruente, quæ etiam ſi in colo exiſtant, ileus tamen morbus vocatur, propter ſymptomatum ſimilitudinem. Obſtructionis locus, licet in principio non deprehendatur, poſtmodum tamen purgantium uſu innoteſcit, propulſis deorſum excrementis, quæ viam interceptam invenientia, juxta locum obſtructum cumulantur tumoremque efficiunt, quouſque contrario motu facto, ſurſum propellantur, ſuccedente ad hoc vomitu, & tumore evaneſcente: Ideo topica ſi adhibentur huic parti ſunt imponenda. Colicus dolor, ut & alii dolores, tribus modis curatur, ſubtractione cauſæ, mitigatione, & ſenſus ſtupefactione. Primus modus optimus eſt: Secundus optandus: Tertius rejiciendus, niſi aliis deficientibus. Servatis igitur quæ ad vitæ rationem pertinent, pro natura cauſæ, illum ſtatim aggredi oportet, quamprimum injecto enemate emolliente, & parum carminante, ut fœces educantur, & cauſæ, cujuſcumque ſit naturæ, pateat exitus: Fit enim interdum ut ſoluta alvo ab enema, flatus, & cruditates promiſcue erumpant, ſedeturque dolor, hoc ſolo remedii genere, ſemel tantum adhibito. Quod ſi alvo à jam dicto enemate ſoluta dolor perſeveret, flatibuſque, aut humori frigido doloris cauſa tribuatur, enema omnino carminans,

Pituita vitrea fixum & gravem cauſat dolorem.

Tribus modis dolor colicus curatur.

Enemata emollientia conducunt in dolore colico.

nans, à primo rejecto eſt injiciendum hoc modo paratum.

Enema carminans.

℞. Folior. malvæ. alth. hæd. terreſt. calamen. orig. puleg. rut. abſyn. ana mj. flor. chamæm. & melil. ana mß. ſem. ani. fœn. cum. ana ʒj. bacc. lau. contuſ. ℥ß. fiat ex his decoct. Acc. ℔iß. aut tantum ℔j. ſi magna flatuum diſtentio, quæ impulſu decocti introeuntis geminata, dolorem auget. diſſol. hieræ diacolchynt. aut diaphœn. ʒvj. mell. anthoſ. & olei chamæm. ana ℥ij. aut olei rut. quo ſolo, ſe à graviſſimo dolore liberatum affirmat Galenus. fiat enema.

Lib. 2. de loc. affect. cap. 2.

Quidam in graviſſimo dolore tale præſcribunt enema.

℞. Olei rutac. ℔j. opii. ſcrup. ß. caſto. ʒß. fiat enema; detur cum cetera nihil proſunt.

Si liceat tamen per dolorem, aliis melius eſt uti auxiliis, quæ cauſam doloris foras expellunt, ut ſunt purgationes, quibus ſine mora utendum; ſi ab enemate carminante jam præſcripto, & ex reſiduo ejus decocti adjecto vino, fotu admoto, dolor remittere non videatur; multoque magis ſi enematis aucta doſi ſimplicium, factum fuerit ſemicupium, quod demulcendis ejuſmodi doloribus potentiſſimum eſt, licet purgato corpore votis melius reſpondeat. Quod ſi in ſemicupio dolor augeatur, de nephritide dubitandum, calore ſemicupii commoto lapide. Vide cap. 9. hujus libri de nephritide, ubi ſigna cauſam horum dolorum diſtinguentia referuntur. Ego felici cum ſucceſſu, ſæpe hoc enema expertus. ſum.

Semicupium doleribus demulcendis remedium potentiſſimum.

℞. Flor. chamæm. mj. ferveat unica ebullitione in vino gener. colat. diſſol. olei bacc. lauri ʒij. fiat enema.

His parum proficientibus decernendum de purgatione, ut cauſa doloris deturbetur, ſi ſit in inteſtinis; quibus expeditis, ſi dolor perſeveret, locus dabitur novæ ſpeculationi, cauſam ſcilicet vel tumorem eſſe, vel fluxionem humoris acris à capite, per vices delabentis, aut ſaltem dolorem eſſe nephriticum. Purgatio igitur ſi in materia frigida decernatur, quæ flatuum ſæpiſſime cauſa eſt, talis præſcribi poterit.

℞. Cyp. & galan. ana ʒj. rad. fœnic. ʒij. folior. lauri, orig. petroſ. hæderæ terr. ana mß. ſem. ani. & cumi. ana ʒß. flor. anth. & chamæ. ana pj. fiat ex his decoct. in aqua ſuffi. Acc. decocti q. ſ. infun. folior. ſennæ mund. ℥ß. expreſſ. diſſol. diaph. ℥ß.

℥ß. aut amplius, quia natura, præ dolore in auguſtiis poſita, non adeſt ſæpiſſime purganti medicamento, ſyrupi roſ. purgato. ℥j. aut mannæ calab. quæ leniendo, majorem purgandi facilitatem affert, tantumdem: fiat potio mane ſumenda, & urgente neceſſitate, qualibet hora, ſtomacho autem non impedito.

Elidæus apud Foreſtum, cum purgantibus miſcet narcotica in hunc modum, ut ſimul & ſemel dolor ſopiatur, & cauſa auferatur. Narcotica cum fructu meſcentur purgantibus.

℞. Diaphæn. ℥ß. philon. ſcrup. ij. ſedat dolorem, & poſtea ventrem ſubducit. Hollerius cum philonio miſcet ſcammonium: & Riverius ait has pilulas poſt horam dolorem ſedare, & poſtea humores noxios vacuare.

℞. Aloes optimæ ʒj. laud. opia, gr. iiij. diagrid. gr. vii, fiant pil. ſex, hora commoda ſumendæ.

Cum laudanum non eſt in promptu, aut ſumptui parcendum, loco laudani, cape opii in tegula exſiccati gr. j. ß. caſtor. gr. iiij.

Obſervatum eſt, inquit etiam Riverius, cum æger quidam 30. clyſteres accepiſſet, alium Medicum mannæ ℥jß. cum olei amygdalarum dulcium ℥ij. in juſculo gallinæ pingui exhibuiſſe, & ægrum à dolore liberaſſe.

Si dolor ſit ab humoribus calidis, & acribus, quem à bile fieri dicunt; prudenter agendum; fere enim ſemper aliqua febris adeſt, propter affectum, qui humor calidus eſt, cauſa tamen ſemper frigida ex Galeno, ut videbitur infra in prima Enarratione; huic igitur non oportet nocere, cum adhuc præſens eſt, dum alteri mederi aggredieris: Remedium autem ſecuriſſimum, etiam in hac ſpecie, purgatio eſt, qua ſæpiſſime cauſa profligatur, eaque ſublata tollitur effectus, etiam incognitus, ut factum eſt in ægro primæ Enarrationis, in quo juſcula purgantia ex herbis refrigerantibus, colici doloris cauſam ſuſtulerunt. Poſſunt & purgationes, de quibus agetur paulo poſt, in colico dolore ab inflammatione, adminiſtrari, ſicut & enema illic deſcriptum, à cujus rejectione, iſtud injiciatur, quod eſt Quercetani in materia acri. Lib. de morb. ſimilari.

℞. Sem. lini, fœnugr. pſyll. & malvæ ana ʒij. flor. chamæm.

mæm. & melil. ana pij. flor. ſambu. pj. decoquantur in decoc. com. clyſter, aut potius in lacte, cum eſt in promptu.

Hic in purgantibus, diaprunum addere oportet, fierique ſemicupium ex partiaria materia enematis infra deſcripti, in dolore colico ab inflammatione: calide tamen potius quam tepide, ut quidam jubent adminiſtrandum; licet aliquando aqua frigida ſumpta & admota profuerit, ex quorundam obſervatione, & noſtra, ut infra videbimus in Enarrationibus; oportet autem balnei caliditatem minorem eſſe quam in dolore à cauſa frigida. Si dolor ſit ab inflammatione, qui ut plurimum in Ileum tranſit, ideſt ilei ſymptomata invehit, ab enemate emolliente, & refrigerante incipienda eſt curatio, quale eſt ſequens.

Gal. lib. 12. math. cap. 7. Septal. lib. 7. animadver. practic. Amatus Luſit.

℞. Rad. alth. ℥j. folior. ejuſdem, malv. viol. hæde. terreſtris, nymph. lact. lent. paluſtr. ana mß. flor. chamæm. & melil. ana pij. ſem. lini., & fœnu. ana ʒij. fiat ex his decoct. in juſcu. omaſorum. diſſol. in colat. caſſ. recenter extract. ℥ß. olei, & mell. viol. ana ℥ij. fiat enema.

In inflammatione inteſtinorum vena ſecanda, & fotus parti dolenti adhibendi.

Ejecto enemate, aut ante injectionem, ſi res poſtulet, aperiatur baſilica lateris dolentis ad ℥viij. & amplius, ſi vires ferant. Interea fiat fotus ſupra partem dolentem, ex ſimili decocto enematis jamjam deſcripti, liniendo poſtea ſæpiſſime locum affectum, unguento roſaceo loto in poſca, niſi recentiſſimum fuerit, quod præſtat oleis. Iterata venæ ſectione ex brachiis, procedente morbo, aperiatur vena malleoli lateris inflammati. Quod ſi ardor magnus in parte ſentiatur, enemate ſæpius injecto ex ſero lactis, in quo flores chamemeli incoxerint, egregrie temperabitur, diſſolutis in unoquoque duobus vitellis ovorum cum albumine. Purgatio, ſi aliqua ſuadeat indicatio, ex benignis conficienda, ut infuſo foliorum ſennæ, & rhabarbari, diſſolvendo caſſiam, tamarindos, aut mannam, in decocto refrigerante; cum enim purgantia ducant humores per partem affectam, prudenter in iis agendum. Si à fæcibus induratis, aut alia materia gypſea, vel glutinoſa, inteſtinorum ductus intercipiatur, unde colici, & iliaci dolores acuti, videndum ſignis paſſim ſupraſcriptis, quanam in parte ſit obſtructio, ut deſuper, poſt unum, aut alterum enema emol-

molliens injectum, cum multo oleo, aut ipſo ſolo cum malvæ decocto, fiat fotus ex eadem, multo adhuc oleo imbuta; deinde fortis purgatio tentanda eſt, an penetrare poſſit, necne: Quod ſi via ſit intercepta, detur remedium Oribaſii.

℞. Anethi in aqua & oleo decoct. q. ſ. atque ita bibatur, deinde panis fruſtula ex aqua ferventi præbeantur; mirum in modum juvantur, etiam ſi ſtercus vomatur, inquit Oribaſius. Vel fiat remedium ex pelvicula butyro plena umbilico impoſita; quod penetrare ventrem, & fæces liquare, & emollire experimento novimus, inquit Chr. A Vega in colico dolore. Eſt & alius affectus, qui ex ſitu, & ſimilitudine doloris, colicus vocatur, colica tamen non eſt, de quo ſupra ex Fernelio; quem etiam deſcribit Riverius cum curatione, in ſua praxi, cap. de colica, omnia fere pro diagnoſi mutuatus ex Fernelio, aliam colicæ bilioſæ ſpeciem eſſe ſcribens, cujus cauſa materia bilioſa eſt, interdum à cyſtide fellea in membranas abdominis excuſſa; quod rariſſimum eſſe puto, licet viderimus in quadam muliere, ut videbitur in ſecunda Enarratione. Hujus colicæ nothæ, etſi cauſa materialis frequentior poſſit eſſe bilis, à venis, meſenterio, aliiſque viſceribus, per criſim depulſa, potius quam à cyſtide fellea, quæ ſuos ductus habet; cauſa tamen frequentiſſima fluxio eſt humoris acris à capite, qui veræ colicæ etiam ſæpe cauſa eſt, ſuas habens exacerbationes, & reditus, per multos dies interdum perſeverans. Vide hac de re Enarrationem 7. cap. 2. lib. 1. Hujus colicæ curatio, quæ vulgaribus difficile cedit auxiliis, propter fortaſſe perennitatem fluxionis, dolores novo delabente humore renovantis, qui interdum viam mutans in ſpinam dorſi generat paralyſim. Hujus, inquam colicæ curatio, incipi debet à venæ ſectione, prius injecto enemate, & pro qualitate humoris, vel calidi, vel acris, intenſa, aut remiſſa, variari præſidia ſuperius deſcripta: Quod ſi malum perſeveret, advertendum an fluxio cauſa doloris exiſtat, ut ſuis auxiliis avertatur. Præter has colici doloris ſpecies, eſt & alia de qua mentionem facit Paulus Ægineta, poſt quam egit de colica ab acribus, & erodentibus ſuccis; his verbis, quæ memoria teneri merentur. Puto autem colicam affectionem, quæ etiamnum regnat, ex hujuſmodi proveniſſe humoribus; quæ

Oribaſii remedium in colica.

Colica a defluxione facile degenerat in paralyſim & difficulter curatur.

Lib. 3. Cap. 43.

Colica in Italia & aliis regionibus peſtiferæ luis inſtar graſſata,

ab Italiæ quidem regionibus incepit, in aliis autem multis Romanorum reipublicæ locis, peſtiferæ cujuſdam luis modo ſit graſſata; ex qua plerique in morbum comitialem, alii in artuum reſolutionem, ſenſu incolumni; nonnulli in utramque ſunt prolapſi, ac eorum qui in comitialem morbum inciderunt, plures interiere: Ex illis vero qui in reſolutionem, plures evaſerunt, tanquam in criſi, cauſa aliorſum, ex loco quem infeſtaverat converſa. Sic igitur laborantes Medicus quidam in Italia curavit, victus quadam ratione infideli refrigerante, & maxime temeraria; lactucas enim non coctas, refrigerataſque, ipſis porrigebat, intybumque ſimiliter ſupra ſatietatem comedendum; Item uvas, mala, piſces dura carne præditos, omniaque cruſtacea, quæ vocant Græce *oſtrakoderma*, pedes bubulos, & ſimilia, non ſolum facultate, ſed & actu frigida: Vinum raro præbebat; cum autem dabat, frigida miſcebat, ipſamque frigidam, vel poſcam etiam frigidam exhibebat; ab omni alio calido, & medio cibo abſtinens: Atque plurimos ſic præter omnium opinionem perſanavit; imo nonnullos qui jam in morbum comitialem, vel reſolutionem prolapſi erant, propemodum ſanitati reſtituit. Hæc colica, non ſolum ex acribus, & erodentibus ſuccis, ut vult Ægineta, ſimpliciter progrediebatur, ſed ex ſuccis qui qualitate etiam maligna erant imbuti, præcipue in qua morbus comitialis fiebat: Ille nempe fatetur, peſtiferæ cujuſdam luis modo graſſatam fuiſſe; poterat tamen illa, quæ in paralyſim tantum convertebatur, luis illius peſtiferæ expers eſſe, miror autem convulſiones non fuiſſe genitas, cum materia ad ſpinalem medullam, & nervos tranſlata per modum criſis, acris & erodens extiterit.

diæta refrigerante a quodam medico Italo ſanata.

PROGNOSTICA.

Dolor colicus ab inflammatione, omnium periculoſiſſimus: minatur enim volvulum.

Non minori cum periculo eſt qui fit à fæcibus induratis, & alia materia obſtruente, niſi diſſolvatur.

Dolor colicus magis urget, & magis vires dejicit quam nephriticus.

Dolor colicus cum ſedatus eſt, non redit ut plurimum, ſicut dolor nephriticus.

Do-

Dolor colicus tranſit aliquando in arthritidem, fluxione ſcilicet viam mutante ad articulos.

Dolor colicus tranſit quandoque in hydropem; perſeverante ſcilicet cruditate, quæ eſt morborum frigidorum parens.

Dolor colicus degenerat interdum in paralyſim, tranſlata ad ſpinalem medullam, aut nervos, materia.

Quibus tormina, & circa umbilicum labores, & lumborum dolor qui neque purgantibus, nec aliter ſolvatur, in hydropem ſiccum firmatur. Hippo. aphor. xi. ſect. 4.

Excrementa non retineri, dolorem locum mutare, atque etiam intermittere, ſalutem promittunt.

Si dolor graviſſimus; nec mitigetur auxiliis, nihilque excernatur, vomitus autem vomitui ſuccedat, ad quæ ſudor frigidus; mortis eſt periculum.

Dolor colicus tranſit interdum in abſceſſum.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

A Diarrhæa & victu refrigerante dolor colicus & Icterus.

Eccleſiaſticus quidam non parvi nominis, temperamento bilioſo ad melancholiam inclinante, & ætate ſexagenarius, opipare vivens, gaudens acetariis, & potu frigido; profectus Lutetiam, incidit in diarrhœam, quæ trium menſium intervallo perſeveravit, etiam ipſo in patria reduce, urbem hinc non longe ſitam, in quam vocatus in conſilium, cum ſuo Medico ordinario; hunc facili negotio, hauſta rhabarbari potione, & quibuſdam roborantibus ſumptis, & admotis, ſanavimus. Cum autem, ut opinor, eodem vitæ modo ſemper uteretur, ſeniorque fieret; poſt duos annos, circa feſtum Paſchæ, dolore colico correptus eſt, à quo vulgaribus, à Medico ordinario adhibitus auxiliis, brevi levatus eſt; manſit tamen auriginoſus per aliquot dies, cibos non valde appetens, artuum compoſitione inconſtanti, cum urinis coloratis, & ſtomachi dolore à cibo, cum quadam febris ſpecie, frigidis gaudens cibis, & potibus, eratque ſitibundus. Poſt quindecim dies, rediit colicus dolor ut antea, qui iiſdem auxiliis ſedatus eſt. Cum autem tertio eodem dolore correptus eſſet, accerſit me in ſubſidium Medico

ſuo

ſuo ordinario, cum quo ultro, citroque, multis ſermonibus habitis, an colica eſſet bilioſa, nec ne, conceſſit tandem in meam ſententiam, rationibus infra dicendis adductus: Qualiſcumque tamen eſſet cauſa, ſtatutum eſt latentem doloris fomitem, repetitis purgationibus deturbandum, & debito vivendi regimine abſumendum. Ante vero purgationem, venæ ſectio eſt celebrata, propter febrem, ſitim, & alia ſupradicta, ex qua ſanguis putridus effluxit; Pro dolore vero redeunte, enemata, fotus, & ſemicupia, præſcripta ſunt ex calidis, & carminantibus. Cumque purgationes qualibet hebdomada ſumendas neglexiſſet, ut præſcriptum erat, maleque ſe in victu geſſiſſet, iterum colico dolore correptus eſt: Multis veniſſet in mentem, dolorem eſſe de natura nephriticorum; Quia vero his nunquam fuerat obnoxius, nec urgente dolore vomitus infeſtabat, nec ſitus doloris ſuadebat, fierentque paſſim elevationes in ventre, urgente colica; de hoc affectu non eſt dubitatum, ſed potius de flatibus: Denuo igitur vocatus, affirmavi ejus colicæ prophylaxim, ſitam eſſe omnino in frequenti puragtione, & vitæ regimine jam præſcriptis. Ut autem cauſa doloris toties repetentis, radicitus profligaretur, placuit Medico ordinario dietam attenuantem, & exſiccantem præſcribere, me nec probante nec damnante; nullum enim ſymptoma aderat eorum de quibus ſupra memini, quo minus concederetur, febris ſcilicet, bibendi cupiditas, ciborum inappetentia, frigidorum eſu delectatio, & dolor ſtomachi à cibo; calidioribus, & noxiis humoribus eductis purgantium ope, quæ præceſſerant; quoties tamen dolore colico correptus fuit, manſit per aliquot dies ſemper auriginoſus. Totam itaque diætæ adminiſtrationem Medico ordinario relinquens, diſceſſi. Paucis poſt diebus dedici ægrotantem, moleſte ferentem quod diætæ primo die, ſumens mane, conſilio ſui Medici, cyathum ex frigido chinæ decocto, in dolorem colicum rurſus incidiſſet, duos vicinarum urbium Medicos in conſilium adhibuiſſe, ne quidem vocato Medico ſuo ordinario: Qui quidem conſiderantes, præſidiis antea præſcriptis mali cauſam non fuiſſe ablatam, audacter aſſeruerunt colicam eſſe bilioſam: nixi præcipue, quod ægrotus colore auriginis inficeretur, quotieſcumque dolore colico torqueretur:

Quare hic affectus non fuerit Nephriticus.

A dolore colico ſemper fuit Ictericus.

Nonnulli Medici hanc colicam putarunt eſſe bilioſam, & ideo refrigerantia & Cholagoga præſcripſerunt.

Qua-

Quapropter venam bis à principio ſectam propter ſymptomata ſupra ſcripta, quæ tunc deſiderant, tertio aperiendam jubent: juſcula præſcribunt, partim alterantia, partim purgantia, ex foliis lactucæ, borraginis, acetoſæ, cichorei, & capilli veneris, cum ſale prunellæ; addendo in purgantibus ſennam, & ſyrupum de cichoreo cum rhabarbaro: Uſus fructuum horariorum concedebant: & poſt juſcula, ut vino abſynthite uteretur conſulebant: Doloris vero tempore, ſemicupia aquæ tepidæ conficienda jubebant. Ego quidem, poſtera die à conſilio horum Medicorum habito, veniens in eandem urbem mulieris cujuſdam inviſendæ gratia, præſcriptum remediorum legens, omnia damnavi, præter juſcula purgantia triduo continuo exhibenda, credens hujuſmodi purgantibus quotidie ſibi invicem ſuppetias ferentibus, totam mali cauſam, ſi qua ſuperſſet, poſſe exhauriri: Mirabar tamen, cum tantus eſſet eorum refrigerandi animus, cur apozematibus ex iiſdem ſimplicibus paratis non eſſent uſi, potius quam juſculis, quæ non niſi calide ſumuntur; Fortaſſe quia chinæ decoctum frigide mane exhibitum à Medico ordinario, colici doloris cauſam novæ invaſioni præbuiſſet: De ceteris autem, & primum de vino abſynthite, patebat error in præſcribendo; licet enim abſynthium, bilioſis idoneum eſſe dicatur à Dioſcoride, & Galeno, & aliis, hoc tantum intelligendum eſt de ejus ſucco, & decocto quæ bilem purgant; non autem de vino, quod affectibus frigidis potius convenit. De fructuum horariorum, & crudorum uſu, dicam hoc, Medicos ægrotanti in hoc indulgere potius voluiſſe, quam à præceptis Medicinæ ſtare: Quis enim ignorat æſtatis tempore, propter uſum fructuum, multas generari tertianas, abſonumque eſſe fructibus, niſi fortaſſe acidis, impetum bilis velle coërcere, aliunde pabulum ſuppeditantes? In colicis quoque doloribus, cum jam calida ſemicupia profuerunt, licet à bile; quis tantum tepide admiſtranda imperabit? Infeſtante dolore omnia ſaltem calida eſſe oportet, præſertim cum ſententiæ non cogruunt de cauſa doloris; aqua enim calida dolores calidos, æque & frigidos demulcet, habetur tamen ratio naturæ cauſarum, & effectuum, ut minus ſit calefaciendum in calidis: Quia autem ex doctrina Galeni, ut infra dicetur, colici doloris cauſa ſemper eſt cruditas, & refrigeratio, omnia externa calida eſſe oportet, etiam

Lib. 3. cap. 23. hiſto. planta. Lib. 1. de art. curat. ad Clauc. cap. 19.

Uſus multus fructuum horariorum generat febres tertianas.

 in

in bilioſis; licet frigida, ut ſupra dictum eſt; & dicetur in 2. Enarratione, quibuſdam profuerint. Sed ex omnibus quæ præſcripta ſunt huic ægrotanti, uſus eſt tantum juſculis; ſedato enim dolore colico, cui potus chinæ frigidus mane exhibitus cauſam dederat, à remediis averſus, aliis uti noluit, nec reverſus eſt dolor. Nunc quæſtio eſt, utrum colicus iſte dolor fuerit à bile, & utrum detur colica vere климат bilioſa; an à flatibus iſta extiterit; quod non parum ad artis opera conducit: Ego quidem neque tunc temporis, neque in poſterum per multos annos, potui me aſcribere ſententiæ eorum, qui colicam hanc bilioſam affirmabant, his nixus rationibus. Prima quod infeſtante dolore, ventris paſſim fierent elevationes, flatibuſque erumpentibus dolor remitteret; quod omnium Authorum ſententia, colicum dolorem à flatibus extitiſſe ſignum eſt. Secunda à ledentibus, & juvantibus ſumitur; quod ſcilicet admotis ventri, doloris tempore, calidis linteis, dolor demulceretur; & quod potus chinæ frigidus mane ſumptus, dolorem colicum renovaſſet: Si calida juvant, frigida vero nocent, quis dolorem colicum, à cauſa calida exiſtere affirmabit? Tertia quod ex doctrina Galeni, nulla detur colica bilioſa, lib. enim de morbum ſimulantibus, omnes colici doloris cauſas ait fieri à cruditate, & refrigeratione: Et lib. 2. cap. 2. de loc. affectis cauſas doloris colici enumerans, pituitæ vitreæ, & flatuum tantum meminit: His addam quod in viro ſexagenario tantus non poterat eſſe bilis proventus, ut tot vicibus ſedatus dolor colicus rediiſſet, frigidum enim eſt, ex Hippocrate, ſenum corpus: Cur etiam, ſi bilis cauſa doloris colici extitiſſet, cur non apparuit in dejectionibus, facta dyſenteria, aut diarrhœa, ut ſupra, alias ægrotanti contigiſſe retuli; in tunicis enim inteſtinorum contineri potius quam in eorum cavitate, dici non poteſt, quia ſemel hinc deturbata bilis, ſedato dolore, non facile tot vicibus iterum in eaſdem tunicas introïviſſet. Nunc quæ contra hæc facere videntur, diſcutienda proponamus; pugnant enim contra nos quod ægrotus eſſet temperamento bilioſus; quod aliqua febri laboraſſet, quod ſiti infeſtaretur, & frigidis gauderet: quod auriginoſus fieret, quoties colica corriperetur: quod denique juſculis refrigerantibus cathar-

Rationes quare hæc colica non fuerit bilioſa.

Apho. xiiii. ſectio. 1.

tharticis, & alterantibus ſanatus eſſet, ut illi Medici gloriabantur. Ad primum de temperatum ægrotantis, dicimus temperamentum bilioſum, annorum ſerie valde retundi, ut in iſto ægrotante ſexagenario: quod etiam ſi non daretur, à ſolo temperamento non ſumitur morbi cognitio: illius quidem habetur ratio, inſervitque ad dubia ſigna fulcienda: ſed cum adeſt aliquod ſignum pathognomonicum, ut in iſto ægrotante, tumores ventris, paſſim aſſurgentes, & poſtea recedentes, dum colica præmeretur: Licet ejus temperamentum eſſet bilioſum, & auriginoſi non ſint admodum ventoſi, ex Hippocrate; colicam tamen iſtam, à materia flatulenta eſſe oportuit, falleretur que qui à temperamento diagnoſim morbi deſumeret; ſicut qui ab anni tempeſtate, de alicujus affectionis natura judicare vellet: Cum enim quolibet tempore, ut ait Hippocrates, omnes morbi fieri poſſint, fallax eſſet ejus inductio à tempeſtate deſumpta: quia aëris anbientis temperatio, ut docet Galenus in commentario, non eſt ſola morborum cauſa, propter vitæ intemperantiam, & alia errata commiſſa in vita, ut ipſe ait, à quibus in omni tempore, omnes morbi fieri poſſunt: Sic in omni temperamento, omnes morbi fieri poſſunt. Ad ſecundum quod de febri, de ſiti, & frigidiuſculi cibi, & potus delectatione affertur: Dicendum omnibus eſſe notum, in morbis frigidis, propter cauſarum complicationem, aut ipſius humoris frigidi putredinem febres accidere, ut in lethargo, cachexſia, hydrope, & febribus à pituita, in quibus omnibus, propter febrem, cauſam calidam eſſe, velle affirmare, inſcitiæ tribueretur. Adde quod febris, & reliqua, quæ videbantur calidum humorem indicare, fuerant tantum in principio morbi, eorum cauſa purgationibus, quibus uſus fuerat ægrotus, poſtmodum devicta, præter illam, ex qua fiebat aurigo tempore doloris, quæ non erat de eorum natura, ſicut nec illa ex qua urinæ coloratæ efficiebantur, ut infra demonſtrabitur; reprobaſſem enim diætam, à Medico ordinario præſcriptam, ſi aliqua ſigna humorem calidum indicantia, tunc temporis extitiſſent. Sed ut modum generationis hujus colicæ, cum ſymptomatibus ſuis in medium afferam: Sciendum eſt in corporibus bilioſis, cum propter intemperantiam, & nimio rerum frigidarum uſu, coctio in ſtomacho læditur,

A ſolo temperamento non poteſt deſumi morborum cognitio.

Apho. 19. ſect. 3.

Quomodo in corporibus bilioſis, generentur cruditates, & inde febres.

tur, generantur cruditates, quæ in corporibus bilioſis, interdum corruptione quadam incaleſcunt in quodam inteſtinorum receſſu, unde febris quædam ſpecies: Cum autem naturam cruditatis adhuc retineat, generantur flatus, quæ ut plurimum, in corpore bilioſo acrimoniam acquirens, flatibus communicat, unde colica ſæpiſſime cruciat, ventre præcipue non exiſtente libero. Si autem cum acrimonia, maligna aliqua qualitate ex putredine imbuatur, colicæ bilioſæ genus, ab Authoribus deſcriptum invehit, in quo fiunt vomitus æruginoſi, convulſiones, animi deliquia, & ſudores frigidi, quorum nullum apparuit in ægrotante iſto; ne quidem in morbi principio. Licet autem ex doctrina Galeni, ubi ſupra, omnes cauſæ doloris colici fiant à cruditate, & refrigeratione, effectus tamen poteſt eſſe interdum calidus; cum ſcilicet cruditas, corruptione quadam, ut ſupra diximus, incaleſcit, unde frigida, cauſæ nocent, cruditati ſcilicet, & refrigerationi; calida vero affectui, humori ſcilicet crudo, concepta corruptione tamen incaleſcente: Unde iſte ægrotans calidis non gaudebat extra dolorem; infeſtante vero colica, placebant ventri calidorum applicationes. Nunquam vidi ſimilem colicum dolorem, per intervalla ſic repetentem, qui tandem in nephriticum non deſineret. Nunc veniamus ad id quod etiam ex aurigine orta, & permanente per aliquot dies, poſt dolorem, & urinis coloratis ipſo doloris tempore concludebatur; bilem ſcilicet exſuperare, doloriſque colici ideo cauſam exiſtere: Quod non ego, ſed pro me evertet Nicolaus Piſo, qui in enumeratione ſignorum doloris colici à flatibus, ait urinas nimii doloris occaſione bileſcere; & paulo poſt, ex aliorum ſententia, inquit. Juxta alios bilis fertur ad urinas, cum viæ inteſtinorum, per quas excludi ſolet, ſunt interceptæ. His etiam de cauſis, accidit icterus bilioſis, in colico dolore, etiam à cauſa frigida; ſicut in fœdis virginum coloribus, in quibus interdum facies vireſcit, licet morbus ſit frigidus. Ad ultimum & potiſſimum eorum argumentum, quod ſuperiora confirmare videtur; juſculis ſcilicet refrigerantibus, purgantibus, & alterantibus ſanatum fuiſſe ægrotantem. Reſpondi antea horum Medicorum alteri, hoc maxime incertum eſſe, nec rationi conſentaneum eſſe, frigidis curationem tribuere

Signa colici bilioſi.

Lib. 3. de morb. cogn. & curan. cap. 20.

Qui icterus producatur a colica in bilioſis.

re velle, ubi potus chinæ frigidus colicæ redeuntis cauſa fuit, quæ fortaſſe non erat ventura. Sed detur juſcula purgantia compleviſſe curationem; Quid tum, cauſam doloris ignorantes, caſu, fortaſſe, ſanaverunt, minera exhauſta, ſi qua eſſet, frequenti purgantium juſculorum uſu, quod ita fore non inficiabar ægroto, antequam iis uteretur; frigida enim poteſtate, calida actu exhibita, frigidis non nocent affectibus, ut obſervatur in præcalida intemperie jecoris, iis qui frigido ſunt ſtomacho: Hac ratione juſſimus in principio lactucas in juſculis imponendas, propter febriculam, tuſſim, ciborumque calidorum, & potuum averſatonem, laborem afferentium, quæ procedente affectu paulatim remiſerant, primis catharticis ſublata putredine, remanente tamen diatheſi generandis cruditatibus idonea, unde tot colici doloris reditus. Ego quidem ingenue fatear, me multum, & diu laboraſſe, ut pugnantium ſymptomatum cauſas in hac colica adinvenirem, ſalva quam ſequimur Galeni doctrina; doloris ſcilicet colici cauſam, ſemper eſſe à cruditate, & refrigeratione, ideoque nullam proprie dari colicam binoſam, bilis enim, ut diximus, gigneret potius diarrhœam, dyſenteriam, aut choleram morbum: Quare non colicum dolorem à bile, ſed melius colicam ab acribus humoribus, & calidis quidam ſcribunt, ajuntque poſt Galenum, ejuſmodi dolores præcedere dyſenterias, quas non veri colici dolores comitantur, nec antecedunt, ſed proprie tormina; quæ differunt à colico dolore, quod minus urgeant, & breviori tempore, ſintque tormina ſine colico dolore; non autem colicus dolor ſine torminibus, qui etiam ut plurimum magis vagus exiſtit. Humores autem illi acres & calidi, colici doloris cauſæ, (qui etiam poſſunt eſſe frigidi,) quos omnes vulgo bilem appellant, cum tamen bilis non ſint; eſt enim eorum, ut inquit Sennertus, magna differentia; cum acrimonia ex ſalibus pendeat, quibus humorum ichores, calidorum, aut frigidorum imbuuntur; habet enim quilibet humor ſuum ichorem, qui pro natura ſalis in ſe diluti, quæ admodum varia eſt, vel levem, vel mediocrem, vel atrocem excitat dolorem. His poſitis non erit arduum, de pugnantium ſymptomatum cauſis, in iſto ægrotante, abunde ſatisfacere, revocantes in memoriam

Lib. 2. de loc. affect. cap. 2.

Qua ratione humores in corpore inducant dolores.

 quæ

quæ de illius temperamento, & aſſuetis ſupra diximus; Virum ſcilicet extitiſſe, nimio gaudentem æſtate potu frigido, & cibis refrigerantibus, qui tandem calidum partium coctioni ſervientium evertunt temperamentum, inclinante præcipue ætate; hoc autem multo magis in hac regione, in qua vere, & æſtate, modo calor modo frigus excitatur, propter tonitrua; ut vidimus in quodam nobili viro, qui moleſte ferens faciei ruborem, à temperamento prorſus ſanguineo innatum, vinum valde dilutum bibebat, omnibuſque cibis refrigerantibus utebatur; quibus in florenti ætate primo refrigeratum eſt hypochondrium ſiniſtrum; ita ut ſpleneticus putaretur, à qua putata affectione ſanatus, eidemque regimini vitæ indulgens, ſexageſimum annum agens, hydrope correptus eſt ex quo periit, talem vitæ modum non ferente inclinante ætate. Eodem vitæ regimine inciderat ægrotans, de quo nunc quæſtio eſt, in longam illam diarrhœam, cujus memini in principio capitis, qua tribus menſibus laboravit, duobus annis antequam hac colica corriperetur: Quæ quidem diarrhœa, non bilis dominium, ſed partium coctioni primæ inſervientium debilitatem, à refrigerante victus regimine oſtendebat. His addi poteſt quod hujus colici doloris cauſæ, tempore quadrageſimæ radices poſuerant, in qua piſces in ſtagnis degentes, acetaria, & legumina, ſæpius in menſa adhibuerat, quæ cruditatum proventus, & idoneam generandis flatibus materiam arguebant. Quare non mirandum, ſi frigidus chinæ potus, mane vacuo ſtomacho exhibitus, novum colici doloris inſultum invexerit, quod in colica à bile non accidiſſet, ut proxima Enarratione dicetur, de quadam muliere, quæ incipientem colicum dolorem, quem à bile dicebant, cyathi hauſtu frigidæ avertebat. Quia autem in iſto ægrotante febris adfuerat in principio, videreturque interdum etiam poſtea per vices febricitare obambulans; diximus ejus cauſam cruditatis cuidam corruptioni eſſe tribuendam; aut ſanguinis corruptionem in venis exiſtentem, ut ex venæ ſectionibus apparuerat, illius cauſam extitiſſe, ſicut & ſymptomatum quæ febrim ſequi conſueverunt. Ideo cruditati, ſeu potius refrigerationi ſtomachi, & inteſtinorum, quæ ejus cauſa eſt, & ambo, ex Galeno, colici doloris, actu frigida nocebant; corrup-

Hydrops orta in ſene ſexagenario à diæta refrigerante.

Hauſtus frigidus decocti Rad. Chinæ mane jejuno ſtomacho datus, colicam exitavit.

ruptioni vero cruditatis, febri, & ejus ſequacibus, calida. Quapropter in rerum pugnantium concurſu, recte calida actu, ne cauſæ colici doloris, quæ cruditas, & refrigeratio eſt, noceant præſcribuntur; virtute tamen refrigerantia, ut febri, corruptioni, ſiti, & aliis ejuſmodi adverſentur: Qua de cauſa juſcula refrigerantia cathartica maxime probavimus, non autem reliqua, propter rationes quas ſupra attulimus, quibus noluit reſpondere alter horum Medicorum, cui hæc communicaveram, hoc ſolum dicere contentus, quod juſculis refrigerantibus ſanatus fuiſſet ægrotus; Egregiam ſane reſponſionem, curaſſe affectionem, quæ fortaſſe non erat reditura, nec rediiſſet, ſi potus ille chinæ frigidus non fuiſſet exhibitus: Quomodocumque autem res ſe habeat, ſi velint ut in eorum ſententiam abeam; reſpondeant, cur potus chinæ frigidus mane propinatus, colicam excitaverit, ſi cauſa eſſet calida; Cur urgente dolore calidis ventri admotis dolor demulceretur, cum aquæ tepidæ balneum ab eis præſcriptum eſſet; Cur tempore colicæ furentis, fierent paſſim ventris elevationes, & poſtea recedentes, ſigna flatuum; Cur flatibus infra erumpentibus, dolor levaretur; Cur in viro ſexagenario tantus bilis proventus, cum frigidum ſit ex Hippocrate eorum corpus; & ſi tantus, cur de ea aliquid toto morbi decurſu in dejectionibus manifeſtum non apparuit; cum bili à natura datum ſit ventrem ducere? Aphor. 14. ſect. 1.

OBSERVATIO II.

Maſſiliæ adhuc juvenis, memini me vidiſſe mulierem 30. annum agentem, temperamento omnino bilioſam, quæ bis aut ter in anno, atroci colica, quam bilioſam vocabant Medici correpta; præ ceteris auxiliis, nullum illi magis profuit dolori ſedando, enemate ex vino generoſo, in quo florum chamæmeli mj. unica ebullitione incoctum fuiſſet. Pluries inde hoc ſum uſus enemate, addita ℥j. aut altera, olei de baccis lauri, cum feliciſſimo ſucceſſu, præter in quodam viro religioſo, qui torminibus potius, quam vero colico dolore laboraſſe exiſtimo; Is nocumentum potius quam levamentum percepit; unde calidos humores, ex calore per totum corpus diffuſo, ſubeſſe exiſtimans, ſecuro uſus ſum remedio, purgante ſcilicet,

Exortus colicæ flatulentæ, hauſtu aquæ frigidæ, impeditus in muliere.

à

à quo humoribus qualiſcumque naturæ eſſent, deturbatis, ſanatus eſt. Stupendum autem in hac muliere, ex hoc quod ipſa retulit mihi, ſe pluries incipientem dolorem, hauſtu frigidæ avertiſſe; vigente vero nunquam auſam fuiſſe: Si tunc temporis ſapuiſſem, aquam calidam haurire conſuluiſſem, quæ in colica ab acribus, & calidis humoribus, dum timetur refrigeratio, optima eſt. Quomodo vero frigidæ potus, advenientem dolorem averteret in hac muliere: & quomodo enema ex vino injectum, præſentes cruciatus compeſceret, non parum habet ſpeculationis. Ex vino credidi jam Medicus, colicam non fuiſſe bilioſam: Ex aqua, calidi aliquid ineſſe arguebatur, aliamque à ſuperiori ægroto cauſam extitiſſe, cui frigidum decoctum, dolorem à quindecim diebus ſedatum renovaverat, calidis antea vacuatis humoribus, ex datis purgationibus, remanente diſpoſitione, ut diximus, generandæ cruditati idonea: In hac autem muliere, quæ juvenis erat, & temperamento bilioſa, & in morbi primo inſultu; Exiſtimo largo, præcipue fructuum, & lactucarum eſu in acetariis, genitas fuiſſe cruditates, quæ ex natura ſua quodam calore concepto incaleſcentes, in ejuſmodi temperamento, flatus emittebant dolorum cauſam; quorum generatio, veluti extincto cruditatis, fortaſſe putreſcentis calore, impediebatur potu aquæ frigidæ, ſi ſub idem tempus, quo incipiebat flatuum emiſſio hauriretur; jam enim facta, coëgiſſet flatus in anguſto, unde diſtentio, eorumque diſcuſſioni fuiſſet obſtaculum.

OBSERVATIO III.

Morbus miſerere mei ab coarctato inteſtino Ileo.

Vocatus peregre à nobili viro, qui a dolore colico cruciari referebatur; ab injectis enematibus, fotibus, & ſemicupiis, curationem incepimus, quibus dolor non cedens, decrevi purgante medicamento inteſtina ab omni illuvie expurgare, quo penetrare non valente, nulla facta eſt dejectio: Fortiori præſcripto, idem prorſus contigit, vomituque rejectum eſt. Ileum ſuſpicatus, placuit alium Medicum ipſis parentibus, & ægroto notiſſimum, in conſilium adhibere, amboque multa, & variarum formularum purgantia haurienda, & devoranda curavimus, quibus ventre nihil dejiciente, poſt irritam contentio-

tionem, à pharmacis factam circa ilium dextrum, in quo dolor magis urgebat, omnia vomitu rejecta ſunt. Cum venter nihil dejiceret niſi quod ab enematibus mucoſa multa educebantur, ſine ullo tamen ſtercore; decrevimus globulum plumbeum devorandum præbere, quia vulgo, & quibuſdam Medicis, creditur contorta inteſtina evolvere, quaſi contorſio ſit ſola cauſa iliacæ paſſionis; & quaſi inteſtina ſemper ferantur per declive. Globulus devoratus modo deorſum tendit, modo ſurſum, parum tamen cubantibus ægrotis; modo ad latus propellitur, magiſque tunc impedimenti, quam adjumenti affert, ſi ſolo pondere ſit profuturus: Inteſtina etiam contorqueri, difficillimum eſt, multique doctiſſimi viri cauſas hujus affectus enumerantes, contorſionis non meminerunt, tanquam vulgi figmentum. Non ideo damnandum hoc genus auxilii; Primo quod ex eo agnoſcatur an via inteſtinorum ſit libera; Alterum, quod inteſtinum à tergo globuli poſitum, melius firmet impulſum, ut obſtaculum protrudat. Globulo plumbeo intus remanente, alium dedimus devorandum ex antimonio fuſo confectum, qui ut alter nihil profecit; ſicut nec hydrargyrus pondere duarum unciarum exhibitus. Ad extremum redacti, confugimus ad remedium Hippocratis, folliſque tubulo in anum immiſſo, aëre mediante igne calefacto, inteſtina inſufflando repleta ſunt, ut laxioribus factis, indurato ſtercori, ſi hoc eſſet, pateret exitus, aut ſi eorum eſſet contorſio expediretur; quo etiam nihil profecimus. Tandem circumforanei cujuſdam conſilio, cerea candela conſtructa eſt, in anum immittenda, auricularis digiti craſſitudine, & trium, aut quatuor cubitorum longitudine; Hoc auxilii genus non valde probabam, impoſſibile ratus, candelam ad ileum poſſe pertingere, quamvis autem illuc attingeret, per inteſtinorum flexuoſo aſcenſu complicata, debiliter impulſuram, calore etiam corporis emollitam: Tamen cum extremis, & deſperatis morbis, omnia adhiberi ſoleant, ad quoddam ægrotantium, & parentum ſolatium, omnia permiſimus, quæ nihil profuerunt, deſperataque eſt ſalus à nobis, vixitque ægrotus octoginta dies, nullo ſtercore toto morbi decurſu pertranſeunte, niſi ab enematibus mucoſis illis, de quibus ſupra. Quibuſdam diebus ante mortem, venter maxime intumuit, ex

Globulus plumbeus, & ex antimonio, item mercurius vivus fruſtra datus.
Lib. 3. de morb.

horrenda inteſtinorum inflammatione, quod diſſecto poſt mortem cadavere innotuit, erant enim ſeipſis duplo majora; Ilionque, qua parte ad latus dextrum divertit, quaſi filo in anguſtias coactum deprehendimus, ſine ulla duritie. Perſuaſi autem morbi cauſam juxta globulos inventuros, inteſtini anguſtiam explorare neglexim*u*s, globulorumque inquiſitionem, à ſuperioribus incipere inteſtinis Chirurgo imperavimus: Qui omnibus exploratis inteſtinis, res ſtupenda! in recto inteſtino ambo inventi ſunt, fracto qui ex antimonio confectus fuerat. Rumor ſtatim ad cognatos, qui erant in ſuperiori aula pervenit, nullam nos putati morbi cauſam inveniſſe, cujus rei certiores facturi, rogaverunt, ut in aulam aſcenderem, narraturus quænam fuiſſet cauſa mortis, Ilei nulla inventa: Reſpondi ilei nos cauſam inveniſſe, ideoque mortis, anguſtiam ſcilicet inteſtini, quod affectui nomen dedit, quam à multis annis, & fortaſſe à prima conformatione factam in utero putabam; cum à longo tempore ſcirent eorum multi, ægrotum per ſanitatem coactum fuiſſe, qualibet fere nocte, ingeſta evomere, præſertim cum cibis multis in cœna ſe ingurgitaſſet; cujus ſymptomatis cauſa illi anguſtiæ erat tribuenda. Cum enim progreſſu temporis, omnia fiant in corporibus noſtris debiliora, quadragenarius ægrotans factus, infirmiori evadente inteſtinorum facultate, non valebat ut in juventute, trans locum inteſtini anguſtum, omnia ingeſta expellere, ideo pars vomitu digeſtione facta, de nocte rejiciebatur. At ſeni jam facto, magis ac magis langueſcente facultate, iſthmus omnino obſtructus eſt, unde iliaca paſſio. Si ita res ſe habeat, inquiunt, quomodo penetraverunt globuli? Relaxatis viis, reſpondi, emoriente natura; Quemadmodum videmus in plurimis ægrotis, abſceſſu interno laborantibus, à quo pus non effunditur, niſi ipſis morientibus, & jam vita functis.

OBSERVATIO IV.

Dolor juxta infimam coſtam in dextro latere, perperam pro Colico & nephritico habitus.

Vir quidam non infimæ conditionis, ætate 50. annorum, pertinaci & ſæpius repetente dolore correptus, in dextro latere juxta infimam coſtam; Pluribus adhibitis auxiliis per decem annos, dolor ſemper recurrebat, gravius repetens: In principio colicus dolor creditus eſt, eo quod ad vicinas partes ſe pro-

produceret, cogens ægrotum cum clamoribus decumbere; Poſtea vero qui illum inviſerunt Medici, dolorem nephriticum eſſe affirmarunt, inter quos erat collega meus. Cum autem ægrotus, ex adhibitis in hunc finem remediis, nihil proficeret, collegam cui multum confidebat, & me, ad ſe venire rogavit literis, cauſæ doloris conjunctim indagandæ gratia, ſuper quam interrogatus æger, ſigniſque omnibus præſentibus, & præteritis rite perpenſis, dolorem nephriticum eſſe negavi; hac præcipua ratione, quod per decem annos, lapillus nullus eſſet excretus, à quibus per intervalla ægrotus dolore torquebatur; alioqui in renibus detentus in molem prægrandem increviſſet, renemque dilaceraſſet, ut habetur in Enarratione 1. cap. de calculo renum: Quod ab urinis ægrotantis innotuiſſet. Nullis itaque morborum renis apparentibus ſignis, alibi quærendam eſſe doloris cauſam, quæ humor acris erat, vel in inteſtinis, vel in muſculis abdominis, vel in quapiam altera à renibus parte: Quinam autem fons & origo humoris, non conſtabat: Certum quidem erat, per intervalla in partem mitti, cum dolor non eſſet permanens, ſed per vices recurreret, poſtquam multis diebus quieviſſet; pars tamen quæ mittebat, erat adhuc nobis incognita. Tandem ex ægroti relatione, denuo ſolus illum inviſens, comperi humorem circa ſenſum, à capite in partem affectam defluere per intervalla: Nam cum artuum doloribus vexaretur, à dolore ventris erat immunis: Si autem dolor ventris rediret, ceſſabat dolor arthriticus. Hæc audiens ab ægrotante, affirmavi me ſequi eorum ſententiam, qui ſtatuunt arthritidis cauſam, originem ducere à capite: Ideo hujus doloris fontem, à capite eſſe deſumendum, humoriſque defluentis impetum omnibus modis eſſe avertendum, venæ ſectione, frequenti purgatione, aliiſque jam dictis, cap. de fluxi. præcipue autem diæta exſiccante, & ſudorifica: de his tamen omnibus cum meo collega, cui multum fidebat ſtatuturum: Qui audita mutatione doloris, quæ modo in ventrem, modo in artus fiebat, prima ſede relicta, coactus eſt diſcedere à ſententia de nephritico dolore, à qua ſemper ſteterat; utriuſque doloris cauſam eamdem quidem eſſe, fontem autem petendum eſſe à jecore: Ego vero à capite. In hac ſententiarum diſcrepantia,

 de

de origine cauſæ antecedentis; quia ægrotus collegæ meo multum credebat, permiſi ut quidquid jecori temperando, & expurgando aptum duceret uteretur, excepto lacte, quod male habentibus ab hypochondriis non probatur ab Hippocrate: eo tamen utens ægrotans, coactus eſt abſtinere, nec ab aliis auxiliis quidquam emolumenti percepit. Ideo ptiſana purgante à me propoſita, tribus conſequutis diebus ſumenda, de qua paſſim fit mentio in hoc opere, uti voluit, deinde menſe Septembri qui proximus erat, diæta ſudorifica; à qua ab omnibus doloribus liber factus eſt, ſpacio trium annorum; non ſolum ventris, ſed & artuum. Cum autem conſuluiſſem illi percepto diæta emolumento, ut quolibet anno eodem tempore eam iterum inſtitueret, ne novis excrementis in cerebro genitis, ut fere fit, renovaretur fluxio, quod ille ſemper ſe facturum promittebat, nec tamen exequebatur: Unde poſt tres annos, novo à capite deſcendente humore in latus dextrum, abſceſſus factus eſt, dejectoque pure, obiit valde macilentus, cum antea valde eſſet obeſus.

Apho. 64. ſect. 5.

OBSERVATIO V.

A Corrupto pyloro dolor continus, & tandem mors.

In eadem urbe civis quidam mero ſatis indulgens, dolore circa regionem ventriculi correptus eſt, qui ſtatutas quolibet die habebat exacerbationes, urgens circa veſperam, & noctem, quo tempore, ut colicus dolor in partes vicinas propagabatur, mane remittens circumſcriptus. A Medico ordinario quibuſdam præſcriptis purgationibus, & balneis, dolore omnino levatus eſt æger: Poſt ſex menſes reverſus eſt, iiſdem exacerbationibus moleſtus; at pertinacior, nullis antea cedens remediis. Vocatus in conſilium, operæ pretium duxi, ptiſanam purgantem tribus diebus continuis, mane propinandam præſcribere, qua venter ad votum quidem dejecit; dolor autem ſemper ſimilis, nec ullis invadendi modum mutans præſidiis. Facta cum tribus Medicis conſultatione, præſcriptus eſt ſyrupus magiſtralis, deinde potus aquarum mineralium *de Villeranque*, quæ vitriolo imbutæ creduntur, non ſpretis ab extra præſidiis: Syrupus votis reſpondebat; dolor autem non cedebat, nec topicis demulcebatur: Defuit tamen aquarum

uſus,

uſus, eo quod ſumptui parcere volens æger, per alios habere expectaſſet, quorum culpa nihil actum eſt: De ſalute deſperantibus, quædam fiebant ad ægrotantis ſolatium, qui paucicis poſt diebus, à nigrorum vomitu facto obiit: cujus diſſecto cadavere pylorus niger & corruptus inventus eſt. Ex doloris ſtatutis exacerbationibus, & ejus reditu poſt ſex menſes ſtatuendum eſt in iſto ægrotante, partem aliquam mittentem fuiſſe, quæ pro ratione cumulati in ſe humoris deorſum propulſi, doloris ingraveſcentis major cauſa erat, quouſque nova fluxio diſcuteretur, remanente in parte, quod in ea altius defixum erat, à quo dolores conſueti & ordinarii: Quænam autem eſſet iſta pars mittens, ea ſcilicet à qua fluxiones fiunt quæ caput eſt; ut deducitur ex Galeno cap. xi. lib. 2. de febr.

OBSERVATIO VI.

Uxor litium capitalium regii Legati urbis Montiſmarſani, aliquibus diebus à partu, cepit conqueri de doloribus ventris: Quia adhuc à partu lecto detinebatur, Medicus extraneus, qui vocatus fuerat in conſilium cum ordinario Medico, aſſerebat dolores illos eſſe à matrice, remediaque in hunc finem præſcripſerat. Cum autem malum ſemper urgeret cum vomitu, in eamque urbem veniſſem pro quodam ægrotante, rogatus ſum à marito, ut cum aliis duobus Medicis, vellem pro ſalute uxoris conſultationem habere; quod libenter accepi, initoque de cauſis doloris ſermone, negavi à matrice exiſtere, ſed iliacæ paſſionis eſſe affectum, cum eſſet perpetuus vomitus, nec infra ſolitæ eſſent dejectiones. Medicus ordinarius facile conceſſit in meam ſententiam; extraneus vero non item: Ultro tamen, citroque rationibus habitis, tandem etiam fateri coactus eſt. Nam datis quibuſdam purgationibus, tempore dejectionum fiebat tumor in latere dextro, inter umbilicum, & ilia, quo paulatim recedente, ſubſequebatur vomitus; Quod ſignum erat obſtructionem eſſe factam in ileo, qua parte tumor fiebat, ex impulſu humorum à medicamento, quo petranſire non valentes, motu contrario ſurſum propellebantur: Quæ autem vomitu citra medicamentum purgans rejiciebantur, iis non erant abſimilia, quæ in diarrhœa dejiciuntur, ſubrufa, & liqui-

Iliaca paſſio orta aliquot a partu diebus.

da, cum fœtore. Conſului ut præmiſſio fotu emolliente, ſupra partem in qua fiebat tumor, bolus devorandus præberetur ex diaphœnici ℥ß. & terebinthinæ ʒij. quo devorato, eodem tempore factus eſt tumor, & ipſo recedente, vomitus ut antea: Diſcedens habui ægrotantem tanquam depoſitam, brevique mortuam. Didici ex hac muliere non eſſe verum, quod in volvulo nihil dejiciatur; vidi enim ſemel, & iterum, in dejectionibus ab enematibus factis, excrementa ſubrufa in longum figurata, & ſupernatantia, quæ tamen digiti annularis craſſitudinem non æquabant; ex quo concludebam, viam omnino non eſſe obſtructam, à quodam fortaſſe tumore, ut in alia muliere cui inteſtina vervecina recenter ex ventre animalis extracta, & adhuc calida ſuper ventrem poſita, alvum ſubduxerunt: Cum autem iterum non dejiceret, conſultatione vinum emeticum præſcripſimus, quo venter iterum motus eſt; volvuloſa tamen poſt menſes integros, nutritionis defectu, valde macilenta, ut opinor, effecta, tandem periit, duro tumore inteſtinum comprimente invento. Sennertus cap. 1. lib. 3. prac. probat etiam ex Hippocrate, contra Galenum, in ileo ſæpiſſime aliquid deſcendere, eos tamen conciliat in fine quæſtionis capitis jam dicti; verum eſſe, inquiens, in volvulo nihil infra dejici, in morbi proceſſu, in principio aliquid poſſe per inferiora deſcendere: Sed hæ duæ hiſtoriæ à nobis allatæ, oſtendunt etiam in fine aliquid poſſe dejici, cum via omnino non occluditur. Quod antem docet in eodem capite Sennertus, proximam ilei cauſam, eſſe facultatis diſtributricis chyli, & expultricis motum inverſum, & præter naturam, verum eſt in ægrotis quorum refert hiſtorias, in quibus nulla erat obſtructio in inteſtinis; In aliis vero in quibus eſt obſtructio, volvuli præcipua cauſa eſt id quod obſtruit, à quo alia omnia ſymptomata efficiuntur. Vide citato loco ſcitu dignas enarrationes, de intromiſſis in anum vomitu rejectis, & præcipue de quadam puella curata.

De diarrhœa.

CAP. VI.

Cum venter pluries, & aſſidue dejicit humida excrementa ſine ſanguine, & dolore, aut ſaltem parvo, diarrhœam Græci vocant, à verbo *Diarrheo*, quod eſt, per medium fluo, & defluo. Latinis alvi profluvium dicitur; Quod fit aliquando naturæ lege: Alias vitio ſtomachi, & inteſtinorum, affectu aliquo laborantium: interdum fit diarrhœa à corruptela humorum: Subinde à partibus viciniſ, vel remotis, ſuperioribus præcipue, excrementa deponentibus in ſtomachum, & inteſtina. Quæ omnia recte medentibus veniunt conſideranda. Primo quidem motus naturæ, ſi recte fiat, ipſi ſoli committendum negotium, ſecundum Hippocratis doctrinam: Quæ decernuntur decretave ſunt juſte, ea nec movere, &c. Quod non ſolum in morbis; ſed etiam in excretionibus quæ fiunt per ſanitatem, obſervare oportet. Cum vero natura incipit, & non pergit, aut ſegniter agit, juvanda excretio, ſi res exigit; ſicut compeſcenda, ſi modum excedit, & vires proſternuntur: Quomodo autem in hoc ſe gerendum, quantitas, & qualitas eorum quæ dejicuntur demonſtrabunt. In aquoſis dumtaxat fluxionibus ventris; in quibus nullus eſt fœtor, purgando magis aſtringendum, quam ſi bilis colore, ut fere fit, imbuantur, multoque magis purgandum, ſi pravus aliquis humor immiſceatur, dejectionibus, & adhuc magis ſi fœtor adſit: Quo autem craſſior erit dejectio, eo purgantibus magis indulgendum, minuſque aſtringentibus. Contra ſi multa ſit dejectio, minus purgandum, & magis aſtringendum, niſi materiæ excretæ qualitas contrarium ſuaderet, ut maximus fœtor. Horum omnium purgantium exempla proponentur capite ſequenti; cum dyſenteria ſit alvi fluxus, multa cum diarrhœa habens communia, & in purgantibus, & in roborantibus, & in quorumdam ſignorum, & cauſarum dignotione. Cum alvi profluvium fit vitio ſtomachi, & inteſtinorum, propriis cujuſque ſignis vitium eſt inveſtigandum, quod ut plurimum imbecillitatem eſſe comperies,

Diarrhœæ definitio.

Aphor. 7. ſecti. 2.

Natura ſi in ducretioni- bus parum aut nimium agat, adjuvanda aut inhibenda eſt.

Alvi profluvium fit ut plurimum vitio ſtomachi, & imbecillitate.

ries, à refrigeratione, potius quam ab aliis cauſis invectam, quæ tamdiu fovebit diarrhœam, quouſque à natura, vel arte corrigatur, venena quoque aſſumpta, & purgantia violenta, & maligna, harum partium robur labefactant, unde longiſſima diarrhœa, quæ roborantibus ſpecificis curatur potius quam purgantibus; à natura tamen dejectionum purgantium indicatio deſumenda. Corruptela humorum, nullo viſcere affecto, diarrhœam dierum plurium excitare valet, ſi tota non expurgata, remanſerit fermentum in aliquo receſſu, quod alimenta quæ ſumuntur, & omnes ſibi appropinquantes ſuccos corrumpit, in ſuique naturam convertit; ex quo inutiles facti, à natura rejiciuntur, novam ſemper diarrhœæ materiam ſuppeditantes: Unde colligitur diarrhœam augeri, invaleſcente fermento; & minui ipſo remittente. Ideo impura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes, ut monet aphoriſmus. Diarrhœa à vermibus hujus generis eſt, & quædam quæ accidit in febribus intermittentibus: Quas omnes experientia ſum edoctus, purgantibus curandas eſſe, ac ſi nulla eſſet diarrhœa, ita ut in ejuſmodi profluvio, quod non multum urget, tali in multis uſus fuerim purgante, à quo venter non extra modum dejecit.

Hipp. apho. x. ſect. 2.

Hauſtus purgans ad diarrhæam.

℞. Aquæ cicho. q. ſ. pro una doſi, folior. ſen. mund. ʒiij. ani. ʒß. rhabar. ʒj. forti expreſſ. diſſol. cathol. ℥ß. rhab. pulv. ſcrup. j. ſyru. roſ. purgat. ℥j. fiat potio mane ſumenda.

Si vermes ſubire credantur, ſumitur aqua portulacæ, ſemen contra, & ſyrupus de flore perſicorum; loco aquæ cichorii, aniſi, & ſyrupi roſacei. Pro re nata, loco aquæ cichorei, accipitur aqua roſ. plantagi. aut portul. Abjicitur ſenna, augetur pulvis rhabarbari, nullo diſſoluto ſyrupo. Unum autem ſcio, & in diarrhœa, & in dyſenteria, experientiam me coarguiſſe, in præſcribendis debilibus purgantium formulis, in alvi autem profluvio, magnum non committitur flagitium, incipiendo à levioribus. Excrementorum denique confluxus ad ventrem, vel à toto corpore, vel aliqua parte, jecore, liene, meſenterio, capite, facit diarrhœam: Quæ fit à toto corpore, bis, ter, aut quater, acidit in anno, non multum durat, & fere ſemper pro ſanitate eſt; A venoſo tamen genere diarrhœa, à toto corpore fieri dicenda eſt, cum venæ per totum corpus ſint

Diarrhœa quæ non multum durat fære ſemper eſt ſalutaris.

ſint diſperſæ, ſicut & carnes, quæ quidem interdum longa eſt, ſecundum naturam fermenti putredinis venas ſubeuntis, quam natura per ventrem expurgare conatur, multique per venæ ſectionem, ut Neoterici, præcipue Medici Pariſienſes, & horum exemplo reliqui totius Galliæ Medici: Neque tantum in hac ſpecie ſectionem venæ imperant, ſed & in omnibus, quod inconſiderate non eſt faciendum; multoties enim in alvi fluxu, venæ ſectio non convenit: cum ſcilicet ejus cauſa refrigeratio eſt, & debilitas partium primæ coctioni inſervientium; cum in primis viis ſcatet putredo, à qua fovetur alvi fluxus. Cum denique alvi fluxus à cauſa maligna exiſtit, à fermento ſcilicet quodam putredinis, in quodam viſcerum receſſu latitante, quod veneni naturam æmulatur, ut dicetur in enarrationibus. Diarrhœam autem cum febris comitatur, non ſemper venæ ſectionem indicat, niſi cum à venoſo genere cauſa deducitur; ex vena cava ſcilicet, & ejus propaginibus. Nam rami venæ portæ, melius ſæpiſſime purgatione, quam venæ ſectione expurgantur, ut contigit juveni, qui in febre acuta urinas nigras mingebat in principio, quæ ſtatim à purgatione, data à me quarto die, puræ evaſerunt, excreto humore nigro pici liquidæ non abſimili. Non mirandum igitur ſi Hippocrates dixerit. Quibus in principio urinæ nebuloſæ, aut etiam craſſæ ſunt, tales repurgare oportet; ſi etiam alia contulerint: Quibus vero in principio urinæ tenues, tales ne purgato; Sed, &c. Sine febre poteſt fieri venæ ſectio in diarrhœa, ſi fluxio ejus cauſa ſit, ut alio materia derivetur, aut revellatur. Vide Zacutum de Medic. princip. hiſtor. lib. 2. hiſtoria 81. de alvi fluxu ex Galen. Quem ipſe contorquet, ut oſtendat illum in alvi fluxu probare venæ ſectionem; cum tamen magis conceptis verbis improbet: Vide autem præcipue obſervationem hoc loco conſcriptam, in fine quæſtionis; de quodam juvene, qui a longa diarrhœa ſanatus fuit venæ ſectione ſalvatellæ, multis antea incaſſum adhibitis auxiliis, etiam lactis uſu. Diarrhœa cujus cauſa fluxio eſt à capite, interdum diuturna, niſi ex ſubita refrigeratione capitis antea ſani, & nullis fluxionibus obnoxii; In aliis enim cerebrum jam debile factum, ſemper excrementa gignit, per eamdem viam ad defluxum parata, qui

Quibus in diarrhœis venæ ſectio non conveniat.

Lib. de rati. vict. in morb acut.

ut plurimum fit citra ſenſum, neminique in mentem veniret, à tali fonte ægritudinis fomitem eſſe petendum. Verum cum fluxus ventris ſæpe repetit aquoſa exiſtente dejectione, etiam ſi parum bile tincta, alibique cauſa diuturnitatis fluxus non invenitur; ſi ægrotans fluxionibus à capite erat obnoxius, quæ tunc temporis non infeſtant; ſuſpicandum humores excrementitios, à via ſolita in alvum divertere, licet excrementa ſpumoſa non appareant, contra id quod habetur apho. 30. ſect. 7. Neque enim omne quod à capite defluit ſpumoſum eſſe poteſt; neque omnis ſpumoſa dejectio eſt à capite, ut ibi annotat Galenus.

Signa diarrhœæ ortæ a capitis fluxionibus,

Cum autem diarrhœæ cauſa in ventre eſſe dubitatur, in eo magis ſtandum, quia frequentius ejus ſedes ibi invenitur; Primum quidem vitio inteſtinorum, & meſenterii, deinde ſtomachi, poſtea lienis, ultimo jecoris: De quibus duobus ultimis, non tam viſcus, quam partes quæ ab ipſis deducuntur ſunt intelligendæ. Jecur enim refrigeratum, & debile factum, cum cauſa hydropis eſt, non facit diarrhœam, ſed potius alvi aſtrictionem; non dejicit enim, inquit Hippocrates, niſi dura, & pro neceſſitate: Nimia tamen bilis generatione in eo, quotidie ſe in ventrem exonerante, diarrhœæ cauſa illi tribuitur, cui maxime venæ ſectio convenit; poſtea vero illi quæ fit à ſanguinis corruptione, quæ ſi ab aliqua jecoris intemperie, vel ipſius alio affectu originem ducat, ipſi cauſa diarrhœæ tribuenda, ſicut & illa quæ fit attractione ipſius imbecilla, chylo remanente humidiore, quod magis venis mazeraïcis tribuere videtur Galenus. lib. 2. progn. cap. 1. Idem propemodum de liene dicendum eſt, ex eorum præcipue ſententia, qui eum aliud jecur exiſtimant, ut cap. de hydrope dictum eſt. Quomodocumque autem accipiatur, ſi deſciſcat ab officio, diarrhœam poteſt invehere.

Lib. 2. prog. cap. 1.

Cum igitur diarrhœa modum non excedens, incipit, nullaque ſunt tormina, aut leviſſima, neque vires proſternuntur, multoque magis ægrotus quaſi ſarcina levatur, totum negotium naturæ dimittendum, uſque ad ſeptimum diem, quem ſi tranſcenderit; vel partis alicujus jam dictæ affectum, qui propriis ſignis inveſtigandus; vel fermentum aliquod putredinis, ex fœtore excrementorum præcipue agnoſces, eoque magis quo antiquior erit affectio. Si quis tamen ante ſeptimum diem, ut natura ci-

Si diarrhœa non ſit cum torminibus, & vires non dejiciat, naturæ negotium demandandum uſque ad ſeptimum diem.

citius perficiat, aliquo medicamento, incertus de cauſa diarrhoeæ, uti velit, à propoſito non abducendus, præcipue ſi fœteant excrementa, fermenti putredinis alicujus ſignum, quod mora magis invaleſceret. Ego quidem cum diarrhœa primis non cedens remediis, protrahitur, cauſam primum ordine eſſe quærendam exiſtimo in partibus de quibus ſupra, propriis cujuſque ſignis, partis, & ante actis ab ægrotante, & excrementorum inſpectione, quæ vitium coctionis non ſolum oſtendunt; ſed & humoris excrementitii naturam, ex qua pars affecta interdum agnoſcitur; excrementum enim cujuſque partis illius propriam diſpoſitionem oſtendit, ut docet Galenus, ſive aliunde confluat ad inteſtina, ſive in ipſis gignatur. Nulla deprehenſa in partibus ventris cauſa profluvii, quæ ſæpiſſime in meſenterio latitat: coctioni ſcilicet dicatis per ſe non laborantibus: Vel à toto, vel à ſolo capite petenda eſt origo diarrhœæ, eorum excrementis per vices, aut continuis ad ventrem confluentibus, quod frequentius fit ex capitis fluxione; iis præcipue qui cephalagiis, aut fluxionibus ſunt obnoxii: cum ceſſante dolore; aut fluxione ad ſolitas partes, excitatur diarrhœa, in qua ut plurimum dejectiones ſunt aquoſæ, aliquando ſpumoſæ, fere ſine fœtore, & faciei color bonus, niſi alicujus alterius affectionis complicatio, aut dejectionum numeroſa quantitas vires dejiciat; quod raro fit, niſi diuturnitate fluentis humoris, partes ſuſcipientes extra modum evaſerint debiles.

Lib. 1. de loc. affect.

PROGNOSTICA.

Qui alvi profluvio multo tempore detinentur una cum tuſſi; non liberantur ſi dolores vehementes in pedes non inciderint. Hippo. lib. de judic.

Diarrhœa in lethargo, & peripneumonia, mortifera, ex Hippoc. lib. 3. de morb.

Diarrhœa in tabidis, mortem propinquam denuntiat. Hippo. aphor. 14. ſectio. 5.

In fluxionibus alvi, ſi qualia oportet purgentur, confert, & facile ferunt; ſi vero non, contrarium. Hippoc. aphor. 2. ſect. 1.

In fluxionibus alvi, excrementorum mutationes juvant, niſi

in deteriora mutentur. Hippoc. apho. 14. ſectio. 2.

Longo alvi profluvio laboranti, vomitus ſponte ſuperveniens, ſolvit profluvium. Hippoc. aphor. 15. ſect. 6.

Alvi profluvium in ophtalmia, bonum ex Hippoc. apho. 17. ſect. 6.

Quibus in dolore lateris cum febre, alvus multa aquoſa bilioſa egerit. Si allevantur. Hipppcrat. libr. 1. coac. Coaca 73. apud Duretum, vide reliqua quæ male vertit I. Cornacius.

Diarrhœa in hydrope quæ non juvat, peſſima; pravam enim in viſceribus diſpoſitionem oſtendit.

Diarrhœa ſæpe utilis in principio morbi, & tunc maxima eſt plenitudo.

Diarrhœa quæ non tranſcendit ſeptimum, pro valetudine eſt; alioqui aut vires proſternit, aut dyſenteriam invehit, aut febrem affert, aut perſeverantem à capite fluxionem oſtendit, aut pravam ineſſe viſceribus diſpoſitionem indicat.

Omnis diarrhœa poſt morbum diuturna, peſſima; ad hydropem enim, aut alium affectum periculoſum ducit.

Diarrhœæ febris ſuperveniens, materiam putreſcere, aut ipſam putredinem augeri, aut partem aliquam affici oſtendit.

Ceſſante diarrhœa, ſi febris ſuperveniat, aut perſeveret, cauſam intus remanſiſſe ſignificat.

In diuturnis alvi profluviis, crepitus ſine materia erumpens, bonum.

Diarrhœa quæ modo ceſſat, modo repetit; malam alicujus partis in ventre diſpoſitionem oſtendit, aut fluxionem à capite per intervalla delabentem, aut aliquod putredinis ineſſe fermentum.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Diarrhœa pulvere gallarum curata.

Vir quidam Maſſiliæ, frequenter alvi profluvio laborans, in pedes tamen ſtare, & obambulare valens, affirmavit mihi ſe illud conprimere quoties placeret, ſumpto cum vino rubro, pulvere de gallis orientalibus, unam integram redigens in pulve-

verem, ſi multum urgeret profluvium; mediam vero ſi parum, eoque modo ſe fluxum ventris ſiſtere ad libitum. Exiſtimandum eſt diarrhœam iſtam vel ab imbecillitate partium primæ coctioni inſervientium, vel à quodam humore ſeroſo ad ſtomachum, & inteſtina confluente, à quo in inteſtinis contenta diluebantur.

OBSERVATIO II.

Annum agens 63. multis formidabilem, eo quod ſit ex præcipuis climactericorum, ingenti alvi profluvio correptus ſum, ſine cauſa ulla manifeſta, quod ſpatio duorum dierum & dimidii, ſexaginta ſex vicibus ventrem dejicere coëgit aquoſa, interdum ſubrufa in principio. Etiamſi profluvium iſtud, propter numeroſas dejectiones, ſpernendum non eſſet; nullo tamen uti volui pharmaco, eo quod nulla eſſent omnino tormina, validuſque ſatis eſſet pulſus: Juſſi tantum ſecundo die, propter maximum juſculorum faſtidium, parandam mihi pultem panariam, cum juſculo tamen carnis confectam, ſatiſque liquidam, ut ebibi poſſet, quæ fuit mihi pro cibo admodum grato, ſtatuens die tertio, ſi fluxus perſeveraret, ſumere infuſionem rhabarbari in aqua plantaginis factam, diſſoluta ʒß. rhabarbari in pulverem redacti; ſed die tertio circa meridiem paulatim reſtitit alvus per ſe. Cum à longo tempore eſſem quibuſdam fluxionibus à capite obnoxius paſſim per varias corporis partes oberrantibus, credens hos omnes ſeroſos humores, à capite, & aliis partibus, ad ventrem vacuandos confluere, ſine moleſtia volui totum negotium naturæ committere.

Diarrhœa vehemens, qua laboravit auctor ſponte ſanata.

OBSERVATIO III.

Vir quidam nobilis, & in ſecunda Curia Montiſmarſani Aſſeſſor judex, in civilibus, & capitalibus; aliquibus menſibus à ducta uxore, incidit in diarrhœam, obambulans tamen, & interdum equitans. Tandem coactus eſt decumbere: In conſilium vocatus collega meus, cum Medicis urbis ordinariis, ex aſphyxia, & extremorum frigiditate deſperans de ſalute ægrotantis, nuntiato præſenti periculo, quam citiſſime diſceſſit, vocatus ego à parentibus; veniens ægrotantem quidem inveni ſine pulſu, cum extremorum frigiditate; ex loquela tamen, & cor-

Diarrhœæ malignæ. I.

poris motu nullo affectu laborare dixiſſes. Habita cum duobus urbis Medicis ejus curæ adhibitis conſultatione; aſſerui, cum ageretur de ventris profluvio, intus relictum fuiſſe, in quodam receſſu, aliquid malignæ qualitatis particeps, ante vel morbi decurſu genitum, quod temporis progreſſu invaleſcens, & naturæ grave, conabatur ipſa excernere per ſeceſſum; Ideo ejus motum eſſe juvandum, ut quod purgationes præcedentes efficere non potuerant, hæc, aut altera perficeret. Uno animo, & una mente concluſum eſt, iterum propinandam eſſe rhabarbari infuſionem, cum ſuo pulvere; deinde utendum eſſe opiata aſtringente, & corroborante, ex conſerva roſarum corallo rubro præparato, margaritis, confectione de hyacinto, & ſyrupo cydoniorum, pergendo in uſu epithematum. Inſpectis interea ad lucernam, quia nox erat, ægroti excrementis, viſa ſunt omnia multo imbuta ſanguine, quod tamen illis nox imponebat; Ego vero, quem alias nox deceperat, affirmavi non ſanguinem, ſed bilem croceam, rubiginis ferri diſſolutæ, aut lateris rubri non abſimilem: humorem ſane peſtiferum in diarrhœa apparentem, ut ex plurimis ægrotantibus mihi notum eſt, qui omnes perierunt. Die exhibitionis rhabarbari, duobus, aut tribus dejectionibus ventre exonerato, explorantibus pulſum diaſtole parum innotuit, quod multum aſtantium animos ad ſpem erexit; mihi autem plena aleæ poſterus dies: Alvo enim compreſſa, & fortaſſe citius quam par erat, neſcio utrum ab uſu roborantis opiatæ, an alia de cauſa, ſingultus excitatus eſt, cum animi pervicacia, in reſpuendis juſculis, etiam à matre oblatis, cui ſemper paruerat, quod delirii ſpeciem eſſe affirmavi, pulſus tamen magis ac magis invaleſcebat, quouſque febris valida facta eſt: Omnes rem in tuto eſſe credebant; ego vero ſciſcitantibus plenam aleæ reſpondebam, propter ſingultum, & illam animi pervicaciam. Cum autem fluxus ventris derepente cohibitus eſſet, melius enim ſi pedetentim, certiſſime credens, fermentum illius malignæ cacochymiæ, intus ſubeuntis remanſiſſe, illiuſque pervicaciæ, & ſingultus cauſam eſſe: operæ pretium ducebam medicamento fortiori, cathartico citiſſime deturbandum, quod quidem unus ex Medicis vocatus probabat: alter vero ægroti ordinarius minime, futilibus

ne-

neſcio quibus ductus rationibus, unde præteriit dies quartus à magna febri, & occaſio propinandi; quam deinde ſexto arripere volentes, nihil profuimus, moriente ægroto ſeptimo die.

Observatio IV.

Vir quidam nobilis 23. annorum, cepit diarrhœa laborare; poſtero die quia longe aberat à Medicis, loci Pharmacopæus propinavit illi infuſionem rhabarbari, cum ejus pulvere. Interea miſerunt ad me, ut nulla facta mora equum conſcenderem; tertioque die veniens, peſſime ſe habentem inveni ægrotum, ex pulſu, & dejectionibus, eumque de ſalute ſua deſperantem, quod manus torpidas haberet; emoriente ſcilicet in illis facultate ex penuria ſpirituum, maneque obiit.

Mors a Diarrhœa.

Observatio V.

Juvenis quidam incidit in febrem tertianam; poſt ſecundum paroxiſmum, quia morbi natura per ſe nota erat, hauſit à Pharmacopæo medicamen purgans, quo non extra modum venter dejecit: Poſt purgationem maligna diarrhœa ſtatim ſequuta eſt; pulſus abiit in maximam debilitatem: vox ita demiſſa, ut vix exaudiretur: excrementa omnino bilioſa erant non tamen adhuc rubra, ut in ſuperioribus. Vocatus in oppidum die tertio fluxus ventris, ſignaque hæc peſſima perpendens, cum magna virtutis corpus moventis imbecillitate, rem eſſe in anguſto aſſerui, niſique poſtero die juvaretur ægrotans à ſumpto rhabarbaro, partim infuſo, partim in pulverem redacto, actum eſſe de illo: Judicabam enim in quodam circa viſcera receſſu, malignam ſubeſſe cacochymiam, colore lateri rubro diſſoluto non abſimilem, quam in dejectionibus apparituram prædixi; quod accidit à ſumpto rhabarbaro circa veſperam; ab eoque tempore rebus ſemper in pejus ruentibus, mortuus eſt die 7. à ventris fluxu.

Juvenis poſt aſſumptam purgationem incidit in Diarrhæam, & ſeptimo mortuus die.

Observatio VI.

Vir quidam ex primis civibus hujus urbis, incidit in febrem continuam, ſpecie quidem levem, ex pulſu, & aliis ſignis, præter capitis dolorem pertinacem, nec venæ ſectionibus nec purgationi cedentem; à remedio autem quod recepit opium

A febre continua maligna, diarrhœa & mors.

opium, cap. de dolore capitis deſcriptum, maxime levatus eſt. Tertio die cepit parum ſingultire: Quarto magis, fluxuque ventris correptus eſt, exeuntibus crocei coloris, ut dictum eſt ſupra, excrementis: Mirandum quod ab eis anus exulcerata ſit, ſine ullis inteſtinorum torminibus. Singultu perſeverante, & diarrhœa, viribus paulatim deficientibus mortuus eſt. Multa alia mihi contigit videre maligna ventris profluvia, quorum enarrationibus ſuperſedebimus: his quatuor contenti, ut varius eorum procedendi modus agnoſcatur: In primi enim ægrotantis diarrhœa, laboravit ipſe per 20. dies obambulans, & quandoque equitans, antequam in lecto cogeretur decumbere. Neſcio an male ſe geſſiſſet in victu, aut nimium veneri indulgere voluiſſet, etiam infeſtante diarrhœa, formoſa in uxorem ducta recenter muliere: Uti res ſe habuerit, oportuit eum tandem in lecto decumbere. Cum autem tanta eſſet hujus cacochymiæ malignitas, ut ſpiritibus intro detentis extremitates eſſent frigidæ, & pulſus omnino deperditus; neſcio quomodo in loquela, & motrice corporis facultate non videretur ægrotare, ſedentem enim in lecto inveni, prima vice accedens ad illum, & poſtea pluries. Neſcio etiam quomodo facultas, quæ ex artuum refrigeratione, & aſphyxia, proſtrata videbatur, in cauſas poſtea morbificas, tam valide inſurrexiſſet per octo dies ſine fructu: Quod tamen pluries contigit me vidiſſe, in quibuſdam morbis peſtiferis; remanente adhuc ſcilicet fermento putredinis malignæ in corpore.

In ſecundo ægrotante non ita res ſe habuit, facultas enim ſtatim à principio dedit manus; licet tamen pulſus non eſſet deperditus, torpor erat manuum recedentis ſpiritus ſignum, emoriente facultate, cum alia adſunt cum torpore peſſima ſigna: vide Galenum in explanatione prorrhetici 14. par 1. Licet etiam ex loquela, & motionibus corporis mors in propinquo eſſe non videretur, quarto die tamen obiit, cacochymiæ pernicioſiſſimæ, & veneno proximæ ſignum. In tertio ægrotante morbus non incepit à diarrhœa ſed à febre quæ pro ſanitate habetur, tertiana ſcillicet, à qua ſola nullus moritur: Sed accidit interdum, ut à maligno fermento vicini humores corrumpi incipiant, à quibus tertiana febris; verum mox ipſius naturam

fer-

fermenti induentibus, quod tanquam agnus apparebat in principio, in lupi naturam convertitur; unde in iſto ægrotante pulſus parvitas, totius corporis imbecillitas maxima, ut vix loquens exaudiretur.

In quarto ægrotante, ægrotatio initium habuit à febre continua, cum capitis dolore; Febris quidem propter malignitatem quaſi attonitis ſpiritibus videbatur ſpecie, parvæ eſſe conſiderationis; ſed tandem ex ſymptomatibus ſupervenientibus, ejus natura innoteſcere cepit: Oportebat in iſto ægrotante, altius fermenti ſedem, quam in aliis ægrotis poſitam fuiſſe; unde à febre continua morbus incepit, quouſque malignam corruptionem naturæ gravem, conaretur illa excernere per ſeceſſum.

Ex his quatuor Enarrationibus, exiſtimandum eſt materiam quandam, interdum colligi in aliquo viſcerum receſſu, quæ temporis progreſſu apta nata eſt corruptione concepta, malignam qualitatem inducere in dies invaleſcentem, corruptis ſcilicet proximioribus ſuccis, & in ſui naturam converſis, quouſque partibus gravis, quibus ineſt, jam facta, ſtimulet naturam ad ſui excretionem per ſeceſſum, tanquam per locum magis convenientem. At commota, vel à natura, vel à Medico graviores excitat tragœdias, ſolius qualitatis malignæ tranſmiſſione, vel vaporis ea imbuti exhalatione ad partes nobiles; unde pro varia putredinis malignæ natura, & corporis diſpoſitione, gravia illa, & diverſi generis ſymptomata fiebant, ita ut mors nequeat declinari: Si enim non moveas, mora invaleſcens, tandem infert mortem. Si autem moveas, vires citius expandit putredo maligna, mortemque celerius afferre experientia cognovimus. O felices Medici, qui in ejuſmodi affectus curandos fortunate non incurrunt! Impoſſibile enim eſt opprobrium effugere niſi mature prædicatur quid ſit futurum; quia vulgus morbos non curari, non exiſtimat, niſi propter Medicorum inſcitiam.

De Dyſenteria.

Caput VII.

Cum dyſenteriam fere ſemper diarrhœa præcedat, & in præſcribendis purgantibus, eadem ſint obſervanda in utroque

affectu, quæ ſuperiori capite de ipſis docuimus, accuratius in hoc veniunt conſideranda: Non poteſt enim eſſe dyſenteria ſine ventris profluvio, quod diarrhœa eſt, nec ulcus inteſtinorum, ſine ventris fluxu, & torminibus, dyſenteria vocanda eſt: Ideo vera dyſenteria definitur ab Authoribus Exulceratio inteſtnorum incipiens, vel facta, dejectiones cum dolore cruentas, & ramentoſas inducens. Plerumque tamen, large ſumpto dyſenteriæ nomine, omnes ſanguinis dejectiones, præter eam quæ fit ab hæmorrhoïdibus, dyſenteria vocantur: Quælibet autem ſanguinis dejectio, niſi fiat corporis vitio, & vi morbi, dyſenteria nullo modo dici poteſt; Ut cum naturæ legibus, & ipſa ſe exonerante, fit ſanguinis dejectio per anum, apertis orificiis venarum, rara admodum, niſi ab hæmorrhoïdibus. Quibus autem modis ſanguis per anum excernatur, tenere oportet, ut ſalutares, & quæ fiunt ſine periculo agnoſcamus, ceteris remedio adhibentes. Prima ſanguinis dejectio eſt ab hæmorrhoïdibus, de quibus ſuo capite. Secunda apertis venarum oſculis, in partibus ſuperioribus recti inteſtini vel aliorum, vel aliunde ad inteſtina ſanguine confluente naturæ providentia. quod ut diximus, rarum eſt. Tertia apertis oris venarum, à cauſis præter naturam, & vi morbi, ut contingit aliquando in morbis, & in quibuſdam dyſentericis conſtitutionibus, epidemice graſſantibus. Quarta fit à jecoris imbecillitate, in qua ſanguis aquoſus dejicitur in principio, loturæ carnis recenter mactatæ ſimilis, deinde craſſior; hoc autem ſine dolore, & ramentis, duorum, & trium dierum intervallo, à quibus differt à dyſenteria. Quinta ſanguinis dejectio, eſt ab ulcere inteſtinorum in vera dyſenteria; quæ cum ſit ulcus, vel factum, vel incipiens, cum cruentis dejectionibus, & torminibus; Curatio quatuor habet intentiones, ſeu ſcopos. Primæ eſt impedire ne ulcus fiat, aut ſaltem non ultra progrediatur. Secundæ ut ulcus factum curetur. Tertia dejectiones cruentas reſpicit. Quarta in ſedatione doloris verſatur, & aliorum accidentium correctione. Ne igitur ulcus fiat, dum humores acres abradere inteſtina incipiunt, quod agnoſcunt ex torminibus, & ramentis in dejectionibus, ut plurimum aquoſis, & interdum ſine ſanguine; Humores acres temperandi, victus ratione conveniente, quæ pro

Veræ dyſenteriæ definitio.

Quinque modi, quibus ſanguis per anum ejicitur.

pro natura humoris, vel ad frigidum vel parum ad calidum declinare debet, cum aſtrictione modica in principio; magis autem procedente morbo, & vacuato corpore aſtringere oportebit: Febris etiam ſi adeſt, illius habenda eſt ratio in victu præſcribendo; oſtendi enim humores eſſe calidos, aut magnam putredinem aut partis alicujus quamdam inflammationis ſpeciem. Nihilominus non multum refrigerandum, præcipue actu frigidis; licet N. Piſo Medicus Lotharingus aſſerat, quod ſi remedia non juvant, & vetus vitium eſt, aquæ bene frigidæ potionem aſſumptam, ulcera aſtringere, & initium ſecundæ valetudinis facere; Sed ſtatim à ventris ſuppreſſione, ad calidam potionem protinus redeundum. Ego quidem, ſi hoc ipſe expertus fuerit, vellem dediſſet exempla, ut quiſque frigidam in hoc caſu, exhiberet ſine ægrotantis rerum diſcrimine. Ne etiam ulcus fiat, vacuandi ſunt humores acres per intervalla purgantibus; horum enim more, exulcerantur inteſtina; Enematibus etiam ſunt detergendi, præcipue ſi in craſſis inteſtinis, cumulentur hujuſmodi humores, & anodynis demulcendi: Ex Galeno enim lib. 6. de loc. affect. cap. 11. ulcere in ſuperioribus inteſtinis exiſtente, ab epotis medicamentis præſidium ſumendum eſt, in humilioribus autem clyſteres ſubjicere magis convenit; Ex inteſtini igitur dolentis ſitu, nec non excretorum exeundi modo, & tempore, quodnam afficiatur inteſtinum internoſcere oportet; Ideo cum abraſiones ſolæ excernuntur ſine ſanguine, à quibus pingue illud, quod extrinſecus illis adhærebat, liquefactum, & abraſum conſpicitur, in craſſis inteſtinis ulcus conſiſtere credendum eſt. Tradunt etiam Authores, quod ſi ſanguis excernatur totus totis excrementis immiſtus, ſignum eſſe affici ſuperiora inteſtina: Si autem ſanguis ſupernatet, aut in aliquo latere conſiſtat, inferiora; Sicut ſi non admodum permiſtus, neque omnino ſecretus appareat in mediis affectum exiſtere conjiciendum; Sanguis quoque, & ramenta, cum excrementis miſta, nec ſtatim à dolore rejecta; in tenuibus inteſtinis malum eſſe demonſtrat: Hoc etiam arguitur, quod affectis ſuperioribus inteſtinis, dejectiones magis ſunt fœtidæ, & loturæ carnis magis ſimiles, crudioreſque ſunt, & bilioſiores, porri colorem magis referentes, magiſque febris,

Aſſerit N. Piſo hauſtum aquæ frigidæ ulcera inteſtinorum adſtringere.

Affectis inteſtinis craſſis enemata injicienda ad detergendum.

Signa, quibus dignoſcitur quænam inteſtina ſint affecta.

& ſingultus ſuperveniunt: Hæc autem quo magis in ſuperioribus cauſa exiſtet: Supernatante vero ſanguine, & ramentis ſtatim à dolore rejectis, ſtercus non ita liquidum, aliquando flatuoſum ut bovinum, pinguia quoque immiſta, affectum in craſſioribus inteſtinis exiſtere demonſtrant; vireſque minus dejiciuntur, quam ſi ſuperiora inteſtina ægrotaverint: Quod autem à quibuſdam traditur; laborantibus craſſis inteſtinis, dolorem infra umbilicum exiſtere, gracilibus vero affectis, ſupra, commentum eſt eorum, qui ſola diſſectione beſtiarum ſunt edocti; Nec peritis multoties facile eſt, ex ſolo ſitu affectum inteſtinum internoſcere, licet ipſimet ægrotaverint, propter ea quæ cap. de colico dolore diximus: Ideo alia ſigna in ſubſidium venire oportet, ut quantum conjectura aſſequi poteſt certiores facti, præceptum Galeni ſequamur. In re tamen dubia utroque præſidio, & ab epotis, & ab injectis deſumpto, utendum eſt; ſumpta etiam cum aliis ſignis ſupradictis, à juvantis indicatione, minus tamen ab epotis ſtantes, errabimus; cum per ea, & ſuperiora, & inferiora expurgentur. Ne igitur ulcus fiat, præſcripto vivendi regimine, humores acres cito deturbandi, purgante medicamento, cujus, ut capite de diarrhhœa dictum eſt, pro quantitate, & qualitate eorum quæ dejiciuntur, varia eſt deſcriptio, memores in principio, parum eſſe aſtringendum, niſi multa eſſet dejectio, & aquoſa, & ſine fœtore; tunc enim tale præſcribendum eſſet medicamentum purgans.

Variæ purgantium formulæ in dyſenteria.

℞. Aquæ plantag. ℥iiij. infun. rhab. elec. ʒj. myrob. ceb. ſcrup. ij. fort. expreſ. diſſol. rhab. in pulve. redacti ʒß. ſyrup. cydon. ℥j. fiat potio.

Quod ſi humor bilioſus immiſceatur excrementis, cum multis, & aquoſis dejectionibus, ſine fœtore, & levibus; tunc.

℞. Rhab. elec. ʒj. aut ſcrup. iiij. myrobal. citrin. ʒj. ſpicæ, ſi velis gr. iij. infun. in aquæ plant. q. ſ. forti expreſſ. diſſol. rhab. ʒß ſyru. de roſ. ſicc. aut cydon. ℥j. fiat potio.

Si autem tormina urgeant, aut fœtor non ſpernendus; ut humor acris citius deturbetur, loco ſyruporum aſtringentium, diſſol. ſyr. roſ. purg. ℥j.

Si vero dejectiones non ſint multæ, nec valde aquoſæ, detur

tur hoc medicamentum purgans; præcipue ſi fœteant, & tormina urgeant.

℞. Infuſionis ʒj. rhab. in aqua cichorei facta, forti expreſſ. diſſol. cathol. ʒiij. aut ℥ß. rhabar. in pulv. redac. ſcrup. j. ſerap. roſ. purgat. ℥j. Et ſi magis eſt animus aſtringendi, humoreſque calidos, & acres temperandi, catholici loco, diſſolve trypheram perſicam, eadem doſi: Et ſi pituita ſalſa, quæ vel aquoſa eſt, vel mucoſa, torminum cauſa eſſe videatur, agarici ʒß. aut ʒj. trochiſcati, addi poteſt infuſionibus.

Pituitam ſalſam cauſam eſſe agnoſcimus, ſi excrementa aquoſa fuerint pauca, nulla bili tincta, aut parum, vel mucoſa in excrementis appareant, urgeantque tormina. Ex his conſtat, quomodo ex quantitate, & qualitate dejectionum, eligantur purgationes, quæ perſeverante affectu, octavo quoque die, aut circiter, ſunt repetendæ, quia excrementa corporis in hoc morbo, confluunt ad inteſtina: Adde quod fermentum putredinis ſtabulans in inteſtinis, notam ſibi quotidie ſuppeditat ex alimentis materiam; unde iterum replentur: Expedit ideo identidem vacuare, ne in primum ſtatum redeat morbus; quod fit in ruſticis, & pauperibus, quos dyſenteria quammaxime deprædatur, quia frequentibus non ſunt aſſueti remediis, deſuntque illis alimenta refocillandis viribus idonea.

Interea dum cogitamus de purgatione urgentiori ſuccurrendum, torminibus ſcilicet, quibus nihil moleſtius in hoc morbo, ideo ſæpe ab enematibus inchoanda curatio, cum dolor urget: Antequam autem leniens, & anodynum injiciatur, detergente utendum, quod parari poteſt in hunc modum. *Urgente dolore ſæpe ab enemate, inchoanda curatio.*

℞. Decoct. hord. integ. aut ſeri lactis, aut lactis aſinini, ℔j. diſſo. mell. roſ. & ſacch. rub. ana ℥ij. Pro pauperibus: mell. comm. ℥iiij. Quod ſi magis detergere velis.

℞. Caul. rubror. pariet. furfu. ana mj. cicer. rubr. & hord. integri, ana ℥ij. fiat. decoct. in cujus ℔j. diſſol. mell. & ſacch. rub. ana ℥ij. & ſi parum urinæ immiſceas, magis deterget, ſed partibus dolentibus minus amicum: Terebenthina etiam addi poteſt ad ℥ß.

Deterſis inteſtinis, anodyna enemata felicius agunt, quorum tales poſſunt eſſe deſcriptiones.

℞. Lact. recenter mulſi ℔iß. decoque parum in eo roſ. rub. pij. diſſol. poſtea vitellos ovor. n. ij. fiat enema: Et ſi flatuum copia videatur moleſtiam afferre, adde in decoctione flor. chamæm. pij. aut anet. ſumm. mß.

vel

℞. Decoct. limac. rubr. in quo flor. nymph. & roſ. incoxerint; diſſol. ovor. album. ij. agitata, ſevi hyrc. ℥ij. fiat enema.

vel

℞. Lactis in quo ferrum candens extinctum fuerit ℥viij. ſucc. roſ. ℥iiij. ovor. vitel. ij. ſacch. rub. ℥iij. Hoc enema non ſolum lenit dolorem, ſed & mundificat.

Dum ardor vehemens excruciat, & febris concitatur, optimum eſt quod ſequitur.

℞. Malvar. & alth. ana mß. ſem. cydon. & althe. ana ℥ß. ſem. papav. albi ʒij. flor. nymph. malv. roſa. viol. ana pj. mucilag. ſem. pſyl. ℥iiij. in ℥viij. decoctionis prædictorum diſſolutas, & cum aqua nymph. extract. fiat enema.

vel

℞. Præd. decoct. ℥viij. mucil. pſyl. in aqu. nymph. extract. ſevi hyrcini liquati ana ℥ij. albumi. ovor. ij. gum. arab. ℥ß. & dolore excruciante opii. gr. iiij. Ejecto hoc enemate, detergens ſtatim eſt injiciendum aliquod ex ſuperioribus, vel quod ſequitur, præſtans omnibus in detergendo, & conſolidando, cum ulcus poſitum eſt in parte in qua enema pertingere poteſt.

℞. Ariſto. rot. recentis, & flavæ ʒiij. vel ℥ß. quo enim antiquior. eo eſt debilioris virtutis, & minus flava. folior. ophyoglo. mj. aut ejus loco rad. conſol. major. mj. fiat decoct. in vino albo, colat. diſſol. ſacch. ℥iij. fiat enema, non multum calide injiciendum: Quod ſi ex vini ardore dolor augeatur, temperetur vinum cum ſero lactis.

Lactis uſus proficuus dyſentericis.

Ulcere exiſtente in ſuperioribus inteſtinis, dolor ſedandus potu lactis, quod non ſolum id præſtat, ſed & ulcus abſtergit & conſolidat.

Nicolaus Piſo jubet lac decoquere, cum quarta parte aquæ pluvialis, & cum paululum decoctum fuerit, ait citra noxam, etiam febricitantibus poſſe exhiberi: Quod ſi huic lacti ſic parato, parum ſtercoris canis ſola oſſa comedentis, exſiccati, & in

in pulverem redacti permiſceas, mirabile, inquit, erit dyſenteriæ medicamentum. Expurgatis itaque magna ex parte excrementis, lac exhibendum in eo parum mellis decoquendo, ne corrumpatur, & ulcus mundificetur; poſtea uſtulandum lapidibus ignitis injectis, aut ferro candenti. Anno circiter elapſo, aut amplius, juvenis quidam hujus urbis, Medicinæ candidatus, qui per annum integrum frequens in Noſocomiis Pariſiis moratus erat, differens mecum de uſu lactis curanda arthritide, ut capite proprio dicetur, retulit mihi eodem modo ſanari dyſenteriam, etiam incipientem; quia autem lac facile corrumpitur, in corpore illius qui pravis humoribus ſcatet, ſicut eſt dyſentericorum: ut ſaltem quod prima vice corruptum eſt ejiciatur, & in poſterum, tertio quoque die, interdum quarto, purgantur ægroti, perguntque in uſu lactis, eoque modo humores acres, ſalſi, vel bilioſi, lactis inundatione ſubmerſi domantur, ſanaturque tandem dyſenteria; Et ita multi à lacte adimplentur curationis ſcopi. Ab eo tempore quo mihi hoc relatum eſt, non opportuna ſe obtulit occaſio, licet multi dyſenterici curandi ſe obtulerint, ut hanc curandi methodum experientia comprobarem, quæ ſatis mihi arridet.

Quod ſi tempeſtas lacti exhibendo non eſſet idonea; Ad ulcus mundificandum in ſuperioribus inteſtinis exiſtens, nihil potentius aqua vulneraria ſupra ſcripta, exhibendo per os ℥vj. mane, & veſperi; delicatius tamen paranda cum per os ſumitur, minorque doſis ariſtolochiæ imponenda eſt: ita ut guſtanti, æque dominetur dulcedo ſacchari, quantum amaritudo rad. ariſtolochiæ. Hæc aqua licet ſimplicis compoſitionis, impedit in vulneribus puris generationem, manente carne ſemper rubicunda, ut propriis vidimus oculis. Hæc aqua complet ſecundum curationis ſcopum, cum datur animo detergendi, exſiccandi & conſolidandi; Ideo in dyſenteria uſi ſumus. Hæc etiam intentio, ut loquuntur, perficitur enematibus, aſtringentibus, & conſolidantibus, poſtquam ulcus, in craſſis inteſtinis exiſtens, deterſum eſt; de quibus agendum modo, in tertio curationis ſcopo, cruentas dejectiones reſpicienta, qui completur iiſdem aſtringentibus, & conſolidantibus ora venarum hiantia, aut exeſa, ſumptis, aut injectis, prout

Aqua vulneraria dyſentericis utilis.

prout ulcus ex ſignis ſupradictis, vel in tenuibus inteſtinis ſubeſſe deprehenditur. Hæ dejectiones cruentæ, duplicis ſunt generis: vel enim ſanguis merus dejicitur ſine excrementis, ut vidimus in quadam conſtitutione epidemica, de qua infra in Enarrationibus; vel ſimul cum excrementis: Qui quidem ſanguis ſi paucus, aliqua ejus debet haberi ratio: ſi multus quocumque modo ſiſtendus: In dyſenteria enim plurium dierum, ulcus in profundum penetraſſe ſignificat: ſiſtendus autem venæ ſectione, repetitis vicibus, & in parva quantitate v. g. ℥iiij. aut ℥vj. pro viribus, modo ex uno brachio, modo ex altero. Siſtendus quoque ſumptis, & injectis, ſecundum ſitum inteſtini ulcerati, vel utriſque in re dubia, ut ſupra dictum eſt. Sumendorum materia, deducitur ex rad. conſolidæ majoris, herbis vulnerariis, cauda equina, agrimonio, hypericone, polygono, burſa paſtoris, roſis rubris, ſummitatibus rubi, granorum ſumach, plantagine, & ſimilibus: ſumitur etiam materia potionum, ex aqua, & ſucco plantaginis, ſucco millefolii, & polygoni, aqua roſarum: Materia pulverum, ex corallo rubro præparato, thure, ſanguine draconis, maſtiche, bolo armena, terra ſigillata, lapide hæmatite, margaritis, croco martis aſtringente, & opio, ex quibus multæ parantur formulæ. v. g.

Uſus venæ ſectionis in dyſenteria.

℞. Succ. plant. ℥iiij. thur. & maſt. ana ʒß. ſang. draco. ſcrup. j. ſerap. cydon. ℥j. fiat julep. matutinis horis ſumendus: ſerotinis autem horis loco ſyrupi cydonio, diſſ. ſerap. de papav. ℥ß. & detur hora ſomni, præcipue ſi urgeant vigiliæ.

vel

℞. Rad. conſol. majo. ℥ß. folior. agrim. ſummit. hyper. an mß. gran. ſumach. ʒij. fiat ex his de coct. Acc. ℥iiij. diſſol. lapid. hæmat, & coral. rub. præp. an ʒß. margarit. præpar. ſcrup. ß. pro divitibus: fiat julep. cum ſyrup. de roſ. ſicc.

vel

℞. Conſer. ſymphi. majo. & conſer. roſ. antiq. an ℥ij. maſt. bol. arm. & terræ ſigill. ana ʒß. ſang. drac. & coral. rub. ana ſcrup. j. margar. præpa. ſcrup. ß. cum ſyrupo cydon. fiat opiata, capiat quolibet mane, & veſperi ad caſtaneæ magnitudinem, parum aquæ plantag. aut vini rubri ſi velit, ſuperbibendo.

vel

vel

℞. Conſer. roſa. q. ſ. ad excipiendum croc. mart. ſcrup. j. capiat mane tribus horis ante paſtum. Hoc remedium plurimum valet ad fluxum ſanguinis, ex quavis parte fluentis: renibus, jecore, inteſtinis, pulmonibus &c.

vel

℞. Boli arm. maſt. karab. ana gr. vj. croc. gr. iij. opii in tegula exſicc. donec in pulv. redigi poſſit gr. j. aut iß. ad ſummum ij. cum ſyr. cydonio. fiat morſulus, qui laudanum eſt paratu facile, de quo in pluribus capitibus fit mentio: capiat hora ſomni. Laudanum paratu facile.

Injiciendorum materia, craſſis inteſtinis laborantibus, petitur ex iiſdem ſimplicibus jam enumeratis, præter crocum martis, margaritas, corallum, & opium; licet interdum utamur opio in colico dolore: Petitur etiam ex nucibus cupreſſi viridibus, malicorio, gallis, balauſtiis, ſucco ſtercor. aſinini, & alumine, ex quibus multæ etiam parantur formulæ. v. g.

℞. Rad. conſol. major. ℥j. folior. caud. equ. plant. bur. paſto. agrim. ſummit. hyperi. rub. & ſi ardor ſentiatur, capreol. vitis, & fol. plantag. ana mj. rhois obſon. ℥ß. nuc. cupre. virid. & contuſ. n. 12. fiat ex his decoct. in vino rub. & aqua fabro. aut in ipſa ſola pro pauperibus. Acc. ℔j. ſucc. ſterc. aſini ℥iiij. boli arm: ʒij. alum. ʒß. pro uno enemate, ſæpius repetendo, ita ut uno ejecto, alterum injiciatur.

Pro pauperibus poteſt fieri decoctio ex ſolis nucibus cupreſſi virid. & contu. in aqua fabrorum decoctis, quo decocto utor ſæpiſſime pro fotu totius ventris, pauco aceti addito, ut dicetur in Enarrationibus.

Quartus & ultimus curationis ſcopus, qui in ſedatione doloris verſatur, & in aliorum ſymptomatum correctione, ut frequentes dejectiones, vigiliæ, vomitus, ſingultus, teneſmus, & ani relaxatio; completur primo, ratione doloris, enematibus, de quibus ſupra jam ſcripſimus, quia dolor ſæpe curationis ordinem evertit. Sedatur dolor, fotu totius ventris calido ex aſtringentibus ſupradictis in vino rubro, & aqua fabrorum decoctis, addendo in fine aceti roſacei partem octavam, ad penetrationem, & aſtringentium augendam facultatem. Sedatur do- Ultimus curationis ſcopus conſiſtit in doloris ſedatione.

Opii virtus in ſedandis doloribus.

dolor communi laudano, aut eo quo utimur, quod facile, & ubique parari poteſt, nec cedit chymicorum laborioſis, & magni ſumptus laudanis. Frequentes dejectiones cohibent aſtringentia ſumpta, injecta, & admota, probe antea expurgato corpore; ſicut & laudanum, de quo ſupra. Vigiliis, quarum cauſa, vel dolor eſt, vel frequens dejectio, eadem proſunt remedia, quæ pro unoquoque ſcripta ſunt. Vomitus & ſingultus, ſanantur fotu ſtomachi ex aſtringentibus jam dictis, addita menhta, & abſynthio; Sanantur quoque, & melius, remedio Paracelſi, ex ſucco menthæ, & fermento confecto, de quo in Enarrationibus: Quibus nihil proficientibus, confugiendum eſt ad laudanum. Multa ad hæc omnia in ordine alphabetico. Teneſmus demulcetur enematibus anodynis, ſæpius, & in parva quantitate injectis: Plurimum valet remedium Valleriolæ, in ordine remediorum Alphabetico deſcriptum, tit. Podicis dolor, quod etiam ipſum ſedat; vel, & paratu facilius, & minoris ſumptus.

℞. Gum. arab. & tragac. ana ʒß. opii gr. ij. ſevi hircini q. ſ. fiant ſuppoſitoria; vel, modo non ſit ani relaxatio.

℞. Mal. & alth. totius, tapſi barb. branchæ urſi. ana mij. ſem. lini & fænuge. ana ℥ij. flor. chamæm. & melil. ana piij roſ. rubr. pij; fiat ex his decoctio in aqua ſuffici. pro inſeſſione. Ani relaxatio aſtringitur, ſi later vetuſtus ex loco ſicco detractus, in igne candefiat, deinde aceto irroretur, & cum panno lineo involutus ano admoveatur, & quamdiu fuerit calidus detineatur; Fiunt quoque enemata ex multum aſtringentibus, data in parva quantitate, & ſæpe repetita.

PROGNOSTICA.

Dyſenteria ab atra bile lethalis. Hippoc. apho. 24. ſect. 4. Si dyſenteria laboranti veluti carunculæ dejiciantur; mortiferum. Hipp. apho. 26. ſect. 4.

In diuturnis difficultatibus inteſtinorum, cibi faſtidium, malum, & cum febre pejus. Hippoc. apho. 3. ſect. 6.

A ſincera dejectione, dyſenteria. Hipp. apho. 23. ſect. 7.

Lienoſis dyſenteria ſuperveniens, bonum. Hipp. apho. 48. ſect. 7.

Qui-

Quicumque lienoſi dyſenteria corripiuntur; longa facta dyſenteria, vel hydrops, vel lienteria ſupervenit, & moriuntur. Hipp. apho. 43. ſect. 6.

In longa dyſenteria, corpore jam extenuato: ſi atra bilis, aut velut ſanguis niger exierit, poſtridie moriuntur. Hipp. apho. 23. ſect. 4.

Dyſenteria in tenuibus inteſtinis, periculoſior, quam in craſſis.

In dyſenteria dejectiones infantium ſimiles, malæ in adultis.

Dyſenteria ſuperveniens, viribus jam debilitatis ab aliquo morbo lethalis.

Dyſenteria cum febre, pejor ſemper.

Dyſenteriæ ſi febris ſuperveniat, quæ antea non erat, vel quæ exigua, intenditur: putredinem circa ulcera majorem, aut inflammationem factam ſignificat.

Si in dyſenteria, ſubito ſanguis plus ſolito dejiciatur, peſſimum: ulcus enim ad profundum penetravit.

Si in dyſenteria ſanguis in inteſtinis concretus detineatur, facies pallet plus ſolito, pulſus minuitur, ac ſi æger poſtera die eſſet moriturus.

Vomitus in dyſenteria perſeverans peſſimus.

Singultus poſt longam dyſenteriam lethalis.

Convulſio, & delirium, in dyſenteria, mortem ſignificant.

Procedente dyſenteria, crepitus ſine materia, qui antea non erat, ſanitatis principium eſt.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Anno 1630. circa finem Septembris, cepit graſſari dyſenteria ſæviſſima in agro Adurenſi, nulla autem in urbe, in qua tunc erat habitatio mea: Cum autem omnes eſſent fere ruſtitici, quos dyſenteria adoriebatur, pauci ſervabantur, tot & tantis remediis quæ morbus iſte poſtulat, non aſſueti, & pravo utentes regimine; Quotquot autem ſervati ſunt, debetur ſalus urbis Curioni; vir ex animo, ad charitatem valde propenſus erga Curiales: Qui, cum aliquos inviſiſſem cum illo,

Dyſenteria ſæviſſima ruſticos invadens, minime vero urbanos.

illo, didicit à me quamdam curandi methodum, qua poſtea utebatur, rationem ultro reddens quolibet veſperi, de omnibus ægrotis quos inviſerat, ut ſi quid adhuc eſſet agendum, eum docerem; habebat enim duos nepotes, quos tanquam Pharmacopæos ſecum ducebat, ad exequendum quidquid circa ægrotos neceſſarium erat, propinando purgantes potiones; injiciendo enemata, fotus applicando &c. Fuere autem potiones purgantes ex infuſione rhabarbari in aqua roſarum aut plantaginis, diſſolvendo de ejus pulvere quod videbatur congruum; Quibuſdam addebatur ℥j. ſyrupi roſacei purgatorii. aut ℥ß, aliquibus additæ ʒiij. catholici, ſecundum præcepta jam tradita ſuperius, cap. de diarrhœa: A purgatione parabantur enemata, modo detergentia, modo dolorem lenientia: Poſt aliquas purgationes, quæ octavo quoque die repetebantur, puta duas, fruſtula cydoniorum in juſculis decoquebantur; potus erat aqua chalybeata, licet à quibuſdam alvum potius movere, quam aſtringere credatur; quæ quidem pauco vini rubri diluebatur, cum febris non aderat, aut permittebat. Sed id à quo maximum emolumentum perceperunt ægrotantes, duo fuere præſidia, ut mihi retulit Curio ille beneficus; fotus ſcilicet ventris ex decocto nucum cupreſſi, & cataplaſma ex ſucco menthæ cum fermento. Ad demulcenda igitur tormina, & humores ad inteſtina confluentes repellendos, & ipſa inteſtina corroboranda, fiebat ſimplex nucum decoctio, ſumptibus parcendi gratia, ut & in ceteris, in modum hunc.

℞. Nucum cupr. virid. n. 20. parum contuſæ decoquantur in aquæ q. ſ. adde in fine aceti accerimi cyathum. 1. Hoc decocto calide mane, & ſero totus venter foveatur. Quibus dabatur facultas vinum rubrum habendi duæ menſuræ imponebantur, & una aquæ; interdum partes æquales. Multi morbo jam veteri, ſingultum patiebantur, qui in pluribus ſedatus eſt, ſicut & vomitus, qui in pauciſſimis accidit, remedio Paracelſi, quod alias adhuc medicis literis incumbens, inveneram in quodam libro, ubi inter cetera quadraginta deſcribit remedia, propria experientia comprobata, ſic deſcriptum.

℞. Succi menthæ q. ſ. cum fermento veteri fiat cataplaſma, calide ſupra regionem ventriculi applicandum. Cum mentha

val-

valde ſicca eſt, vixque ſuccum dant folia, aceto parum irroranda.

Quidam ægroti ſanguinem purum fundebant per triduum ſine excrementis, & torminibus, quorum quidam ipſo triduo moriebantur: alii evadebant: Cujus rei rationem quærens, laborabam valde, cur ex eodem morbo & ſymptomate quidam intra triduum morerentur tanquam ex peſte; alii vero ſalvarentur. Si ſanguis ex eadem parte effluebat ægrotis, cur ille tam cito moreretur, iſte vero mortem effugeret. Cogitare iis qui periculo defungebantur, ſanguinem fluxiſſe ab hæmorrhoïdibus, veriſimile non eſt; niſi quis aſſerere vellet, in omnibus ab hæmorrhoïdibus fluxiſſe; in iis autem qui moriebantur, malignitatem ſubeſſe. Ego quidem, cum tunc temporis dyſenteria morbus eſſet epidemicus, non exiſtimo ſanguinem fluxiſſe ab hæmorrhoïdibus, ſed à quibuſdam venis ſuperioribus inteſtinorum, quæ non videntur eſſe meſeraïcæ, quoniam altiores, ſanguis enim immiſtus fuiſſet excrementis, peſtiferam tamen qualitatem extitiſſe, in his qui moriebantur, fatendum eſt. His omnibus qui ſanguinem dejiciebant, venam tundendam curavimus, habita virium ratione: In aliis vero, quibus parum tantum ſanguinis apparebat in excrementis, minime, dummodo febris non adeſſet; licet nunc mos ſit, Medicorum aulicorum exemplo, in omni dyſenteria ſanguinem haurire, qualiſcumque illa generis fuerit: In morbo veteri, ſi credamus dyſenteriam foveri à corruptis humoribus in venis ſtabulantibus, recte pro viribus, adminiſtrabitur venæ ſectio; Ego autem in eam potius abeo ſententiam, veteris dyſenteriæ cauſam, fermentum eſſe putredinis, ut & in diarrhœa, in aliquo inteſtinorum receſſu latitantis, aut ulcus non ſanatum; Quare rariſſime utor venæ ſectione, niſi habita ratione dejectionis ſanguinis, notatu dignæ, aut febris, aut alicujus alterius urgentis indicationis.

Ægroti nonnulli purum fundentes ſanginem, ipſo triduo moriebantur.

Observatio II.

Profectus peregre, nobiliſſimi viri dyſenteria laborantis inviſendi gratia, cui remedia quædam adhibita fuerant, jam enim à quindecim diebus decumbebat, & amplius: Cum in hoc affectu, ſatis non ſit, ſemel atque iterum corpus fuiſſe expur-

Dyſenteria quadraginta dierum ſanata.

purgatum; ab exhibitione rhabarbari, in aqua plantaginis infuſi, cum ʒß. ejus pulveris diſſoluta in expreſſione, incepimus: Interea injiciebantur enemata præcipue detergentia, interdum anodyna; erant enim tormina tolerabilia, ſed dejectiones frequentiſſimæ; ita ut per noctem ſurgeret ut plurimum trigeſies, & interdiu decies: Quæ dejiciebantur non erant aquoſa, ſed veluti pictorum colores oleo diluti, quos omnes repræſentabant; modo enim viridia dejiciebat ægrotus; modo lutea, modo nigra; modo varia, ſanguine interdum diſtincta, ſed pauco: Nunquam vidi ægrotantem tali morbo laborantem, qui tot, & opima, & tanta, & tam varia dejiceret, toties. Terrebat me numerus, & natura dejectionum; ſpem erigebat, quod ſemper ſolus è lecto ſurgeret ventrem exoneraturus, & quod ſolus bene cibum appeteret purgato corpore validiore quam antea medicamento, fuit in animo uti in juſculis pulvere roborante, & aſtringente, Matthioli, ſic apud eum deſcripto.

℞. Thur. & maſti. ana ʒij. boli arm. cor. cervi, coral. rub. præparatorum ana ʒj. lapid. hæmat. ſcrup. ij. fiat pulvis, miſce, capiat ʒß. cum juſculo hora matutina quibuſdam diebus continuis.

Admotus eſt interea fotus ex nucibus cupreſſi viridibus, decoctis in vino rubro, & aqua fabrorum, cum aceto, ut ſuperiori Enarratione dictum eſt, quibus, repetitis identidem purgationibus, circa diem quadrageſimum totius morbi convaluit, prædixique illi ſanitatem breviſſime faturam, eo quod crepitum ſine materia emiſiſſet, nec falſus ſum, poſtera enim die reſtitit alvus.

OBSERVATIO III.

Dyſenteria purgantibus ſanata.

Sacerdos quidam, in hac urbe dyſenteria correptus eſt, ei dejectiones erant aquoſæ, ſanguinolentæ, cum ramentis, tormina valde urgebant, jactationes plurimæ, & inſomnia. Statim curationem ordiri placuit à purgatione, ex infuſione rhabarbari, diſſoluta de ejus pulvere ʒß. Intera multa enemata anodyna præſcripſimus, quibuſdam interjectis detergentibus; fotum etiam totius ventris ex nucibus cupreſſi viridibus, gra-

granis ſumach, & ſummitatum rubi, decoctis in vino rubro, & aqua fabrorum, aceto addito in fine. Iterum purgato corpore ut ſupra, addita ℥j. ſerapii roſacei purgatorii, pilulam gra. iiij. laudani chimicorum, devorandam dedimus ſerotinis horis, ad refocillandas vires ſomni privatione dejectas, ex torminum cruciatu, & frequentibus dejectionibus; qua quidem pilula, tota nocte quievit, mane lætitia plenus; ita ut qualibet nocte, ſimilem devorandam expeteret pilulam, quia mane redibant ſpectacula. Reſpondi talia medicamenta non dari quotidie; Nactus tamen Pharmacopœum, facile ſe ejus arbitrio accommodantem, me abſente aliam ſumpſit pilulam: Poſtera tamen die ridiens, Pharmacopœum objurgavi, quod me non annuente, & arrepta abſentiæ meæ occaſione, dediſſet pilulam; ille in importunam ægrotantis flagitationem cauſam remiſit; hac excuſatione non contentus, prohibui ne quid tale in poſterum ſibi vindicaret: Ne autem excrementorum mora, à laudano intus retenta, aliquid mali accideret, tertiam præſcripſi purgationem ex rhabarbaro infuſo in aqua plantaginis, cum ejus pulveris ʒß. & ℥j. ſyrupi roſacei ſolutivi, deinde pulvere Matthioli ſupra ſcripto uſus eſt ægrotans. Cumque vigeſimum diem tranſcenderet morbus, animo volutans quid eſſet mihi agendum, tertiam laudani pilulam præbendam juſſi, qua alvo non compreſſa, niſi per noctem, ſtatui fortius purgans propinare in hunc modum.

℞. Rhabar. ſcrup. iiij. infu. in aqua plantag. q. ſ. in forti expreſſ. diſſo. rhab. pulver. ʒß. cathol. ℥ß. fiat potio.

Poſt purgationem, uſu roborantium brevi ſanatus eſt, duorum ſcilicet, aut trium dierum ſpacio: Ex hoc adductus ſum ad credendum, Medicos in diarrhœa, & dyſenteria, deficere in purgantibus, debiliora, & fermento putredinis deturbando, imparia præſcribentes.

OBSERVATIO IV.

Fruſtum tunicæ inteſtini bis ſine ingenti dolore excretum.

Mulier quædam Maſſiliæ, multis, & longo tempore mœroribus tentata incidit in quandam ſpeciem dyſenteriæ; excrementa non erant bilioſa, obſcuri potius coloris, & valde fœtida, tormina leviſſima erant, nihilque, aut parum ſanguinis

nis apparuit in excrementis. Statuens die ſecundo medicamentum propinare, juſſi interim injicienda enemata detergentia, non multum enim anodynis erat opus; purgato corpore, ſtetimus tertio die in enematibus: Quarto die dejecit ægrotans velut inteſtinum palmi longitudine, videbatur fruſtulum inteſtini porcorum, cum aqua calida parata ſunt ad farcimenta; Cujus rei novitate attonitis omnibus, de ſalute ægrotantis conclamatum eſt: Mirabar quomodo hoc accidiſſet, cum parvis torminibus, ne dicam ullis: Ideo à putrefactione, potius quam ab eroſione factum affirmavi. Ab eo tempore, enemata ex aqua vulneraria ſupraſcripta, ſæpe injicienda curavi, quæ licet vulneribus ſit acris, non erat tamen illi moleſta. Poſt quinque aut ſex dies, horrendum: Aliam inteſtini pellem, quatuor palmorum longitudine dejecit, quam multi baculo ſublevantes mirabantur; viſu, unum ex inteſtinis gracilibus dixiſſes, ſed credendum fuiſſe tunicam interiorem recti inteſtini, aut coli, alioqui non vixiſſet per menſem integrum uti accidit.

OBSERVATIO V.

Femina, excrementa alvina per partem obſcœnam reddens.

Aliam Maſſiliæ inviſi mulierem, quæ dyſenteria ægrotare credebatur 50. annum agentem: A quibuſdam annis cum dolore menſtruas purgationes patiebatur, ſtatimque me viſo, conqueſta eſt, quod per partem obſcœnam redderet alvi excrementa; cujus rei novitate attonitus, impoſſibile affirmabam, niſi collum matricis, & rectum inteſtinum eſſent perforata, cujus rei cauſæ non præceſſerant, vulnus, aut ulcus, nequidem dolor, niſi dum fluebant menſtrua; injecta tamen enemata, tota per partem obſcœnam rejiciebantur, qua de re certiores facti, mortem prædiximus, quæ contigit 20. die, à quo perceperat mulier exire ſibi excrementa per ſinum pudoris; mirabar tamen cur tam cito mortua eſſet: Anno enim elapſo, mortua eſt in hac urbe virgo, ætate 22. annorum, quæ paſſa ſimile ſymptoma, vixit per annum, quouſque ulcus ita cavernoſum factum eſt, ut totum ſpatium quod inter anum, & partem obſcœnam interiacet, antrum videretur. Credidimus, ulcuſculum, factum eſſe in principio intra cervicem matricis, quod præ pudore non detectum, accrevit, ita ut cervicem,

cem, & recti inteſtini partem, cui incumbebat corrumperet, permearentque alvi excrementa in ſinum muliebrem, quod tandem fateri coacta eſt, ſed ſerius.

Observatio VI.

Ulcus inteſtini recti ſanatum.

Sacerdos quidam Curio urbis Adurenſis, poſt multos cruciatus perpeſſos in hypogaſtrio ſiniſtro, cum febre continua, accerſendum me curavit, venæ ſectione, & enematibus anodynis à Medico urbis ordinario adminiſtratis. Veniens, omnibus exploratis, oſtenſum eſt in latere ſellæ foricariæ ſcaphii, cum ventrem exoneraſſet, verum pus album, & æquale, quantitatis non ſpernendæ, ex quo omnibus fuit in confeſſo, in recti inteſtini latere ſiniſtro factum fuiſſe abſceſſum, nunc apertum, & pus fundentem; Ideo ad omnes ulceris curandi ſcopos perficiendos, præſcripſi enemata ex aqua vulneraria ſuperius deſcripta, ad quantitatem ℔j. tantum, diu retinenda, & ſæpius injicienda. Ulcus non amplius ſex digitis à podice diſtabat, ut digito indice in anum immiſſo, exploratum erat ab ægrotante; dolor tamen neque in ano, neque in parte poſtica ſentiebatur, ſed potius in hypogaſtrio, ad ſiniſtrum latus inclinans, quod exiſtimo notandum. Huic dolori ſedando, qui perſeverabat, injiciendum curavi ſuccum ſempervivi majoris, in mortario plumbeo diu agitatum, additis vitellis ovorum; penicillis etiam uſi ſumus illitis butyro recenti, ſimili modo parato, donec omnio nigreſceret, ex quo magnum levamen accepit. Quinque aut ſex diebus elapſis, iterum inviſenti illum, relatum eſt mihi, pellem inteſtini ſimilem dejeciſſe palmi longitudine, quod rem ægrotantis plenam aleæ nobis indicabat; non eſſe tamen deſperandum, ſed enematibus ex aqua vulneraria ſemper utendum, quibus tandem perfecte ſanatus eſt, vixitque ab eo tempore annos quamplures.

Observatio VII.

Dyſenteria cum fœtore maximo excrementorum opio ſanata.

Puer quidam nobilis 13. annorum, veniens ex literarum ſtudiis in hanc urbem, parentes invuſurus: Avia tunc temporis dyſenteria laborante, ipſe quoque dyſenteria correptus eſt, quem rogatus inviſere, ſtatim potionem ex rhabarbaro, partim infuſo, partim pulverato, ei præſcripſimus, nec defuerunt

enemata idonea. Tantus erat excrementorum illius fœtor, ut non meminerim toto vitæ decurſu, tam grave olentem odoratui meo ſe obtuliſſe odorem; ejus domo diſcedens, coactus ſum nares vino abluere, cum autem teter odor non vinceretur, theriacam naribus indidi. Exiſtimabam, hujus putredinis cauſa, dyſenteriam iſtam fore periculoſam, aut ſaltem longam. Cum autem propter vigilias, præbuiſſem morſulum ex laudano meo paratu facili, quod

℞. Opii in tegula exſicc. gr. j. dempta tertia parte, boli arme. maſti. karabe, ana gr. iiij. croci gr. ij. cum ſyru. cydon. fiat morſulus, capiat hora ſomni, qui feliciter obrepſit, compreſſiſque dejectionibus ſanatus eſt, cum mea admiratione.

Hæc ſcribens adhuc cogito, quomodo dyſenteria cum excrementis tam graviter olentibus, ſex dierum ſpacio ſanata fuiſſet: Ego quidem exiſtimo nullam fuiſſe exulcerationem, niſi fortaſſe in principio ſui fieri, ut loquuntur, putrediniſque fermentum in craſſis inteſtinis exiſtens, fere omnino fuiſſe deturbatum purgatione, cui ſuperveniens laudanum, motum dejiciendi compreſſerat: Nam in tanto excrementorum fœtore, videbatur male ad rem, & tempus, exhibitum eſſe laudanum; res tamen bene ceſſit.

De Lumbricis.

CAP. VIII.

Generantur in omnibus fere corporis partibus vermes.

Poſt quoſdam inteſtinorum affectus, agendum nobis de vermibus qui in ipſis generantur; quibus non ſolum eorum cauſa interdum tribuenda, ſed etiam multarum aliarum partium, ut infra videbitur: generantur autem vermes, non ſolum in inteſtinis, ſed & in aliis partibus, ut cerebro, juxta cor, in muſculis abdominis, in veſica, & aliis quamplurimis in locis, ut videre eſt apud Authores; imo etiam in ipſis venis. Lumbrici interdum primaria ſunt morbi cauſa, cum in materia ſalubri, & temperata, qualis infantium, generantur: Sæpiſſime morbis jam exiſtentibus ſuperveniunt, ſignorum tunc illius, naturam perturbantes; horum proprietas eſt, inducere putrefactionem

ctionem in materia non putri, aut in jam putrefacta augere, & in deterius convertere, ita ut ad ſupremum gradum malignitatis ſæpiſſime evecta, inſtar præſentis veneni jugulet, præcipue infantes, provectos vero ætate non item, propter fortaſſe robur naturæ in adultis, aut quia quo materia benignior, qualis infantium, eo ejus putrefactio deterior, ex qua malignus vapor, qualitatum putredinis naturam redolens ad cor, elatus inficit ſpiritus, & corrumpit. Interdum non malignitate vaporis, ſed morſu ventriculi, oris præcipue ipſius, à vermibus, ſubita mors accidit, aut lenta, vulneratis inteſtinis, pabuli præſertim defectu; quapropter magis nutriendi, qui à vermibus ægrotant, ne præ inopia, cogantur proprias ſedes appetere. Authores tria vermium genera conſtituunt, ad quæ omnes qui in corpore reperiuntur, reduci poſſunt; mihi autem de longis, & rotundis, qui teretes dicuntur, tantum ſermo erit, propter diſcrimen in quod res ægrotantis deducunt: Aſcarides enim parvi ſunt momenti, licet propter titillationem, & pruritum recti inteſtini, in quo generantur, ſint aliquando moleſti: ſed clyſtere detergente, amaro, excluduntur, aliiſque remediis per os ſumptis, infra deſcriptis. De his vero qui lati dicuntur, niſi fidem adhiberem eis, qui illos moveri mihi affirmarunt, facile diſcederem in ſententiam eorum, qui animalia eſſe negant, ſed potius viſcidam pituitam eſſe affirmant, quæ in inteſtinis longo tempore adhærens, ductilis evadit, & obdureſcit: Mihi quidem nunquam data fuit poteſtas, videndi eos dum moverentur, licet præſens fuerim dum ejicerentur. Sed cum præſidia ſint omnibus communia, ſaltem quæ ſunt univerſalia, ad teretes noſtros redibimus, qui frequentiſſime infeſtant, & Medicis multum ſæpiſſime negotii faceſſunt, ipſis imponentes, propter ſymptomatum ſimilitudinem, cum aliis cauſis morborum: Vapor enim à vermium ſcaturgine ad cerebrum aſcendens, modo dilirium, modo affectum ſomniferum, modo convulſiones, modo epilepſiam invehit, prout ſe habet natura vaporis. Si autem cor petat, ſyncope, animi deliquia, ejus palpitatio, accidunt, & quandoque mors repentina, Interdum fit ſimplex tantum inæqualitas pulſus, ſæpe intermiſſio, & in febribus, & ſine febribus ſaltem non apparentibus, aliquando

Tria ſunt vermium genera.

Lumbrici varia inducunt ſymptomata.

aſphyxia, aliis bene ſe habentibus. Si ad ſtomachum irrepſerint, præcipue ipſi vermes, nauſea, & vomitus excitantur, fiunt cardialgiæ, cardiogmi, & cardiaca paſſio, animi quoque deliquia, & ſyncope, ad quæ interdum mors ſequitur, niſi mature ſuccurratur. In febribus ſi vermium fiat generatio, licet quantum ad alia ſigna, morbus videatur eſſe ſine periculo, tamen extremitates interdum apparebunt frigidæ; diarrhœa intempeſtiva excitatur, ex aſſidua alimenti corruptione, à fermento putredinis vermium, natura tanquam inutile deponente, quod à corruptione vitiatum eſt; hæc tamen diarrhœa non multum urget, hocque ſolo ſigno vermes ſubeſſe multoties affirmavimus, experientia confirmante, ipſis poſtea rejectis. Sanguinis ſtillæ è naribus, ſæpe vermes ſubire demonſtrant in febribus continuis, propter febris ardorem, dicet aliquis, incaleſcente ſanguine; Ego vero propter morbi magnitudinem, naturæ negotium faceſſentis, quæ dum ſe à cauſis noxiis extricare contendit, per hanc viam, quamdam nititur moliri excretionem, per quam ſolebat alias noxios humores excludere, ſed cum hæc loca non ſint conferentia, ejiciendis vermibus & eorum ſcaturigini deturbandæ, deſiſtit ab opere. Idem dicendum de ephidroſi morborum à vermibus. Subito excitari à ſomno cum trepidatione, præcipue infantes, certiſſimum eſt apud mulierculas, ſignum vermium; in exanthematum autem eruptione, hoc idem ſæpiſſime contingit. Famen denique caninam, à vermibus etiam fieri notum eſt, ſuccum nutriendo corpori dicatum, ipſis abſorbentibus in propriam nutritionem.

Difficile cognoſcitur a medicis an adſint Lumbrici.

In tot à vermibus morbis, & ſymptomatibus, obdormiunt aliquando Medici, propter cauſæ ambiguitatem, nihil tale cogitantes, quam ut vermes ſubeant, & horum ſymptomatum cauſæ exiſtant, quo uſque inopinanter dejiciantur. Quapropter in regionibus, ut in iſta, & noſtra Maſſilienſi, in quibus frequens eſt in morbis, & extra morbos, horum animalium generatio, bonum eſt cum purgantibus, aliquid vermibus ejiciendis idoneum ſemper adjicere, præcipue cum nobis res eſt cum infantibus, aut cum morbi populares graſſantur, quo tempore aut exanthemata enaſcuntur, aut vermium fit ſcaturigo, & ſæpe utrumque: Ideo magna ſolertia adhibenda eſt, ut vermes

ſu-

ſubeuntes in morbis agnoſcamus. Mihi quidem nulla res potior fuit, in ejuſmodi ſymptomatum à vermibus, & à morbo concurſu, quam pugnantium ſignorum naturam intueri, quæ tunc temporis animadvertitur. Cum enim vermes ex vulgata putredine enaſcuntur, deterior ipſa efficitur, ut ſupra diximus; aut ſi putredine exiſtente in venis, à qua febris continua accenditur, vermes gignantur in inteſtinis, erunt utriuſque putredinis miſta ſymptomata; quantumvis autem morbus primarius, eſſet antea cum ſignis ſalutaribus, ex vermium epigeneſi, aliqua ut plurimum mala ſigna ſupervenient, ut extremorum frigiditas, pulſus imminutio, inæqualitas, quandoque intermiſſio ætati inſolens, infantibus ſcilicet, & pueris; & alia quæ ſupra recenſuimus accidere; de cetero morbus ſalutaris videbitur, maximeque tunc debet eſſe ſuſpicio de vermibus; quod ut innoteſcat, utendum antidotis cum purgantibus, ut non ſolum vermes, ſed etiam eorum ſcaturigo deturbetur, quod in ipſomet morbi principio eſt faciendum, cum agitur de vermibus, licet febris hoc non ſuadeat, & alia ſymptomata, quia à vermibus, certum impendet periculum: Sæpiſſime enim mihi, pueros ægrotantes inviſenti cum febri acuta, contigit in principio ægrotationis, præbere purgantia adverſante Pharmacopœo, quibus cum materia putri ejectis vermibus, ceſſabat febris, nulla facta venæ ſectione. Hæc enim ætas, ut crebro uſurpare ſoleo, magis in morbis indiget purgatione, propter ingluviem, quam venæ ſectione, niſi hanc neceſſario indicet affectus, ut eſt pleuritis, catarrhus ſuffocans, & quædam ejuſmodi; in quibus etiam in infantibus, timendi ſunt vermes, iis præcipue, qui eorum generationi ſunt obnoxii, in quibus ſemper ejus habenda eſt ratio, & quocumque modo oppugnanda propriis antidotis, quorum Medicina eſt feraciſſima, tum ſimplicibus, tum compoſitis. Uſu magis recepta ſunt, pulvis rhabarbari, corallina, ſemen contra, theriaca, orbiatan probatum, balſamum circumforaneorum, ſyrupus de flore perſicorum, oleum de ſpica, oleum petroleum, fuligo, allium, fel animalium, aloë, mercurius dulcis, & alia quamplurima, in ordine remediorum alphabetico deſcripta, quorum omnium mihi potior eſt mercurius dulcis, quo in hac urbe ſancti Severi mirabilia præſtiti, in pluribus ægro-

Pueris magis convenit purgatio, quam venæ ſectio.

Medicamenta contra lumbricos,

inter quæ excellit mercurius dulcis.

grotis, ita ut nullo alio nunc vocetur nomine, niſi pulvis meus; eo quod primus in ea celebraverim, & paraverim. Nunquam vim infert corpori, pulvis iſte, licet duplo major doſis illius exhibebatur; ita ut fateri ſim coactus, ex operibus, verum eſſe quod ſcribit Hartmannus, mercurium dulcem plus purgare in parva doſi, in corpore valde cacochymo, quam magna doſis, in alio minime cacochymo; Novies enim à me, ſpatio duodecim dierum ſæpe exhibito, longe magis in eodem corpore, ventrem movebant duodecim grana prima vice, quam viginti quatuor ultima vice ſumpta; Recte itaque dulcis vocatur, mercurius iſte, non tantum guſtu, ſed & effectu; parum enim, aut nihil purgat in corporibus, quæ difficile cedunt purgantibus, niſi cum aliquo vehiculo exhibeatur, ſcammonio ſcilicet vapore ſulphuris caſtigato, potius quam trochiſcis alhandal, qui in pluribus pariunt tormina, nec niſi in forma pilularum ſumuntur, propter ingratum ſaporem. Utendi ratio in morbis in quibus vermes dejiciuntur, aut ſubire creduntur, ſicut & in aliis, cum in parva quantitate purgandum, hæc eſt: Jubeo pro adultis duodecim gr. aut 14. ad ſummum, miſceri cum ʒ. 4. aut ſex gr. ſcammonii præparati, quæ ſyrupo ad rem accommodato excepta, vel in forma morſuli, vel pilulæ, vel forma liquida, aucta doſi ſyrupi, ex cochleari ſumuntur, ſorbendo juſculum poſt duas horas, non expectata ventris dejectione, ut in aliis purgantibus, propter, ut inquiunt Chimici, mercurii volatilitatem, qui ſumpto juſculo deprimitur, inferiora petens. Poteſt etiam pulvis iſte, in cuſpide cochlearis poſitus, ſumi cum ptiſana, vel aqua portulacæ, citiſſime in fundum gutturis immiſſus, decumbente ægroto, ut liquore raptus, ſuo pondere illuc feratur, qui cochleari, aut dentibus alioquin hæreret; hac methodo utor in infantibus, & aliis qui cogendi ſunt ad potiones exhauriendas: minori tamen doſi datur infantibus, & pueris, ad ſex, vel octo gr. ſcilicet mercurii dulcis, & tres ſcammonii præparati; quamvis multoties aſcenderim, ad duodecim gr. hujus mercurii in parvulis, ſine ullo incommodo. Si purgato corpore, & quibuſdam vermibus ejectis, ſequentibus diebus adhuc quidam dejiciantur, jubeo adultis octo gr. ſumenda mercurii dulcis, cum ſex gr. margaritarum præparatarum, duobus

bus conſecutis diebus mane, jejuno ventriculo; quod ſi nullo modo ventrem moveant, dandum eſt enema circa veſperam ex ſolo lacte, cujus defectu accipitur decoctum hordei, cum melle roſaceo, aut communi, ad ℥iiij. & vj. decoctionis, ut vermes è latebris excuſſi, & per inteſtina inferiora oberrantes alliciantur, & cum enemate dejiciantur. Sum aliquando miratus, non autem ſemel, quomodo propinata purgatione, vermibus ejiciendis maxime idonea, nulli cum alvi dejectionibus interdum egrederentur, poſtero tamen die, aut tertio, indito præcipue enemate, dejicerentur, repetitaque purgatione, ſemper, ab ea aliqui deprehenderentur in excrementis; ita ut viderim plures ægrotantes, uſque ad 14. diem, & 20. ſemper aliquos dejicere, aliquando per ſeceſſum, alias vero per vomitum, ac ſi nulla data eſſet antidotus. Ego quidem in ea ſemper fui ſententia, vermes iſtos non eſſe in via, per quam devolvitur medicamentum, ſed cæcum inteſtinum iis eſſe infarctum: Cum autem ut alia inteſtina, prolabenti materiæ non ſit pervium, in eo tanquam in latibulo ſedem habent; ito ut medicamentum pertranſiens, non attingat niſi ſtantes ad oſtium, quod tanquam ſibi contrarium effugere volentes, per alia inteſtina oberrant, quouſque dejiciantur, aut ad ſtomachum aſcendant, ubi magnum negotium faceſſere ſolent, donec vomitu rejiciantur. Nam ſi vermes qui toto morbi decurſu, & tam longo tempore, in parvo numero dejiciuntur, eſſent extra cæcum inteſtinum, cum per alia, medicamentum purgans devolvatur, die purgationis primo, aut ſaltem ſecundo, deturbarentur: Dicendum igitur hos eſſe in cæco inteſtino, à quo pedetentim eruuntur. Cum fluxus ventris purgato corpore adhuc infeſtat, qui vel ſupereſſe vermes, vel aliquid de fermento putredinis indicat; ſi dandus mercurius dulcis, propterea quod facile ſumitur, nihilque tale cogitantibus præberi poteſt; ſoleo miſcere cum corallo rubro præparato cum ſyrupo cydoniorum exceptum, ita ut ſint gr. viij. mercurii & gr. vj. coralli, in adultis; in infantibus vero, gr. vj. mercurii, & gr. iiij. coralli, uno, aut altero die ſumendo. In extremis utor aliquando hydrargyro, quod in vermibus fugandis, & enecandis non habet ſimile; quia autem enecatos non expellit, nec eorum ſcaturiginem, aliis nihil profi-

Lumbrici ſæpe latent in inteſtino cæco.

Uſus mercurii crudi contra lumbricos.

cien-

cientibus tantum exhibendum, piſi magnitudine, & ſemipiſi in parvulis, ſine ulla mortificatione, ut aiunt, quia facilius petranſit; Tutior uſu mercurii dulcis, quo etiam raro utor ad profilaxim à vermibus, licet ne tantillum incommodi, ex ejus uſu etiam frequenti animadverterim; cum ſint alia parvi ſumptus quibus frequentiſſime, & tutiſſime, ad generationem vermium impediendam, & jam factos deturbandos uti poſſumus. Mulierculæ ſtatim confugiunt ad ſemen contra, quod pluris facio in fugandis vermibus ipſa theriaca, & ſimilibus antidotis; ipſam vero in compeſcendis ſymptomatibus, quæ ab eorum putredine oriuntur. Cum ergo ſolum agitur de vermibus expellendis, ſufficit ipſum ſemen contra, dummodo non ſit vetuſtate carioſum & pulverulentum, amiſſa fere omni amaritudine: Febricitantibus, licet calidum; infunditur in aqua portulacæ, quæ temperat ejus calorem, ipſiſque vermibus adverſari creditur; ipſi ſoli tamen numquam fidendum: Infundendum quoque cum ſemine contra, ſi expedit, rhabarbarum; additis deinde purgantibus in diſſolutione, quæ ipſe morbus, & ſymptomata requirere videbuntur, cum quibus cito pertranſiens, minus calefacit. Non febricitantibus, ut ſunt præcipue infantes, datur ad ſcrup. j. aut ʒß. cum melle, lacte, ſyrupo, pomis coctis, & ficubus pinguibus, ut ſunt Maſſilienſes ad ſolem exſiccatæ, quæ apertæ ſemine contra aſperguntur, deinde clauſæ, tres, aut quatuor, præbentur manducandæ jejuno ventriculo, quas alacri animo, & cum geſticulatione accipiunt infantes, & pueri; in quibus non expectandum quouſque res urgeat, cum vermibus ſunt valde obnoxii, ſed paulo ante novilunium, præcipue, & plenilunium, duobus conſecutis diebus, porrigendum de ſemine contra, modis jam dictis, aut infuſo per noctem in vino, aqua portulacæ, aut roſarum, iis qui tali modo ſumere non reſpuunt: Qui vero capiendi ſunt blanditiis, dandum ſemen contra ſaccharo incruſtatum: Non permittendum tamen ut infantes os impleant; vidi enim in periculum ſuffocationis, quemdam puerum incidiſſe, ſemine contra guttur obturante, & involuntarie deſcendente. Qui in febribus calorem ſeminis contra pertimeſcunt, quod in hac regione parvi debet eſſe momenti, utantur

Uſus ſeminis ſantonici.

co-

corallina, quæ frigida eſt: Advertendum tamen quod illa quæ cinericii eſt coloris; parvæ, aut nullius eſt virtutis: potentiſſimæ vero quæ adhæret corallo: Quia autem hujus rei incerti ſumus, eligenda quæ rubri eſt coloris, eaque utendum ut de ſemine contra dictum eſt, niſi quod raro infunditur, ſed in pulverem redacta præbetur uſque ad ʒj. cum ovo ſorbili, ficubus, pomo cocto, ſyrupo, aqua portulacæ, potionibus etiam purgantibus miſcetur, tenuiſſime pulverata, nec tanta indiget fucatione ut ſemen contra, amaro non exiſtens ſapore, ſed tantum redolens quid maritimum: Hæc duo, frequentiſſimo ſunt uſui, quod parvi emantur, & expellendis vermibus optima ſunt, probe electa. Rhabarbarum probata eſt contra vermes antidotus, eo modo quo ſemen contra ſumptum: cum autem carius ematur, nec illi prævaleat, ſufficit ut rhabarbaro utamur in purgationibus, in quibus eo abſtinere non poſſumus. Syrupus de flore perſicorum, eſt etiam de numero eorum, quæ contra vermes præſcribuntur, quo frequenter utimur cum purgantibus, ad ℥ß. ℥j. & per ſe, uſque ad ℥ij. in adultis, ut valeat ventrem ſubducere, quod ſemper bonum eſt, ſuppoſito quod vermes ſubeant, ut non ipſi, ſed etiam eorum ſedes, quæ putrefacta eſt materia, expellatur. Quod attinet ad ea quæ extrinſecus admoventur, nullum exiſtimo medicamentum certare cum balſamo circumforaneorum, cujus deſcriptio habetur in ordine remediorum alphabetico, tit. balſamum; eo enim naribus, manuum, & temporum pulſu, & regione ventriculi inuncta, infantibus in diſcrimen vitæ adductis à vermibus, eos ſtatim melius habere, multoties nobis confirmavit experientia: Poteſt etiam ſumi intra corpus ad aliquot guttulas, puta iiij. cum liquore idoneo; huic enim rei non adverſatur ejus partiaria materia. Quod ſi hoc balſamum non ſit in promptu, utendum eodem modo oleo de ſpica, quod eſt balſami partiaria materia: Eodem etiam modo utuntur Maſſiliæ oleo, quod petroleum vocant, quo mirabilia præſtant interdum mulierculæ, quaſi ab inferis revocantes pueros, ut in vicinitate noſtra cuidam infanti contigit, indito à matre petroleo in fauces ad deglutiendum, nulla habita ratione febris; In præcipiti enim periculo multa fiunt, quæ alias eſſent omittenda;

Utuntur etiam ſyrupo florum perſicorum contra lumbricos,

& oleo de ſpica, vel etiam petroleo,

valet etiam extrinſecus cataplaſma deſcriptum in ordine alphabetico, ex allio, fuligine, felle, & aceto, cum fermento miſtis, & regione ventticuli ante, & retro admotis: Mulieres quippe ruſticæ hujus regionis, & aliæ etiam earum exemplo, ſtatim atque pueri male habent à vermibus ſine febre, offam parant ex allio, & illis præbent manducandam jejuno ventriculo, nec ſine ratione; vidi enim hominem Maſſiliæ quadraginta annorum, qui paranda ſibi jubebat artocreata, cum allio, eo quod vermes dejiceret, quoties de illis manducabat: Multa contra vermes invenies deſcripta, in ordine remediorum alphabetico, paſſim ab Authoribus excerpta, quæ non ſunt parvi momenti.

& offa ex allio parata.

PROGNOSTICA.

Vermes ante morbum geniti, primaria, ut plurimum, ſunt ejus cauſa, aucta putredine.

Vermes in principio morbi, ex putrefactæ jam materiæ benigniori parte gignuntur.

Vermes in morbi vigore, ex malitia ejus generantur.

Vermes in declinatione geniti, quamdam naturæ victoriam oſtendunt, quam pro malitia materiæ habere poteſt.

Lumbricos teteres deſcendere ante judicationem, bonum eſt, Hippocrates lib. 2. progn. 3.

Vermes teretes aliis ſunt deteriores: lati morbos longiores inferunt, & quandoque mortem non cogniti; Aſcarides omnium minime periculoſi.

Verſicolores lumbrici, omnium ſunt deteriores: Albi omnium minime.

In maximo rerum diſcrimine à vermibus, nunquam deſperandum.

Mortui vermes ejecti, viventibus ſunt pejores, niſi à datis antidotis ſint enecati: à putredine enim quæ maligna evaſit, occiduntur, à qua etiam ægrotanti impendet periculum.

Vermes in acutis ſine materia exeuntes, ejus cruditatem oſtendunt, & malignam evaſiſſe putredinem.

Vermes putredinis malignitate, potius quam ex ſeipſis mortem inferunt, niſi vulnerent inteſtina, aut mordeant ſtomachum, præcipue os ipſius.

Non

Non eſt procraſtinandum in exhibitione antidotorum, dum vel minima ſuſpicio eſt de vermibus; ſubito enim enecant infantes, & quandoque adultos.

Vermes deſerunt aliquando ægrotantes morituros, ſicut mures domum caſuram.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Vocatus à quibuſdam mulieribus, ut juvenem 15. annorum, ad extremum vitæ ſubito redactum inviſerem; Intrans cubiculum, inveni quaſdam ex eis, flocculum lanæ bene carptæ naribus, & ori admoventes: alias vero parva candela cerea accenſa, periculum facientes, an adhuc ſpiritum duceret: Accedens propius ad ægrotantem, etiam ſi pulſu careret, agnovi tamen nondum eſſe mortuum: Percontans igitur quid rei eſſet, & quonam morbo laboraſſet, reſponderunt, nullo: hoc reſponſo, arbitratus ſum juvenem, in hoc vitæ diſcrimen redactum eſſe à vermibus; nam de veneno nulla erat ſuſpicio: Ideo juſſi Pharmacopœo, ut nulla facta mora, mercurii dulcis gr. xij. & diagridii gr. iiij. ut jam diximus præparati, ex cuſpide cochlearis, cum aqua portulacæ, aut ptiſana, in guttur ſubito immitteret, ita ut liquor raperet pulverem: Cum autem nullum deglutiendi motum haberet ægrotans, retulit mihi Pharmacopœus totum ſupra linguam remanſiſſe pulverem: Imperavi itaque, ut argentum vivum piſi magnitudine, propinaret ex cochleari, cum lacte, ne à mulierculis videretur, apud quas pro veneno habetur, aſſerens hydrargyrum viam ad ſtomachum inventurum, etiam ſi nullus fieret motus deglutiendi, & ſic exhibitum, quem propria mors auferre videbatur, mortis ejus cauſam non referri poſſe: Quo optime peracto à Pharmacopœo; mirandum! poſtridie à ſumpto hydrargyro, vidi ægrotum deambulantem, juxta domum ſuam: Cujus rei novitate attonitus, petivi ab eo, quid à diſceſſu meo accidiſſet; Reſpondit ſe ab hydrargyro ſumpto quinque aut ſex vermes per os ejeciſſe, & ita periculum mortis evaſiſſe.

Juvenis agonizans, ſumpto mercurio crudo, & vomitu rejectis ſex lumbricis, ſanitati reſtitutus.

OBSERVATIO II.

Mulier febre acuta laborans exhibita doſi mercurii dulcis ſanata.

In conſtitutione quadam epidemica, in qua plurimi ægrotantes, in febribus acutis, ſcatebant vermibus; vocatus in conſilium cum altero Medico, quinto morbi die, nobilis mulieris ægrotantis, factis antea quibuſdam venæ ſectionibus, ſuaſi ſexto die propinandum eſſe medicamentum purgans, vermibus ejiciendis idoneum, propter morborum graſſantium naturam: ad quod inclinans Medicus ordinarius, rogavi ut præſcriberet, eo quod ægrotantis natura eſſet illi cognita, ut putabam, ratione purgantium, male tamen: à medicamento enim venter nihil dejecit, niſi ab enemate circa veſperam injecto: unde commota putredini, & vermibus, facta ad partes ſuperiores anathymiaſi, omnia exacerbata ſunt ſeptimo die, febris, & ejus ſymptomata, iis ſuperveniente delirio. Horum omnium culpa in medicamentum purgans rejiciebatur, ideo in me, qui ſuaſeram ut propinaretur, potius quam in eum qui convenientem doſim non præſcripſerat, obmurmurante atrociter ægrotantis matre: Quod moleſte ferens, receſſi non amplius inviſurus ægrotantem. Tribus diebus elapſis, cum omnia eſſent in eodem ſtatu, rogatus ſum iterum ægrotantem inviſere, quod licet iniquo ferrem animo, pietati tamen Chriſtianæ non auſus ſum denegare, habitaque diſceptatione cum Medico ordinario de natura affectus, & agendis, affirmavi purgationem omnino eſſe neceſſariam, doſi magis convenienti, quam in prima: hoc præcipue tempore, quo in omnibus fere ægrotis, vermes graſſabantur, adverſus quos nullum potentius agere mercurio dulci, viribus additis ad purgandum ſcammonio præparato cum ſulphure, neque quod facilius ſumeretur eſſe magis appoſitum, delirante præſertim ægrotante, ad quæ nihil reſpondit, ne palma, ut opinor, curationis, hoc remedio, ſuis præriperetur; aut medicamenti naturam pertimeſcens, rebus chimicis parum aſſuetus, non item venæ ſectionibus quibus nunquam ſatiabatur; ſumma tamen gratia, & authoritate valente apud ægrotos, propter venuſtam locutionem, qua ſibi multum arrogabat in ceteros, coactus ſum permittere venæ ſectiones, quibus nihil proficientibus, conquerebantur apud me ægrotantis cognatæ, de longitudine morbi, & ſævitia ſymptomatum; quibus reſ-

reſpondi, nullam ſanitatis recuperandæ ſecuriorem eſſe viam, exhibitione remedii à me popoſiti, hoc tamen fieri non poſſe, altero Medico refragante. Cum autem proſtridie, viſa ægrotante ſummo mane, dixiſſet ſe in agros diſcedere ægrotanti inviſendo, nec rediturum uſque ad veſperam: arrepta occaſione diſceſſus, rogaverunt parentes, ſpe exiſtente in anguſto, ut darem de pulvere meo ægrotanti, ita enim vocabatur mercurius dulcis, ut jam diximus. Pomeridianis igitur horis propter temporis anguſtias, tum abſente Medico ordinario, tum propter inſtantem decimum quartum morbi diem, propinanda curavi 12. gr. mercurii dulcis, & 4. ſcammonii præparati, nec aliter res cecidit atque opinatus eram; ſexies enim venter dejecit liquida, & fœtida valde, ſex vermibus immixtis, non ſpernendæ longitudinis, Medico ordinario reduce ſtupente, nec forſan æquo animo ferente, quod omnes parvi pendebant; tunc enim ſpes aliqua recuperandæ valetudinis affulgebat, febris tamen perſeverabat; & delirium antea fatuis verbis plenum, taciturnum erat, manibus ab ſtomacho, & viſceribus, contendente ægrota aliquid ſibi avellere; quod nobis ſuſpicioni locum dabat, vermes adhuc ſupereſſe; cujus rei ut non amplius dubium eſſet, propoſui dandum mercurium vivum, omni aſſeveratione affirmans Medico ordinario, nullam ab eo noxam eſſe pertimeſcendam, etiam ſi nulli ſubeſſe vermes crederentur, attulique inter cetera, exemplum ſuperioris enarrationis, de juvene hujus remedii beneficio, à proxima morte redempto: ad quod facile annuit Medicus ordinarius, alterius remedii felici eventu recenter exhibti edoctus; propinatuſque eſt mercurius vivus, piſi magnitudine cum juſculo, quod inter cetera non reſpuebat ægrotans. Quamvis autem in perpetuo eſſet delirio, ſenſit aliquid inſuetum in ore, ſciſcitans ab ea quæ ei miniſtrabat, quid hoc rei eſſet: ſed ſapore juſculi percepto ipſa illi reſpondit, juſculum. A ſumpto hydrargyro nullis vermibus prodeuntibus, nec ulla facta dejectione, enema circa veſperam injectum eſt: ſed neque ab enemate, neque per totum morbi decurſum, vermis ullus apparuit. Rebus in eodem ſtatu permanentibus, delirio ſaltem, licet febris remiſſior, cepimus animo volvere, quænam eſſet delirii cauſa; nune quidem

dem matrici referenda videbatur; nunc vero vaporibus à putredine elatis ad cerebrum, non autem è venis, febris enim remiſerat, poſt quam exanthemata eruperant à prima purgatione, die ſcilicet decimo quarto, quorum parva habita eſt ratio; factæ enim ſunt venæ ſectiones è malleolis, propter delirium, & alia quæ conferre videbantur. Tandem poſt 20. diem deſiit febris ſine criſi, prius quam delirium; deinde pedetentim delirium, & perfectæ ſanitati eſt reſtituta, quam ſemper acceptam retulit mercurio dulci, qui in poſterum à 20. annis celebratur. Cur autem delirium ſoluta febre remanſiſſet, hæc mihi ratio erat; quod poſt irritam primam purgationem, cum ſecundæ ex mercurio dulci, moram attuliſſet Medici ordinarii contentio, à 7. ad 14. quo tempore, permanente cum vermibus in inteſtinis putredine, perpetua ad caput fiebat anathymiaſis, delirium fovens; ſublato autem foco purgatione mercurii, nullaque ad caput ex illa putredine facta in poſterum exhalatione; imbutum tamen remanſit cerebrum craſſiori parte, aut ſaltem alteratum, hinc depravata manſit ejus actio ratiocinandi, etiam poſt febrem, quæ non fuerat cauſa delirii, quouſque omnia in priſtinum ſtatum reducerentur in cerebro.

Observatio III.

Juvenis maniacus, exhibita doſi mercurii dulcis, & ejectis triginta ſex lumbricis, ſanitati reſtitutus.

Tyro Pharmacopœus hujus urbis, ætate 17. annorum, obambulans, & arti ſuæ incumbens, derepente mania quadam corripitur, obmurmurans, nec ſeipſum, nec alios agnoſcens; ad interrogata nihil reſpondens, niſi aliquid extra rem, & abrupte, manumque dextram ſiniſtro hypochondrio frequenter admovens, tanquam aliquid avulſurus: vocati duo Medici, quorum unus eram, maxime laborabant in dignoſcenda horum ſymptomatum cauſa. Primus propter motus inordinatos corporis, & maxime brachiorum, epilepſiam eſſe credebat; ego vero minime, ſed è duobus unum affirmavi, aut juvenem eſſe faſcinatum, aut vermibus horum omnium cauſam eſſe referendam: Nos quidem contra faſcinationes non valere, contra autem vermes aliquid poſſe: Ideo potenti ad hoc utendum eſſe remedio; quod etiam uno hauſtu, & inopinanter deglutiri poſſet, propter ægrotantis incontinentiam, ad quod nullum ma-

magis eſſe idoneum, mercurio dulci, cum ſcammonio, doſi ſatis valida, ut cito agere poſſet, in tam periculoſo rei ægrotantis diſcrimine: Socio igitur tyronis male habentis imperavi, ut 14. gra. mercurii dulcis ſumeret, cum ſex gr. ſcammonii, vapore ſulphuris caſtigati, in cuſpide cochlearis argentei impoſita, cum aqua portulacæ, dum ægrotus jacens os ad clamandum aperiret, in fundum gutturis ejus, cum impetu immitteret, quod optime præſtitit; reique poſtea eventum expectaturi diſceſſimus. Horis duabus elapſis, redii ſolus, de his quæ accidiſſent ſollicitus, invenique ægrotantem ad ignem ſedentem, erat enim veſtibus indutus mane, cum hoc affectu correptus fuerat; mentis compos, actorumque omnium immemor: Interrogatus autem à me, an à medicamento quod ſumpſerat, venter ſubductus eſſet, reſpondit minime, expectandum, dixi, non enim otioſum erit medicamentum, ut contigit; de nocte quippe ſexies, aut circiter venter ſubductus eſt, cum triginta ſex vermibus, omninoque ſanus ab eo tempore permanſit. Mirabar ego antidoti vires, nulla facta dejectione, nulliſque vermibus ejectis, omnia ſymptomata quieviſſe, hoc autem in mercurii dulcis laudem.

OBSERVATIO IV.

Febris continua, ejectis lumbricis aliquot ſanata.

Mulierem quamdam febris continua invaſit acuta, factis quibuſdam venæ ſectionibus, cum mihi eſſet ſuſpicio de vermibus, propter morborum graſſantium naturam; non potui tamen propter mulieris calidam conſtitutionem, ante ſextum, medicamentum purgans propinare, ex 12. gra. ſcilicet mercurii dulcis, & 4. ſcammonii præparati: A purgatione die 7. 8. & 9. febris perſeverabat, acri admodum calore, nec ulli vermes apparuerunt: Decimo ut ſecurior eſſem de vermibus, ſex gr. de eodem mercurio dulci propinanda curavi, & poſt ſex horas enema, ſecundum conſuetudinem, cum mercurius datur in parva quantitate, aut ventrem non movet, doſi non ſufficienti ut venter ſubducatur, & vermes ſi qui ſint ad inferiora deturbati ejiciantur, ut ſupra docuimus. Rejecto enemate unus aut alter vermis animadverſus eſt. Undecimo febris eadem, contra quam ſua præſidia nec fuerant, nec erant ſpreta. Duode-

decimo genarum rubor major quam antea, & ſudor milii inſtar circa frontem; à quibus magis timuiſſem die critico, qui facit ad firmitatem ſigni, ſive boni, ſive mali, ſecundum doctrinam Hippocratis, & Galeni. Cauſam hujus ſudoris inquirenti, & hujus ruboris inſoliti, venit in mentem aliquid, quod per ſudorem exire non poterat, naturæ faceſſere negotium, conanti illud expellere, per viam tamen non conferentem: Cum enim in febribus aliquid naturæ valde infenſum, ei vim valet ab eo ſe extricare, tentat quoſcumque exitus, etiam non conferentes, unde deſiſtit ab inceptis, ut accidit in tuſſi ab inflammatione jecoris; ſic etiam in morbis à maligna vermium putredine: Propterea in craſtinum diem qui erat 13. juſſi Pharmacopœo ut in pruno cocto ſex gr. mercurii dulcis, & quatuor margaritarum præparatarum conderet, & inſciæ ægrotanti, quæ nullis amplius volebat uti remediis, præberet; quod optime ceſſit, vomuit enim vermem valde craſſum, & ſolitis breviorem; per inferiora autem, injecto enemate, fruſtula ſemiputridorum dejecit. Exiſtimandum horum vermium ſcaturiginem extitiſſe in cæco, propter rationes jam dictas. Decimoquarto die præterito, paulatim convaluit ſine criſi.

Lib. 2. progn. cap. x. de purulen.

OBSERVATIO V.

Idem effectus ab eadem cauſa.

Idem mihi prorſus contigit in alia muliere, periculoſe admodum ægrotanti, quæ toto fere morbi decurſu, licet purgata, vermes dejecit. Ego quidem exiſtimo ambas perituras fuiſſe, ſi unam tantum omiſiſſem, præbere antidotum contra vermes, licet purgans, reliquum vero curationis tempus, in profliganda febri, poſuiſſem in venæ ſectionibus, & refrigerantibus; ut quamplurimi faciunt. Credendum eſt in omnibus febribus iſtis, cauſam præcipuam vermium fuiſſe putredinem, qua ſablata ceſſavit febris ſine criſi.

OBSERVATIO VI.

Febris duplex tertiana ejectis novem lumbricis ſanata.

Rogatus inviſere mulierem, duplici, ut ferebatur, tertiana laborantem, Medico illius abſente, à quo propinatum ei fuerat medicamentum purgans, cujus ope unum, aut alterum vermem dejecerat; febri tamen ut dicebatur in continuam mutata, cum virium omnium proſtratione, ita ut à parentibus, & ma-

marito, ſicut & mihi venienti, videretur in maximo verſari periculo: Tangens pulſum valde debilem inveni, vidique attonitam, & corpore maxime dejecto, ſine tamen delirio. Ex his quæ prægreſſa erant, ſuſpicatus ſum hæc omnia à vermibus exiſtere; Ideo juſſi ſtatim, quia provectus jam erat dies, ut darentur novem gr. mercurii dulcis, cum quatuor gr. margarit. præparat. ex cochleari, modo quo diximus: Quo facto, circa horam veſpertinam, ſine alicujus enematis adjumento, novem ejecit vermes inter ſe complicatos; ab eoque tempore vitalis facultas, & animalis ſtatim recreata ſunt, & ſanitati eſt reſtituta.

OBSERVATIO VII.

Pleuritis notha, per vomitum aliquot rejectis lumbricis, ſanata.

Vocatus ab uxore Cauſidici hujus urbis, ut ancillam ægrotantem inviſerem, diem 5. morbi agentem, relatum mihi eſt, percontanti de natura morbi, Pharmacopœum pleuritidem vocaſſe, ideoque adminiſtrandas curaſſe tres, aut quatuor venæ ſectiones, & alia ad hunc morbum neceſſaria. Cum autem die quinto exaſperata eſſent omnia, non auſum eſſe ſine Medici conſilio, venam iterum aperire. Veniens igitur, agnovi ex pulſu, & aliis ſignis, non eſſe veram pleuritidinem, licet dolores punctorii eſſent exaſperati cum febre. Credebam fluxionem aliquam factam fuiſſe in pulmones, cujus renovatione, in quinto, omnia exacerbata eſſent; ideo probavi ut iterum fieret venæ ſectio, qua celebrata, quietior fuit ægrotans per duas horas; poſtea exaſperata ſunt omnia, cum frequenti ſingultu: Ex quo longe aliter rem ſe habere, atque opinatus eram exiſtimavi, malignam ſcilicet cacochymiam, ſubeſſe circum viſcera, aut vermium ſcaturiginem, è qua vapor acris, & malignus, ad pectus aſcendens, ut monent aliqui, pleura puncta, ſpecies quædam pleuritidis repræſentatur, fallens imperitos, ne dicam in arte ſeniores factos, ut mihi contigiſſet, niſi ex ſingultu ſuſpicio de vermibus veniſſet in mentem: Quare circa veſperam quinti, præſcripſi 12. gr. mercurii dulcis ſine ſcammonio. Mane principio ſexti, cum ſingultus multum urgeret, ſumendum curavi quod ſequitur.

℞. Merc. dulc. gr. viii. opii in tegula exſicc. & pulv. gr. i. confecti. de hyacinto ʒß. capiat ſtatim.

Hujus antidoti beneficio mitigatus eſt ſingultus: Cum tamen non deſineret, eſſetque mihi ſemper ſuſpicio de ſubeunte maligna cacochymia, aut vermibus, antequam adeſſet ſeptimus, qui cadebat hora octava veſpertina, ſtatui doſim ℥iß. vini emetici ægrotanti propinandum, nullam vacuandæ malignæ cacochymiæ viam meliorem exiſtimans, antequam deterior evaderet: Paulo poſt à ſumpto vino emetico vomens, tres vermes ejecit, ter vomitu facto, nocte ter facta dejectione ſine vermibus, in magna quantitate, nec ullus in poſterum fuit dolor punctorius, ceſſavitque pedetentim omnino ſingultus febri perſeverante. Octavo die cum dolore capitis, circa veſperam, conquerebatur ægrotans de ventris cruciatu. Mane die 9. cum dolor multum urgeret, eſſetque pulſus præter rationem parvus; nulla diei critici habita ratione, quoniam agebatur de vermibus, præſcripſi 14. gr. mercurii dulcis, cum 4. ſcammonii præparati, quæ ventrem bis, aut ter ſubduxerunt, vomitu duobus vermibus ejectis, à quorum excretione rediit pulſus in priſtinum ſtatum, in quo fuerat ſeptimo. Die undecimo elapſo, cum febris perſeveraret, & aliquis capitis dolor, vena brachii aperta eſt. Decimo quarto perſeverante febri, ſine ullo tamen capitis dolore, quia poſt ſeptimum menſes eruperant, ſuo tempore fluxuri, venam malleoli aperiendam jubebam, nulla tamen vena apparente, è brachio hauſit ſanguinem Chirurgus: Cum tamen febris, licet valde imminuta, adhuc perſeveraret, etiam poſt 17. Die 19. medicamentum purgans iterum propinavimus, ex infuſione folior. ſennæ, & ſemine contra, cum rhabarbaro, diſſoluto catholicone, & ſyrupo de flore perſicorum brevique ſanata eſt.

OBSERVATIO VIII.

Dolor ſtomachi, ex hibito ſucco menthæ, & ejectis Lumbricis, ſedatus.

Rogatus ſum à Pharmacopœo Adurenſi, caſu veniens in urbem, ut viſerem mulierem ſartoris uxorem, quæ jam diu laborabat dolore ſtomachi, & vomitu per intervalla, cum quadam febre continua: A Pharmacopœo multa facta fuerant remedia: Ego inter cetera, quia vomitus omnium videbatur eſſe moleſtior, exhibitis jam purgationibus, præſcripſi remedium à Paracelſo expertum, contra vomitum, ex ſucco menthæ & fer-

fermento, de quo cap. de dyſenteria; à quo, ut mihi retulit poſtea Pharmacopœus, ſex vermes ejecit villoſos ab ſtomacho, & ſanitati eſt reſtituta; habet enim mentha qualitatem vermibus infenſam.

OBSERVATIO IX.

Cum eſſem Maſſiliæ, vocatus ſum mulieris inviſendæ gratia, à quibuſdam diebus febre continua laborantis. Ingrediens cubiculum inveni Chirurgum ad venæ ſectionem paratum; Cum vero morbus videretur per omnia ſine periculo, præter quod eſſet pedum frigiditas; Incertus an frigiditas illa extremorum, eſſet à vermibus; an à noxiis humoribus circum viſcera, ut monet Fernelius, hærentibus; an ab utraque cauſa; an vero ab aliqua cauſa maligna intus deliteſcente: Ad vermes magis inclinans, quos putredo ſemper comitatur, loco venæ ſectionis, affirmavi mulierem medicamento purgante potius indigere, quo ſumpto, & quibuſdam vermibus dejectis, ceſſavit pedum frigus, brevique ſanata eſt.

Febris continua cum frigiditate extremorum, ejectis lumbricis, ſanata.

Narratione quamplurimorum, à vermibus ſuperſedebo ægrotantium; cum hæc ſufficiant ad confirmanda, quas valeant ipſi vermes in corporibus noſtris excitare tragœdias; quomodo morbi mores mutent ſupergeniti, & quod nulla ſit magis idonea antidotus contra vermes in morbis, ipſo mercurio dulci. Ego quidem ingenue fateor, me ægrotantibus multoties adfuiſſe ad extremum redactis, in quibus dubitans vermes ſubeſſe, non audebam tamen propinare medicamentum purgans, ne propria ſorte ægroto moriente, culpa ſiniſtri eventus in me rejiceretur: Cum autem mihi, & ægrotanti conſulere vellem, illi, & aſtantibus imponebam mercurio dulci, fingens cordi roborando dari margaritas, ut ſæpe cum eo miſcebam: Quod ſi res bene ceſſiſſet, vermibus ejectis, aut ſaltem putri admodum exeunte materia, fatebar eo animo dediſſe.

De Nephritide, ſeu Renum cruciatu à calculo.

CAPUT IX.

Dolores Colici & nephritici valde inter ſe ſimiles.

Lib. 2. de loc. affect. cap. 2.

Similitudo colici doloris, & nephritici, morem invexit, ut vulgus nephriditem, colicam renalem vocitet: Tanta eſt enim horum affectuum, in ſymptomatibus dolorificis affinitas, principio morbi, ut pertiſſimis in arte plerumque imponat. Cum autem tunc temporis ex Galeno, utriuſque affectus præſidia miſta ſint, falli tolerabile eſt; procedente vero cruciatu, non eſt Medicinam factitantis: Neque enim in parvum vertitur deducus, multum, & diu colluctatum cum colico dolore, tandem lapide exeunte, omnibus innoteſcere, extitiſſe nephriticum. Idcirco omni cura incumbendum, ut ſaltem procedente affectu, doloris naturam agnoſcamus: Non ſolum colici, & nephritici doloris; ſed & omnium qui dolorem nephriticum repræſentant, ſive communiter, ſive ſpecialiter ſumptum. Quamvis enim dolor nephriticus proprie accipiatur, pro dolore acerbiſſimo à lapide, ureteres ingredi tentante, vel in eis ſubeuntes communiter tamen nephritis, omnis eſt affectus, quo renes laborant, qui cum ſint in regione lumborum, mos invaluit, ut ſi quis in aliqua parte ibi poſita doleat, à renibus ſe dolere conqueratur: Quapropter cum nulla ſit corporis regio, in qua tam multæ, & tam variæ ſint partes; Si quis uniuſcujuſque naturam, & ſitum tenere neglexerit, nunquam diverſos eorum affectus internoſcet, nec his recte medebitur. In regione lumborum, quæ quinque vertebris complectitur in longitudine, poſt tegumenta communia, ſunt muſculi externi, deinde vertebræ cum ſua medulla, & nervi qui ab ea exoriuntur; Eſt etiam pars meſenterii, quod originem ducit, à nervis, & ligamentis vertebrarum; Sunt quoque muſculi interni, uterque ſcilicet pſoas; Eſt vena cava, & ejus ſocia arteria; Sunt inteſtina, qua parte lumbos attingunt; Sunt denique vaſa ſpermatica, renes, ureteres, & etiam in feminis uterus: Quorum omnium cujuſque proprios dolores certis quibuſdam ſignis internoſcere oportet, ut cui parti medendum ſit, quomo-

modo, & quibus auxiliis agnoſcamus. Cutis, & alia tegumenta, ſicut & muſculi externi ſubjacentes, dolent à pluribus cauſis; externi quidem, caſu, ictu, labore diuturno, corpore præcipue incurvato manente, magni oneris levatione & fluxione; Interni vero, humorum decubitu, tumore, abſceſſu, inflammatione, & aliis dolorem inferentibus: De quibus omnibus, non eſt hic ſermo futurus; ſed tantum de doloribus lumborum, qui cauſam habent abſconditam, & cujus ſedes ignoratur, aut difficile agnoſcitur, ut ſunt quædam fluxiones à capite, quæ ægroto ut plurimum non percipiente, ſenſim in lumbos delabuntur, à quibus dolor excitatur, quandoque per intervalla, quandoque continuus, prout eſt fluxionis perennitas, aut difficilis humorum diſcuſſio. Hæc doloris ſpecies, maxime venit, uſu conſideranda; nulla enim magis frequens inter eas, quæ dolores nephriticos, præcipue iis qui tali affectu laboraverunt, repræſentant; & quæ Medicis magis imponant, ſi humor à lumbis, per muſculos obliquos abdominis excurrat: Cum enim ureteres ſubeuntes, per hæc loca ferantur in veſicam; non ſatis periti, nec ſatis partium dolentium naturam perpendentes, dolorem hunc nephriticum putant: Licet enim dolor tunc temporis, ſit è regione ureteris, non ita tamen eſt acutus, quia partes carnoſæ, nervoſis obtuſioris ſunt ſenſus. Præterea dolor partium ſupra lumbos fortaſſe præceſſit, deſcenſus humoris ſignum; aut propulſa pars materiæ, interdum tota, ad partes inferiores, coxas, tibias, & pedes, dolorem in eis inferet, permanentem; vel per modum tranſeuntis, ac ſi gladius infigeretur; Quod certiſſimum ſignum eſt, dolorem lumborum fuiſſe, aut eſſe à fluxione, qui per cauſæ propagationem aliis partibus communicatus eſt. Accedit, ſi alias, nullo in lumbis exiſtente dolore diu incurvatus manens, pronus in terram, ſurgeret cum magna difficultate, quaſi lumbis per medium ſectis; Hoc enim oſtendit humoris alicujus eſſe deſcenſum, per hos muſculos in parva quantitate ſparſi, qui dolorem non valet excitare, niſi in aſſidui motus contentione. Cum autem fluentis humoris eſt perennitas, ſæpe dolor accidit, etiam in aliis partibus, cum humor præterfluit, licet non moveantur. His ſæpiſſime fretus, pluries conſtanter negavi, doloris cauſam, in

Signa fluxionis a capite in lumbos delabentis, & quæ ibi dolorem nephriticum mentitur.

renibus eſſe quærendam, ſed in muſculis lumborum; quod rerum exitus confirmabat. Poſt muſculos externos ſequuntur vertebræ; quæ nullo quidem, ut oſſa, ſunt ſenſu præditæ, niſi mediante qua ſuccinguntur membrana: A propria tamen ſede tantillum recedentes, ictu, caſu, magni oneris levatione, graviſſima invehunt ſymptomata, medullæ ſpinalis, aut nervi alicujus compreſſione; Quæ tria, à fluxionibus pati minime dubitandum. Meſenterii ortus à nervis, & ligamentis harum vertebrarum, acutis tentari poſſe doloribus, nemo negabit, cum ſit nervoſus: Si quis tamen hunc dolorem à nephritico diſtinguere vellet, à doloris perſeverantia ſine intermiſſione, aliis non ſpretis indicantibus deſumendum eſſet, quæ non ſolet eſſe in nephritico, ut infra docebimus; poſtea vero à ſignorum aliorum abſentia, quæ dolorem nephriticum comitari ſolent; utriuſque muſculi pſoæ dolor, carnoſis partibus ſimilis eſt, & eaſdem habet cauſas; ab eis tamen quæ extrinſecus adveniunt teguntur vertebris: Sed affecto pſoa muſculo, neceſſe eſt motum coxæ ad anteriora lædi, cui inſervit, cum aliis duobus muſculis; vena cava, & arteria ejus ſocia, dolebunt à ſanguinis plenitudine, magis tamen in febribus, præcipue ſi earum fomes in eis ſedem habeat. Inteſtina juxta lumbos poſita, & circa ureteres patiuntur tormina, colicos, & iliacos dolores; Patitur etiam ſuos dolores meſenterium cui alligantur. Vaſa ſpermatica, nimia plenitudine, ab uſu veneris præcipue intermiſſo, dolebunt, ut iis qui à tribus, aut quatuor menſibus, uxore orbi facti ſunt. Renes de quibus hic præcipua quæſtio eſt dolore afficiuntur à fluxionibus, ab ulcere, ab inflammatione, à lapide, & abſceſſu; horum tamen dolor acutus non eſt; ut ureterum, difficileque admodum diſtinguitur à dolore muſculorum, & quarumdam partium vicinarum, ſi nulla in urinis cauſæ doloris ſigna appareant, aut ureteres non trahant in conſortium; quia tunc dolor variat, & alterius naturæ exiſtit, parte nervoſa affecta, aut coaffecta: In quibuſdam tamen, dolori nephritico aſſuetis, ex ureterum dilatatione, & perferendi conſuetudine, à renibus ad veſicam lapides etiam magni, ut vidimus, pertranſeunt, cum leviſſimo, & quaſi nullo, ut ajunt, doloris ſenſu: Dolor autem levis lumborum, qui

Variorum dolorum cauſæ in partibus lumborum.

Signa doloris nephritici.

qui pertinet ad muſculos externos; corporis quodam temporis ſpatio incurvatione facta, exaſperatur, dum quis ſurgere nititur; quod non fit dolente rene à lapidibus, & arenulis. Præterea lumbis dolentibus, & aliis partibus vicinis, tactu interdum dolor deprehenditur, ſecundum villos muſculorum ſæpe excurrens, multo renibus inferior. Si dolor ſit à lapide exiſtente renis cavitate, in qua genitus aſſuevit: Dum parvus eſt: nec parti moleſtus, nullum dolorem infert; ſi grandiuſculus, & parti moleſtus, dolor gravans ſentitur: Si autem ad excretionem ſui naturam impellat, ſtatim atque ureterem attingit, graviſſimos excitat dolores, nondum præcipue talibus aſſuetis, quos à colicis doloribus internoſcere principio difficillimum eſt: procedente vero affectu, Medicum ſtudioſum, & rerum uſu peritum aſſequi poſſe non dubitandum, quibuſdam ſignis longa à me experientia confirmatis; Quorum primum deſumitur ex Galeno. lib. vj. de loc. affec. cap. 2. ubi docet, quod accidentia graviora ſunt, & magis urgent dolente colo, quam renibus: De cujus rei veritate dubius ab initio; mirabar videns quamplurimos dolores nephriticos graviſſimos eſſe, quomodo colici graviores eſſent, & magis urgerent. Rerum tamen uſus hoc mihi aperuit; Dolores enim colici, ut ſemel invadunt, aſſidue urgent, nec remittunt, quouſque cauſa ablata, aut mitigata quieſcant; Nephritici autem, quia cauſa lapis eſt, qui diu interdum remanet in corpore, ſemel commotus; iis præcipue qui nondum talia paſſi ſunt, renovantur poſtquam remiſererint dolores, quotieſcumque lapis movetur ad excretionem: ſive hoc fiat eodem die, ſive per longiora intervalla. Lapis enim in renibus genitus, cum amplius perferri nequit, accingit ſe natura ad ejus expulſionem per ureteres, quos cum vel minimum attigerit, atrocem, & colico ſimilem excitat dolorem; iis præcipue qui nihil tale paſſi ſunt, ut jam diximus. Si autem propter loci anguſtiam non petranſiens, in cavitatem renis iterum retrocedat, dolor remittit, quouſque iterum impellatur in ureterem, quem petranſiens acutiores, & minus vagos parit dolores; verum tamen eſt dolores colicos eſſe graviores; Ideſt ex graviſſimis doloribus utriuſque generis, colici ſunt ſemper graviores, & magis aſſidui; licet interdum maxime urgeat dolor

Signa differentiarum inter dolorem nephriticum & colicum.

lor nephriticus, ſed remittit, eodem impetu ſæpe reverſurus, etiam ſi pluribus diebus quieverit; hujus tamen quieti non fidendum, niſi lapis excernatur. Quæ quidem quies triplicis eſt generis. Prima, & non optanda; cum lapis ex introitu ureteris, recedit in cavitatem renis unde movebatur; aut cum lapis plus juſto major, hæret mediis ureteribus, quod rarum eſt; natura ab impulſu continuo, defeſſa feriante, ut videbitur Enarratione 3. ſequenti. Secunda quies, cum lapis in veſicam ingreſſus eſt; tunc autem, non amplius revertitur dolor nephriticus, quamvis alius reſtet perferendus. Tertia omnium eſt optatiſſima, cum lapis ductum mentulæ ingrediens, à lotio foras propellitur: Quod ſemper procurandum iis qui nephritidem paſſi ſunt, ne lapis moram faciens in veſica, grandior factus, exitu deinde prohibeatur. Nihilominus fatendum eſt, ex doloribus nephriticis quoſdam eſſe graviores, quibuſdam colicis doloribus, iis ſcilicet qui prima vice tentantur hujuſmodi doloribus; & quoſdam fere ſimiles: Qualiſcumque tamen fuerit dolor colicus, non ſolet habere, niſi rariſſime, frequentes hujuſmodi reditus: Quod ſi habeat, ſignum partis alicujus male affectæ in propria ſubſtantia, ex qua excrementorum perennitas, aut in ea maximam eſſe intemperiem, aut alicujus fluxionis in ventrem eſſe renovitationem. Secundum ſignum quo nephriticus dolor diſtinguitur à colico, petitur à vomitu, qui etiamſi utrique affectui ſit communis, magis tamen eſt nephritico dolori familiaris & continuus, propter conſenſum ſtomachi, & renum, à membrana communi qua ſuccinguntur, peritoneo ſcilicet: Ideo vacuo ſtomacho, & in principio, & procedente affectu nephritico, urget vomitus, quoties dolor repetit, quamvis loco vomitus ſingultus aliquando accidat: In colico autem dolore, non niſi pleno ſtomacho, & in principio morbi, alias ratitiſſime, aut nunquam. Tertium ſignum quo procedente affectu diſtinguuntur dolores nephritici, à colicis; virium eſt conſideratio, quæ longe magis proſternuntur, ceteris paribus, in colico dolore, quo ſi quis corripiatur, decumbere cogitur, nec valet ſurgere ad deambulandum: Loquor hic de vero colico dolore, in quantum diſtinguitur à torminibus: In nephritico autem dolore, ſurgunt ægro-

Vomitus magis infeſtat laborantes dolore nephritico, quam colico.

Dolor colicus magis proſternit vires, quam nephriticus.

gro-

grotantes, & deambulant: Imo vidi qui incipiente dolore equum conſcendebant, quam celerrime equitantes, donec lapis in veſicam deſcendiſſet: Quod in colico dolore nefas eſſet cogitare: His adde ſi tempore cruciatus, rei cujuſdam ſubito pungentis fiat inſultus in latere, quod fit à lapidis aſperitate ureterem pertranſeuntis. Sunt & alia ſigna apud Authores, quibus etiam dolor nephriticus percipitur, ut eſt coxæ ſtupor ejuſdem lateris, dolor fixus in parte, urinæ difficilis excretio, dolor ad teſticulum excurrens: Quibus omnibus parum fidendum, niſi cuidam ex ſupradictis jungantur: Stupor enim coxæ, quem fieri à nervis lumborum, aut muſculo pſoa, quidam affirmant, & recte, potius quam à vena cava, abeſt ſæpiſſime, dolor tamen erit nephriticus, cui nec etiam difficilis urinæ excretio jungetur. Nam ſæpe vidimus in colico dolore, urinam difficulter emitti, non quidem in inſtrumentis, excretioni urinæ dicatis cauſa exiſtente, ſed defectu compreſſionis muſculorum abdominis, qui ad hoc opus inſerviunt, ut & alvi fœcibus dejiciendis, quæ quidem compreſſio, dolorem colicum augeret: Teſticuli dolor, aut contractio, è regione renis affecti, quandoque adeſt in nephritide, ſæpe non adeſt; & in colico dolore, poteſt accidere, per conſenſum ſcroti cum inteſtinis dolentibus, poſitis præcipue circa os pubis. Quæ ab urinarum inſpectione deſumuntur, incerta quoque ſunt, ſive urina ſit tenuis, ſive craſſa, ſive rubra, ſive ſint arenulæ, ſive non ſint: Tantum fides aliqua adhiberi poſſet, ſi ſanguis à dolore excerneretur cum urinis, ex attritu lapidis in rene, tunc vero ſanguis omnino miſtus eſt cum urina, fruſtulumque lintei in ea immerſum rubeſcit: depoſitaque, ſubſidet ſanguis ſubniger. In principio igitur, cum quis ſcilicet nunquam paſſus eſt dolorem nephriticum, cauſa doloris in ambiguo poſita eſt, an ſit vere dolor colicus, vel nephriticus: Quo magis aliquis doloribus nephriticis eſt aſſuetus: eo minus colicum repræſentant, ſed quoſdam potius dolores, à ſeroſi humoris deſcenſu à capite, per lumbos, & ilia oberrantis: Tunc autem non ita laborant Medici, quia de generatione lapidis frequenti, aut alias facta non dubitatur: At in prima vice, cum nunquam lapis excretus eſt, valde & admodum difficile eſt, propter dolorum

Signa, quæ ex inſpectione urinæ deſumuntur, ſunt incerta.

Lib. 2. de loc. affec. cap. 2.

vehementiam, internoſcere quænam afficiatur: In hoc autem principio, ex doctrina Galeni, ut ſupra diximus cum præſidia utriſque affectus, colici, & nephritici doloris miſta ſint, non multum laborandum, ſed ſtatim incipiendum eſt ab enemate quod inteſtinorum fœces educat, ne renum, aut ureterum compreſſione dolor augeatur, quo rejecto ſequens injiciatur.

Enema antinephriticum.

℞. Folio. mal. alth. fœn. petroſ. abſyn. rutæ, puleg. origa. ana mj. flor. chæm. & mel. ana mß. bacc. lau. ℥ß. ſem. ani. cumi. ana ʒj. fiat ex his decoct. Acc. ℔j. tantum diſſolve in ea diaph. ℥ß. terebinth. ʒij. olei rutacei, & mellis antho. ana ℥ij. fiat enema, quo rejecto fiat fotus ſupra partes dolentes, ex reſiduo decoctionis, & inunctio poſt fotum ex oleo de baccis lauri calido.

Uſus ſemicupii in dolore colico & nephritico.

Ab his ſi dolore non levetur æger, nec adhuc conſtet de natura doloris, ex ſignis ſupra allatis; probata eſt mihi purgatio ante uſum ſemicupii, ſi liceat per dolorem, nec morandum in exhibitione, quacumque hora, dummodo vacuus ſit ſtomachus; ea enim ſæpe cauſa doloris abſcinditur, ſi ſit in inteſtinis: Quamvis autem dolor non omnino abſcederet, felicius reſpondet votis ſemicupium; Dolor enim colicus ſemper miteſcit in eo, & fere ſemper nephriticus, niſi tunc temporis moveatur lapis per ureteres, quod mihi ſignum lapidis ſæpe fuit; Sicut ſi à ſemicupio, & multo magis, poſtquam quieverit dolor, eodem impetu poſtero die, aut eodem, aut tradius revertatur, ut jam ſupra attigimus. Quod cum acciderit, repetito præcipue etiam vomitu, non amplius dubitandum, quin dolor qui infeſtat, ſit nephriticus; Ideoque ad ea ſola quæ hunc affectum reſpiciunt confugiendum, ut ſunt quæ ſequuntur.

℞. Cort. rad. raph. ℥ij. totius alth. mij. folior. mal. pariet. betulæ, ſiſymb. aquat. fœni. petroſ. apii, ana mj. flor. chæmæ. & melil. ana. pij: ſem apij, & petroſ. ana ʒj. ſem. lini ℥ß. fiat ex his enemat. decoc: Acc. ℔j. diſſol. terebinth. ℥ß. olei ſcorp. ℥ij. mellis viol. ℥iij. fiat enema, repetendum quoties videbitur.

Ex decoctionis materia hujus enematis, aucta ſimplicium doſi, fiant inſeſſiones, aut ſemicupia, quibus utatur dolore ſæ-

ſæviente, à cujus egreſſu, ungatur calida regio tota ureteris dolentis, oleo ſcorpionum, aut folia ſiſymbrii parumper tantum fricta, cum pauco dicti olei, calida imponuntur. Et ut omnia bene cedant, capiat ægrotus in ingreſſu ſemicupii potionem aliquam lapidi expellendo, aut comminuendo idoneam. Si tamen ante harum uſum, expediendæ viæ, qua itur ad partem affectam, occaſio arripi poſſit, exhibito ad id purgante, melius erit; ut

℞. Caſſi. recenter extractæ ℥vj. terebinth. ʒij. criſt. tart. ʒj. fiat bolus cum ſaccharo: Si autem ſolidum medicamentum deprecetur æger, diſſolve terebinthinam cum vitello ovi, & miſce cum caſſia, & criſtallo tartari, in aqua graminis, aut decocto urinas movente diſſolutis.

vel

℞. Merc. dulcis gr. xij. & amplius, ſi opus fuerit, capiat cum ſyrupo de radicibus: Si autem aliquo vehiculo ſit opus, in his qui non facile cedunt purgantibus, adde ſcammonii vapore ſulphuris caſtigati gr. iij. aut iiij. pro natura ægrotantis. Poſt hæc

℞. Rad. rapha. parum cont. ℥ij. infun. per aliquot horas in vini albi oligopho. ℥vj. colat. capiat in ingreſſu ſemicupii, cum ſyru. alth. ℥j.

vel

℞. Succ. rad. petroſ. congrua tempeſtate collect. ℥ij. vini albi ℥iij. olei amygda. dulcium, aut ſyrupi de althea ℥j. capiat ut ſupra.

vel

℞. Olei amygd. dulc. ℥ij. ſucc. limo. ʒij. aut iij. prout recens fuerit, capiat ut dictum eſt.

vel

℞. Folior. alth. recen. mj. rad. petroſ. ℥ß. aut folior. pro tempeſtate. mß. fiat. decoct. cum rene vervecino, in quatuor partes diviſo. Acc. ℥vj. ſalis trunco. faba. ſcrup. ß. capiat calide in ingreſſu ſemicupii: Hoc juſculo utendum etiam pluribus diebus, mane tribus horis ante paſtum.

vel

℞. Aquæ ſtillat. fruct. roſar. ſylveſtr. ℥iiij. ſpirit. ſalis nitri,

ſeu petræ gutt. iiij. capiat, præcipue in ingreſſu balnei. Hoc remedium valde eſt efficax in pellendo, & comminuendo lapide.

Multa ſunt in eumdem uſum ſcripta, in ordine remediorum alphabetico, ex quibus quiſque eligere poterit, quæ illi magis accepta videbuntur, ſecundum variam locorum conditionem, & ægrotantium naturam.

Interea jam à principio, & poſt purgationem, certi de natura affectus utendum pro potu ordinario, quidam jubent, vino albo valde deluto aqua, in cujus menſura una pj. ſeminis lini frigide infuderis per noctem, viæ lenientur, & facilius lapis excludetur. Quantum ad externa, uſu recepto fiunt inunctiones ex oleo ſcorpionum; Ego autem accipio folia ſiſymbrii aquatici cum inveniuntur, aut eorum loco folia parietariæ, vel petroſelini; quæ oleo ſcorpionum, aut communi, pro pauperibus, irrorata, friguntur in ſartagine, ut tantum calefiant, nimia enim frixione virtus amittitur, aut valde debilitatur. Imponuntur etiam cucurbitulæ ſine ſcarrificatione paulo infra locum dolentem, cum lapis hæret in uretere, ut in veſicam citius devolvatur, in quam ingreſſo, fit quidem liber ægrotus à doloribus nephriticis, ſed non ab omnibus neque interdum à periculo, niſi omnino foras propellatur lapis extra corpus: Quod ſi moram faciat in veſica, ut ſæpe contingit ſenibus propter excretricis imbecillitatem, multum juvat ad expellendum, aquarum mineralium potus; quæ ſi non ſint in promptu, fiat decoctum ex multo eryngio parum contuſo, quo vinum album tenue diluatur, ex eoque multum bibatur. Foras expulſo lapide, ad prophylaxim omnino incumbendum, ne lapidis iterum fiat concretio: Quod primo perficitur, optima vivendi ratione, vitando nimiam ſatietatem, vinum meracius, lac, caſeum, & omnia glutinoſa, & craſſa, vitam quoque otioſam; maximum enim ſanitatis ſtudium ex Hippocrate, non ſatiari cibis, & eſſe impigrum ad labores: Ego quidem fateor, me nunquam vidiſſe ruſticum, quotidianis laboribus aſſuetum qui Nephritide laboraſſet: Vitæ tamen acurato regimine pauci aſtringuntur, niſi ſe periculoſe ægrotare putent; præcipue tamen capita obſervare non eſt ſpernendum. Ad vitæ modum,

Externa medicamenta antinephritica.

Quæ neceſſaria ad inpediendum lapidis accretionem.

ac-

accedere oportet purgantium uſum per intervalla, quater ad minimum in anno, veris, autumni principio, & in fine, & ante quadrageſimam ex his quæ antea propoſuimus, vel ex fortioribus, craſſum phlegma educentibus, etiam in forma pilularum. Inter autem prophylactica, uti ſuo tempore potu aquarum mineralium, præcipue acidularum, nihil præſtantius. Hoc genus auxilii, non tantum prodeſt abluendo, ſed etiam calorem renum temperando, ne valeant phlegma cum arenulis in lapidem obdurare. Utrum autem ad prophylaxim venæ ſectione ſit utendum, non ſunt conſulendi hæmatophobi; ratione tamen plethoræ, corruptionis, & ut viſcerum calor, ſi adſit, temperetur, adminiſtranda, præcipue vere: In curatione vero, ratione revulſionis, concedenda è vena cubiti, ne confluant humores ad partem dolentem; non autem ratione lapidis, multoque minus è ſaphena: Quid enim faciat venæ ſectio malleoli, ad deturbandum lapidem, non video; Quaſi vero ſit fluidus, ut inſtar humorum feratur deorſum. Ego certe valde inutilem exiſtimo hujuſmodi venæ ſectionem, quibuſcumque rationibus allatis ut probetur.

Aquæ minerales conducunt nephriticis.

PROGNOSTICA.

Renum vitia in valde ſenibus difficulter ſanantur Hippo. apho. vi. ſect. 6.

Renum dolor repente obortus, cum urina ſuppreſſa; lapillos, aut craſſam urinam meïendo reddendam oſtendit. Hippo. in coac. 45. lib. 4. ſeu tracta. 4.

In renibus dolor acutus fit motu lapidis; gravis cum manet immotus, ſoletque eſſe tranſitus ab uno dolore ad alium.

Ren quibus ſocius languidus effœtus, & marcidus; Iis in ſæva nephritide urina ſupprimitur. Duret. ſupra coac. 45. cap. 3. tract. 4.

A lapidibus via ureteris utrinque occluſa, fit interdum incurabilis urinæ ſuppreſſio.

Si lapis in renibus genitus non expellatur, grandeſcit, & procedente tempore ren tumet, & diſrumpitur.

In nephritide, ſenſus ſubito rei pungentis, ut aculei, in regione ureteris, ſignum calculi hac parte impulſi, certiſſimum.

Sedato dolore nephritico, ſi lapis ſaltem in veſicam non deſcenderit, ſolet reverti.

Cum quis prima vice doloribus nephriticis afficitur, ſæviſſimis cruciatur doloribus, licet parvus ſit lapis, multoque magis ſi aſper.

Aliis autem vicibus non item, niſi lapis ſit grandior ſolito, & ad hoc aſper.

Ex ſæviſſimis cruciatibus nephriticis, non pereunt ægroti, ut ex colico dolore, niſi mors aliunde accidat.

Accidentia graviora ſunt, & magis urgent dolente colo, quam renibus. Gale. lib. 6. de loc. affec. cap. 2.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Duo lapides poſt mortem in renibus inventi.

Mulier quædam Pariſiis, per 14. annos renum dolore vexata, tandem moritur: Pluribus Medicis, Chirurgis, & me, præſentibus, diſſecto cadavere, renes ambo inventi ſunt pugni magnitudine, aut circiter. In uno lapis magnæ nucis juglandis magnitudinis, ſed oblongior; in renis alveolo exiſtens; In alio lapis erat in carne renis, eadem fere magnitudine, qui pedetentim creſcens, renem variis in locis diruperat, totuſque erat purulentus, quod in altero, in renis alveolo genito, non contigerat.

OBSERVATIO II.

Mors a punctura perinei, & Iſchuria notha.

Sacerdos quidam doloribus nephriticis obnoxius, à quibus pluries lapillos ejecerat, incidit tandem in iſchuriam, quam quinque diebus paſſus, delatus eſt in urbem, ut Chirurgi, Medicus ordinarius, & ego aliquid pro ſalute ægrotantis decerneremus: Omnibus rite perpenſis, orta eſt contentio inter Medicum ordinarium, & me: Illo affirmante ſuppreſſionis cauſam eſſe in veſica, præ corporis autem pinguedine non poſſe agnoſci; Ego vero negabam, eo quod in regione veſicæ nullus eſſet tumor, nec compreſſa doleret: Quæ duo in vera iſchuria ſex, aut 5. dierum ſemper adſunt: Ideo urinam in veſicam non deſcendere viis præcluſis. Cum autem Medicus ille ordinarius vir eſſet magni nominis, eloquentia potius quam doctrina clarus,

rus, voluit ſibi fidem adhiberi, omnibuſque Chirurgis in ejus ſententiam abeuntibus, quidam ignorantia, alii vero voluntatis alienæ obſequio, me diſrumpente, juſſit perforari collum veſicæ uſque ad ipſam veſicam, eoque modo lethale vulnus infligere, etiam ſi iſchuria per ſe non fuiſſet lethalis: Sed à rei eventu pœnas experiente, vindicatus ſum; neque enim à vulnere quidquam exivit urinæ; neque poſt tres dies mortuo ſacerdote, & cadavere ejus diſſecto, urina inventa eſt in veſica, iſchuriæ cauſa exiſtente in renibus; quorum dexter non amplius renis ſpeciem referebat, ſed corporis cartilaginoſi, & fiſtuloſi multis anfractibus diſtincti, urinæ plenis, nec via ab eo erat ad veſicam. Alter vero, ſanus quidem; ſed in ejus alveolo lapilli, & unus in introitu ureteris, urinæ viam omnino præcludens, unde iſchuria, & mors.

OBSERVATIO III.

Lapis in uretere, primo decimo-quinto die, deinde octavo dolores ciens.

Vir quidam nobilis 45. annorum multoties nephritide tentatus, & pluries lapidibus ejectis; Tandem dolore nephritico ſimili vexatus, nullum ejecit lapidem; Dolor poſt quindecim dies reverſus eſt, nullo exeunte lapide, quod per ſex menſes duravit; in ultimis tamen menſibus, non quindecimo quoque die torquebatur, ſed octavo quoque die. Pluribus Medicis, Chirurgis, & deſperatorum morborum curatoribus vocatis, cauſa doloris manſit incognita, eo quod nullus, à tot doloribus, quos æger paſſus erat, lapis ejectus eſſet. Cum autem vocatus eſſem in oppidum, ejus matris curandæ gratia, eodem dolore correptus eſt; tranſiens ego per cubiculum, ultro perconatus ſum ab ipſo, quid rei eſſet, & quonam affectu torqueretur; colico, reſpondit, me affici dolore omnes fere affirmant: Abſtruſæ affectionis agnoſcendæ avidus, videns in ipſo cruciatu, omnia, quæ ſupra de ſignis lapidis docuimus, magnos præcipue, & frequentes vomendi conatus, nihil exiſtente in ſtomacho, & ipſo jejuno ægrotante, ſciens quoque illum doloribus nephriticis obnoxium, multoſque lapillos à ſimilibus doloribus ejeciſſe, cepi omnia perpendere: Primo locum doloris incipientis, qui lumbis altior videbatur; tamen cum alias dolore nephritico torqueretur, ſe ea parte dolere affirmaſſet, nihil

mihi

mihi ex ſitu doloris perſuadere auſus ſum. Perpendi ſecundo, inter cetera, quod infeſtante dolore, ſi lotium emitteret, ipſo levaretur, ex quo affirmavi doloris cauſam, eſſe in via per quam feruntur urinæ; Sed quomodo hoc fieret, nondum mihi conſtabat: Dubitabam quidem lapidem hærere in uretere; ſed quomodo poſſet lapis, hic tam longo tempore detineri, ut primis menſibus, per 15. dies liber eſſet à doloribus, poſtea vero per octo dies tantum, ſolita munia tunc temporis obire valens, quouſque eodem impetu dolor reverteretur. Tandem ex illo recurſu doloris per longa intervalla; Ex magnis vomendi conatibus vacuo ſtomacho, quoties eum dolor adoriretur; Ex doloris ceſſatione emiſſa urina; Et quod dolor ſimilis eſſet nephritico, quo alias torquebatur, ſtatui doloris cauſam eſſe à lapide, quem in uretere detineri, ſi quis eſſet, affirmabam: unum tantum erat dubium; an lapide medio in uretere detento, poſſet quis per octo dies, & quindecim, liber eſſe à doloribus, ſolitaque munia obire: Hoc certe vix mihi perſuadere poteram; rei tamen eventus hoc confirmavit, ut mox dicetur. Interea per diem unum aut alterum, quibus ibi immoratus ſum, aliqua dolori nephritico leniendo idonea præſcripſimus, quæ cauſa doloris intus ſemper permanente, nihil profuerunt; ſicut nec multa alia quæ in poſterum ſunt adhibita. Tandem poſt duos menſes, aut circiter, vi naturæ protruſus eſt lapis in veſicam, deinde in mentulam, cujus in extremo reſtitit, præ magnitudine non valens pertranſire, quouſque facta inciſione, Chirurgi manu extraheretur. Tunc didici lapidem in ureteribus poſſe detineri per plures menſes, & octo dierum, & quindecim ſpatio, nullum excitare dolorem, natura feriante ab impulſione, & aſſueſcente lapidi. Tunc agnovi quomodo emiſſa urina dolor quieſceret; motu ſcilicet corporis, & variis contorſionibus in dolore, mutato ſitu lapidis, viam antea urinæ præcludentis, unde diſtentio fiebat in uretere à lapide uſque ad renem. Tunc non miratus ſum, cur dolor, ſimilis eſſet aliis doloribus nephriticis, licet altior videretur. De nulla denique cauſa variorum ſymptomatum dubitavimus.

OB-

OBSERVATIO IV.

Vir quidam nobilis, qui à doloribus nephriticis ſæpe lapillos ejecerat; cum ab inſigni cruciatu nephritico nullum ejeciſſet, nihilque ſibi timeret: Ego vero ſimulato diſcrimine, in quo verſabatur, ne ſcilicet lapis aliquis grandior fieret, exituque prohiberetur; conſului ut quocumque modo potu aquarum mineralium, quæ erant in promptu, uteretur; quorum beneficio, duodecim diebus, à dolore prægreſſo, magnum lapidem ejecit, cum pluribus parvis: quibus in veſica remanentibus, ut fere fit in ſenibus, majoribusque factis, non liberatus eſſet ægrotus ſenex, ſine lithotomiæ periculo. Ex qua colligendum eſt, ut ſi quis dolorem nephriticum patiatur, à quo poſtea lapidem non ejiciat, quacumque arte procurandum, ut lapis in veſica moram faciens, omnino foras propellatur: alioqui, poſt ingentes cruciatus, ſequetur mors progreſſu temporis, niſi quis ſubire velit periculum lithotomiæ.

Magnus lapis, cum aliquot parvis ejectus, poſt potum aquarum mineralium.

OBSERVATIO V.

Vir quidam nobilis Baro, ætate 40. annorum, incidit in colicum dolorem, quem per annum pluribus vicibus perpeſſus, tandem ejecit lapillum. Neſcio utrum in principio colicus vere eſſet iſte dolor, an nephriticus: creditu enim difficile eſt, lapidem per annum in renibus ſine accretione permanſiſſe, & ſemper eadem magnitudine exiſtente, poſt annum tandem foras expulſum. Quocumque autem modo res ſe habuerit, vixit in poſterum doloribus nephriticis obnoxius, per intervalla lapillos ejiciens, quouſque ſeni facto 58. annorum immutaretur affectus; correptus eſt enim quibuſdam doloribus nephriticis ſimilibus cum ſingultu, & quadam febri, lecto ut plurimum decumbens: Apud ipſum duobus, aut tribus diebus immoratus, adhibitis quibuſdam auxiliis, & præſcriptis adhibendis, petii veniam diſcedendi, rogans ut ſi lapidem aliquem ejiceret, mihi renuntiaret, quod ipſe præſtitit, monens per nuntium, ſe tandem lapillum ejeciſſe, & ſanatum fuiſſe; Quod obſervatione dignum hic apponere volui, ut ſciamus fieri interdum ſingultum in nephritico dolore, loco vomitus.

Singultus a dolore nephritico.

OBSERVATIO VI.

Abſceſſus in rene ſiniſtro, varia producens ſymptomata.

Quidam civis ex præcipuis hujus urbis, doloribus nephriticis à pluribus annis obnoxius, tandem ſenior factus incidit in maximum cibi faſtidium cum quotidiano vomitu, horis præcipue matutinis, virium imbecillitate, faciei pallore, interdum cum febri, obambulans, modo in lecto decumbens. Cum nullus eſſet dolor, ut ipſe affirmabat in regione renum, ſuſpicabar cibi faſtidium, & vomitum, eſſe ab aliquo humore, per noctem à capite in ſtomachum deſcendente; Ideo conſului ut ſyrupo meo magiſtrali uteretur, quo accepto parum levatus eſt vomitu, & cibi faſtidio: Sed poſtea redeuntibus in eundem ſtatum, aliud quærebat auxilium; cui ut placerem, juſſi ut ſumeret. ʒß. pilularum de hiera: Conceſſi etiam ut ptiſana ex foliis ſennæ uteretur; quibus modo meliuſcule, modo male ſe habens per aliquot menſes, ejecit tandem lapidem è renibus, leviſſimo cum labore, melius habuit, vires recuperans, cibos appetens, & faciei colore, ut per ſanitatem ſimili ſui. Mirabar ego, quomodo lapis ille, nullum dolorem efficiens, cauſa vomitus, & aliorum ſymptomatum extitiſſet; alia tamen cum non eſſet evidentior, viſo lapide, coactus ſum in hanc ſententiam abire. Traducto autumno, & hyeme, ſatis bene valens, incidit in eumdem affectum, verum deteriorem, magis urgente vomitu, cum ingenti cibi faſtidio, paulatimque ſpatio duorum menſium deficientibus viribus, ſine ullo renum dolore, extinctus eſt. Propter frequentem vomitum nullis cedentem remediis, affirmabam filio ægrotantis, aliquid in renibus ſubeſſe, illique conſulebam, ut mortuo patre, ejus cadaver diſſecaretur, nos certiſſime in renibus, omnium ſymptomatum cauſam inventuros aſſerens, quod ita contigit; diſſecto enim cadavere, ren ſiniſter duplo major inventus eſt, duabus membranis ſuccinctus; prima quidam valde craſſâ, cultri à tergo æquante ſpiſſitudinem; altera minus, quibus ægre ſeparatis, ren apparuit tumefactus, & mollis abſceſſus præ ſe ferens ſpeciem, inciſus enim ſcalpro Chirurgico, reddidit purulentam materiam ſimilem amurcæ; quod omnium ſymptomatum, & mortis cauſam extitiſſe nemo dubitavit, licet in alio rene lapis inventus eſſet, qui quidem ren, ſanus in

aliis

aliis omibus erat : Miratus autem quomodo per totum morbi decurſum, non eſſet conqueſtus de dolore renum, ſaltem in principio, & quod in urinis nulla ſigna apparuiſſent abſceſſus.

De Lapide veſicæ.

CAPUT. X.

De lapide veſicæ ſermonem faciam hoc capite, non ut curationem doceam, per cauſæ ablationem, cum omnium antiquorum ſententia, & omnium fere Neotericorum, nullis frangi poſſit remediis; ſed ut oſtendam, quibus præſertim ſignis, in ea exiſtens, agnoſcatur; ne quis alium ratus affectum, fruſtra laboret in curando, poſtea vero inſcitiæ inſimuletur. Num ideo negandum eſt, aliquid in rerum natura exiſtere, quod lapidem in veſica frangere poſſit? Minime; cuilibet enim affectui, ut alias diximus, non denegavit Deus omnipotens ſuam antidotum; licet interdum maneat diu incognita, quæ vel caſu, vel ſtudio, & labore inventa, prodit in lucem. Memini alias me legiſſe apud Evonimum, frangendo lapidi in veſica arcanum, à quodam Germano eſſe inventum, quod per catetherem immiſſum in veſicam, id præſtabat; ſed nuper, ut ipſe ait, morte illius amiſſum, quod nemini communicare voluiſſet. Sennertus cap. de calculo veſicæ, narrat de quodam Medico, qui pluribus tentatis remediis, ſe tandem à calculo veſicæ liberavit; quod etiam deſcribit Riverius, in ſua praxi, ſicut & alias duas hiſtorias, ex Horatio Augenio, de lapide veſicæ diſſoluto, pulvere millepedum, cum aqua vitæ exhibito. Vide ad hoc commentaria Hartmanni, ſupra Baſilicam chymicam Crollii. tit. Nephriticum, quo in loco deſcribit præparationem oniſcorum, ſeu millepedum, & quomodo his utendum, & quid in eorum uſu obſervandum. Quamdam etiam deſcribit Riverius loco citato, oniſcorum præparationem, quæ in aliquibus accedit ad illam Hartmanni; ex quibus omnibus facilior eligi poterit, dummodo ſit viribus æqualis. Anno quoque 1658. civis quidam hujus urbis rediens Pariſiis, quo diſceſſerat curandus ab ulcere gutturis, à quo uvulam amiſerat,

Lapis veſicæ an ullis remediis frangi poteſt?

Millepedes adhibentur ad lapidis diſſolutionem in veſica.

retulit mihi, hoc tempore hominem veniſſe Pariſios, arcano frangendi lapidem in veſica inſtructum, qui per invidiam, à quodam Medico vocatus ad cœnam, glande catapultaria ictus in fronte, è feneſtra domus è regione ædificatæ, perierat cum ſuo arcano, ſequentibus ſeculis deplorando. Vellem tamen in omnibus, in quibus lapis in veſica exiſtere creditur, ut bolide Chirurgica intromiſſa, ſonus lapidis exaudiretur ante remediorum exhibitionem, ne à deceptoribus improbis, ut multis accidit, imponeretur mihi. Si tamen lapis in veſica frangi poteſt, ſecurior quidem via eſſet, per mentulam injectis in veſicam; liquorem tamen oporteret invenire, qui frangendo lapidem, parceret veſicæ, quemadmodum hydrargyrum, quod metalla corrodit, pixides tamen ligneas, & avium calamos quibus includitur intacta relinquit. Alia via eorum, quæ ad frangendum lapidem per os ſumuntur, non eſt ita longa ut credidit antiquitas, & multi recentiores Anatomici: Quidquid bibitur non ſubit inteſtina, & jecur, alia eſt via brevior ad renes, & veſicam, ut cap. de Hydrope diximus ex Bartholino. Duretus tamen in coacis, ſcribit temerariam eſſe omnem medicinam, peſtiferam, & ſæpe mortiferam, quæ frangendo veſicæ calculo adhibetur: cui profuit, vidiſſe neminem, multos autem quibus exitio fuit. Non oportet tamen in ſententia animum obfirmare, nec rem aliquam pertinacius tueri: Multa enim præteritis ſeculis incognita fuere, quæ noſtro innotuerunt: Sumus, ut ait Guido, ſicut infantes in collo gignantis, videmus quidquid gigas videt, & paulo amplius; unde homines ad cogitandum fiunt acutiores: Vidi chymica explodi; nunc ab omnibus recipiuntur: Quippe ſi medicina eſt, uti eſſe credendum, quæ lapidem frangere poſſit in veſica, inter chymica potius, quam inter galenica reperietur. At quomodocumque res ſe habuerit, inveſtigandum quibus ſignis, certo deprehendere valeamus, lapidem ſubeſſe in veſica. Hippocrates 4. de morb. ait quinque ſigna hunc morbum habere, ad ſui cognitionem. Primo dolorem affligere cum quis meïere cupit: Secundo urinam paulatim fluere, ut in ſtranguria: Tertio urinam eſſe ſubcruentam, ſi à lapide exulceretur collum veſicæ. Quarto ſummam præputii partem hoc confirmare: Quinto arenoſa quandoque meii.

Securior via eſt frangendi lapidem medicamentis injectis in veſicam per uretram, quam remediis ore aſſumptis.

Si detur medicina pollhens vi frangidi lapidem, potius inter Chymica, quam Galenica quærenda.

Quæ

Quæ omnia à Celſo ſic illuſtrantur. Difficulter urina redditur? maximeque circa finem mictionis; paulatimque interdum ſine voluntate deſtillat; eadem arenoſa eſt; nonnunquam ſanguis, aut cruentum, aut purulentum aliquid cum ea excernitur, eamque quidam promptius recti, quidam reſupinati, maximeque hi qui grandes habent calculos; quidam etiam inclinati reddunt; colemque extendendo dolorem leniunt; gravitatis quoque cujuſdam in ea parte ſenſus eſt, atque ea curſu, omnique motu augetur: Quidam etiam cum torquentur, pedes inter ſe, ſubinde mutatis vicibus implicant; Feminæ vero oras naturalium ſuorum manibus ſcalpere crebro coguntur. Duretus ſupra coacas de morbis veſicæ, hæc ſigna ſyllogiſtica obſervaſſe ſcribit: Crebra meïendi cupiditas, cum difficultate maxima in mictione extrema; cum urina lactea, crebro etiam diverſis coloribus variegata. Horum omnium ſignorum conſideratio, dum peritus ad hoc non eſt Chirurgus, ut introducta bolide ſua, lapis inveniatur; plurimum valet ad cognoſcendum, utrum lapis ſit in veſica; non ſunt tamen omnia ſyllogiſtica, ſeu concludentia, nec fidendum niſi plurima concurrant, quamvis ſubita, & diu perſeverans ſtranguria, cum dolore acuto, in fine præſertim mictionis, unum ſit ex ſignis præcipuis; multis enim, nullo ſe ante ſigno manifeſtante lapide, hujuſmodi dyſſuria ſtrangurioſa detexit; poteſt tamen eſſe ſine lapide, ut videbitur in Enarrationibus. At quia novum multis fortaſſe videbitur, me dyſuriam quamdam vocare ſtrangurioſam; ſicut & ſtranguriam quamdam dyſurioſam: Dicam Neotericorum ſententias, de horum vocabulorum explanatione, nec inter ſe, nec cum Antiquorum ſententiis convenientes, me ad hoc impuliſſe, ut clarioris doctrinæ gratia, ſtranguriæ dyſurioſæ, & dyſuriæ ſtranguurioſæ uterer nominibus, prout vel ſtillicidium urinæ, quæ ſtranguria eſt, vel dolor & labor in meïendo prævalet qui dyſuria eſt: Neque novum hoc commentum eſt, ut patet ex ſcholia cap. de diffic. meïendi Hollerii, in qua Jacotius, & Burgenſis negant adverſus quoſdam eſſe recurrendum ad harum duarum affectionum miſtionem, niſi Hippocratis, & Galeni ſcriptis, ut ajunt, multo majorem confuſionem inducere velimus; Sed in hoc falluntur apertiſſime: Nam ſi ex Galeno,

Coac. 5. cap. 22. lib. 2.

Dyſuria ſtranguurioſa ſæpe detexit lapidem veſicæ.

 plu-

pluribus in locis; præcipue autem apho. 48. ſect. 7. ubi prolixiorem de ſtranguria, & dyſuria ſermonem facit, ſtranguria fit, ut nomen oſtendit, cum urina guttatim redditur; dyſuria vero, tum quæ cum dolore fit mictio, tum quæ cum difficultate aliqua, ita ut ægre agat veſica, munuſque ſuum obeat: Quis negabit cum aliquis meit cum dolore, aut aliqua difficultate, affectum eſſe dyſuriam; cum autem quis guttatim urinam reddit, affectum eſſe ſtranguriam: Ideoque ſi guttatim urina reddatur cum dolore, aut labore, quod ut plurimum fit, affectum eſſe mixtum. His certe definitionibus, aperte oſtendit Galenus dyſuriam eſſe cum quis meit cum dolore, aut cum quadam difficultate; ſtranguriam vero, cum quis guttatim meit tantum: Unde ſubit mirari cur Jacotius, & ejus ſocius, quoſdam arguant, qui ſuo tempore commentaria ſupra aphoriſmos ediderant, in Galenum invecti tamquam tenebras offundentem, dicentes in dyſuria ſemper dolorem fieri, ut in dyſenteria, nunquam in ſtranguria, ſicque hac ſola differentia, dyſuriam differre a ſtranguria; ſive guttatim emittatur, ſive contra: Quod nos idipſum probare contendimus, ſine animo inſectationis contra Galenum, tanquam tenebras offundentem: Nullibi enim, quod ſciam, affirmat Galenus, multo minus Hippocrates, ſimplicem ſtranguriam eſſe cum dolore. Quod ſi in commentario aphoriſmi ſupradicti, inter cauſas ſtranguriæ, enumeret Galenus mordacitatem urinæ, quæ dolorem excitat, ſi naturæ modum excedat: Dicimus mordacitatem utriuſque affectus cauſam eſſe, primario tamen dyſuriæ, deinde ſtranguriæ. Si autem quæ poſtea à Galeno ſcribuntur de cauſis dyſuriæ legantur, multæ invenientur, quæ ſtranguriæ etiam cauſæ ſunt ut phlegmone, abſceſſus, & ulceratio; affectus itaque miſceri, ſicut & cauſas. Quod ex Paulo Ægineta etiam comprobatur, qui lib. 3. cap. 45. dyſuriam, & ſtranguriam, uno titulo comprehendit, ambabus eaſdem cauſas, & eamdem curationem ſtatuens: Quamvis autem Ætius terrab. 3. ſermo. 3. cap. 19. ſcribat, ſtranguriam eſſe, cum urina paulatim, & guttatim ſtillat, & aſſiduam ad meïendum facit irritationem; irritatio hæc, eſt ſine dolore, ſi ſimplex ſit ſtranguria, & pro cupiditate ſumitur, ut planum fit ex Hollerio, qui cap. de diffic. meïendi, ait

Differentia dyſuriæ a ſtranguria.

ait dyſuriam eſſe meïendi libidinem, ſed ægre, & vi quadam, aliquando etiam cum dolore urinam excerni; ſtranguriam vero aſſiduam meïendi cupiditatem, ſed urinam guttatim effluere. Ex quo colligitur, ſicut ex Galeno, & aliis antiquis, utrumque affectum meïendi eſſe cupiditatem; ſed in dyſuria cum dolore, aut conatu laborioſo urinam emitti; In ſtranguria vero, urinam guttatim effluere ſine dolore; aut conatu laborioſo; ita ut ſi ſtranguriæ dolor, aut labor acceſſerit, affectum eſſe mixtum: Ex his etiam quæ dicta ſunt, præcipue ex paulo Ægineta, exiſtimaverim ab antiquis, ſtranguriam poni ſæpiſſime pro dyſuria, etiam ab ipſo Hippocrate 1. Epide. Ut colligitur ex Galeno in 2. commen. qui ſtranguriam quam Thaſiis accidiſſe inquit Hippocrates, urinarum vocat difficultates Interpres. Quia ut Paulo poſt ſcribit Galenus, in ipſo urinarum tranſitu, laborioſe habebant Thaſii: cum autem urinæ difficultas laborioſa, ex ipſo Galeno ſit dyſuria, ut ipſe docet in commento aphoriſmi ſupradicti, ſequitur ſtranguriam Thaſiorum fuiſſe potius dyſuriam, nec urinam guttatim, aut parum, & brevibus intervallis effluxiſſe, ut fit in vera ſtranguria, ſed qualibet vice urinæ quantitatem notatu dignam excretam fuiſſe, cum multos, ut ait Hippocrates, in maximis periculis poſitos, liberaſſet ſtranguria illa ſic vocata, quod optimæ criſis eſt effectus, nihil autem paucum criticum. Quod autem à quibuſdam Neotericis negatur, ab aliis vero affirmatur, dyſuriam ab ſtranguria differre; quod in dyſuria, expectet veſica tempus excernendi urinam, & aliquando plus quam par ſit: Non eſt omnino ad literam accipiendum. Verum quidem eſt in ſtranguria; urinam brevibus intervallis, & guttatim emitti; in dyſuria vero, non ita brevibus intervallis, nec gutatim, interdum longioribus, ſecundum cauſarum varietatem. At in dyſuria, veſicam expectare tempus excernendi ſolitum, falſum eſt in cauſis dyſuriæ dolorificis; iis enim irritata natura, non expectat tempus excernendi: Non quidem ut fiat ſtranguria, niſi cauſæ irritantes admodum angeantur; Sed ut certam quamdam urinæ quantitatem toleret natura, minorem tamen quam antea: Quo autem acrior evadet urina; eo brevius erit excernendi tempus, ita ut fiat interdum dyſuria ſtrangurioſa. In aliis vero cauſis quæ dolo-

Fieri interdum dyſuriam ſtrangurioſam.

lo-

lorem non inferunt, ut in ſenſu obtuſo veſicæ poteſt illa ſolitum mictionis tempus expectare,, & amplius. Eodem modo differendum de cauſis dyſuriæ, quas Duretus, & Sennertus, ajunt differere ſecundum magis, & minus, à cauſis iſchuriæ, quod falſum eſt, ſi de omnibus cauſis intelligatur: Habet quidem dyſuria quaſdam cauſas communes cum iſchuria, quaſdam vero cum ſtranguria, quæ auctæ, vel illum, vel hunc invehunt affectum. v. g. ſenſus obtuſus veſicæ, & caruncula penis, quæ dyſuriam faciunt, ſi augeantur fiet tranſitus in iſchuriam; Acrimonia vero urinæ, quæ una eſt ex cauſis dyſuriæ, ſi augeatur; ſtranguriam invehet, nunquam iſchuriam. Multi multa ſcribunt Neoterici, de horum vocabulorum propria acceptione, qui ſi in uno conveniunt, in alio diſcrepant, præcipue autem ab antiquorum ſententia, præter Hollerium, ut ſupra oſtendimus: Quorum omnium, ſi quis diſſidentes opiniones ſcire velit, legat N. Piſonem lib. de cognoſc. morb. & curan. cap. de ſtrang. & cap. de dyſu. Legat. ſcholium cap. de diffic. meïendi Hollerii. Legat Duretum in adverſariis ſupra Hollerium, & coac. 7. cap. xxij. Legat Sennertum lib. 2. inſtit. par. 3. ſect. 1. cap. 4. de ſymptom. facul. natu. & de cauſ. ſymptom. fac. natu. ſect. 2. cap. 1. ejuſdem lib. & partis. Riverium lib. 8. cap. 8. prax. med. in quibus varias, & diſſidentes ſententias animadvertet, quas recenſere non eſt hic locus; nimium enim, & plus quam par eſt, digreſſa eſt in hac re oratio noſtra: Redeat igitur ad perſequenda ſigna, quibus lapis in veſica exiſtens detegitur, inter quæ ſubita, & diu perſeverans dyſuria cum dolore acuto, ſive ſimplex, ſive ſtrangurioſa in fine præcipue mictionis; dicebatur unum eſſe ex ſignis præcipuis; Si enim ſtranguriæ *dus* jungatur quod apud Græcos, infeliciter, male, & ægre ſignificat in compoſitione; cum in dyſuria ægre reddatur urina, ſtranguria in qua ægre reddetur, non poteſt eſſe ſine dyſuria. Sed licet ſtillatim, aut parum, & brevibus intervallis, licet alio modo emittatur urina, ſi gravi hoc fiat cum dolore, valde ſuſpicandum lapidem ſubeſſe in veſica, quod confirmabitur, ſi talis meïendi difficultas diu perſeveret. v. gr. per menſes aliquot; quo enim magis perſeveraverit, eo ſignum certius erit: Ulcus tamen in collo veſicæ poteſt no-

[Margin notes: Lib. 2. — Signa lapidis veſicæ.]

nobis imponere: Sed dolor non ita ſævit cum lapis non adeſt, niſi eſſet maxima urinæ acrimonia, quæ remediis adhibitis poteſt demulceri, lapidis vero cruciatus, nullis, quia gignuntur ex irrito naturæ conatu, quam lapis urget perpetuo, ad ſui expulſionem, præcipue cum urina redditur, & in fine mictionis, poſtquam maxima fit contentio, remanente ſemper lapide. Maxima urinæ acrimonia ſi diu perſeveret, cum atroci dyſuria, ancipites faciet Medici cogitationes. Si tamen cum ejuſmodi dyſuria, reſideat in fundo matulæ, quantitas pituitæ glutinoſæ non ſpernenda; poſtquam urina per diem quieverit, certiſſimum eſt lapidis argumentum. Ad hæc ſi frequenter mentulam petractet ægrotus, & cum meïere incipit, ſit etiam deſidendi cupiditas: Si iſchuria ſæpe accidat cum maximo dolore, quando ſcilicet lapis collum veſicæ occludit, jam grandior ad exitum ineptus: In quo ſigno falluntur multi exiſtimantes lapidem in veſica exiſtere non poſſe, quin fiat interdum iſchuria, quam in pluribus nunquam factam eſſe, comprobavit experientia, etiam per multos annos laborantibus: Quare æſtimandæ ſunt ſignorum vires: Quædam enim ſemper ad ſunt, ut dyſuria ſtrangurioſa, cum atroci dolore petrinax, & quandoque iſchurioſa: Quædam lapidem ſemper adeſſe ſignificant: Sed non ſemper adſunt cum lapide, ut magna quantitas pituitæ, quam viſcidam vocant, juncta tamen cum urinæ difficultate doloroſa, & interdum iſchurioſa. Non eſt etiam affirmandum, lapidem ſubeſſe in veſica ex deſidendi cupiditate, cum quis meit, præcipue in ſenibus, niſi alia ſigna jungantur: Sed hæc omnia magis patebunt in Enarrationibus.

PROGNOSTICA.

Veſicæ vitia in valde ſenibus, difficulter ſanantur: ex Hippocrate aph. *6.* ſect. *6.*

Calculum veſicæ ſæpe detegit, inopinata urinæ difficultas.

Calculi veſicæ dolores, licet intolerabiles, diu tamen trahunt, per multos ſcilicet annos: fractis demum viribus, & veſica magnitudine lapidis attrita, mors ſequitur ni urinæ facta ſuppreſſione maturius tollantur ægrotantes.

Calculi veſicæ tormentum, poſtquam quievit, repetit.

Calculi veſicæ dolores internarum hæmorrhoïdum dolores repræſentant, multo tamen ſunt atrociores, & frequentiores.

In quibuſdam ægrotis, nunquam in calculo veſicæ fit urinæ ſuppreſſio, quæ iſchuria dicitur.

Infantes calculo veſicæ frequentius tentantur quam adulti, propter ingluviem, & facilius ſanantur: ſenes vero quo magis decrepiti, eo difficilius.

Feminæ rarius quam maſculi, veſicæ calculo laborant, propter viæ brevitatem, veſica ſe expurgánte, & menſtruorum beneficio.

Lapis veſicæ morbus eſt hereditarius.

In viris, præcipue autem ſenioribus, veſicæ calculus, à renibus ſæpiſſime principium habet, moram faciens in veſica, poſt nephritidem.

Ex calculo veſicæ ſemper impendet periculum, quocumque modo res ſe habuerit.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

Observatio Prima.

Lapis veſicæ multos acerbiſſimos cauſans dolores, per annos quatuordecim, abſque ulla urinæ ſuppreſſione.

Vir quidam Maſſiliæ, per quatuordecim annos calculo veſicæ laborans, nunquam ſæviſſimis doloribus ſedandis, remedium invenit, eo quod in ſolam urinæ acrimoniam, doloris cauſa referebatur; neque unquam venit in mentem curantium, & conſultantium, toto morbi decurſu, lapidem ſubeſſe in veſica, in tam diro, & pertinaci cruciatu; eo quod nunquam fieret urinæ ſuppreſſio. Tandem brevioribus intervallis repetentibus cruciatibus, & ægri rebus in pejus ruentibus, concluſum eſt in ultima conſultatione, lapidem ſubeſſe in veſica, ſed tardius; intra enim triduum mortuus eſt. Diſſecto cadavere, inventus eſt calculus in veſica, lunæ cornutæ figura; ſuperiori cornu adhærens veſicæ, paulo ſupra collum ipſius; Inferiori vero prope attingens, ideo ut putatum eſt, nunquam facta fuerat pet tot annos iſchuria. Huic ægroto mucoſa in urinis ſubſidebant, quæ effuſa urina, hærebant matulæ inverſæ, duorum palmorum longitudine ſuſpenſa. Cum etiam per urbem

bem incederet, vidi ambulantem divaricatis cruribus, quod magni lapidis ſignum eſt, ut confirmabitur ſequenti Enarratione.

OBSERVATIO II.

Medicus quidam hujus urbis, petens quoddam oppidum, inviſendi ægroti cauſa, coactus eſt rediens, ſæpius equo deſilire, ab urinæ difficultate inſolenti: Ab eo tempore eadem per intervalla torquebatur, & majori cum dolore, quo vetuſtior evaderet affectus. A perito Chirurgo, non autem hac in re, intromiſſo in veſicam inſtrumento, nullus eſt lapis inventus, licet grandior; unde in poſterum, nunquam potuit adduci Medicus, ſe calculo laborare, ſed potius ab hæmorrhoïdibus, quas violenti conatus in meïendo aperuerant: Cum autem ejus facies eſſet boni coloris, negabam hæmorrhoïdes cauſam eſſe eorum quæ patiebatur; oportuiſſet enim, ut affirmabam, quoddam ex viſceribus valde eſſe intemperatum, ne dicam corruptum, tam brevibus intervallis, per hæmorrhoïdas excernenti excrementa, diris ejuſmodi cruciatibus gignendis qualitate prædita, quod cum facie boni coloris ſtare non poterat. Ad hoc accedebat, cruciatus fieri præcipue in mictione, & magis in fine, quod in ſolis hæmorrhoïdibus non extitiſſet; accedebat etiam, quod incederet divaricatis cruribus, ut ægrotus ſuperioris Enarrationis. Ille tamen animum obfirmabat, nullum in veſica lapidem ineſſe, credens Chirurgo qui non invenerat. Tandem frequentibus cruciatibus fractus obiit. Diſſecto cadavere, inventus eſt lapis in veſica, ovi anſeris quaſi magnitudine; totoque morbi decurſu, qui fuit ſex annorum, nunquam facta eſt urinæ ſuppreſſio.

Lapis in veſica medici repertus poſt mortem, qui credebat ſe laborare hæmorrhoïdibus.

OBSERVATIO III.

Procurator Regius hujus urbis, conquerebatur apud me, quod urinam emitteret cum dolore, ejus acrimoniam lenientibus & vitæ ratione levare conanti, affectus tamen perſeverabat. Poſt aliquot menſes, rogavit per nuntium, ut ejus domum venirem: Intravi cubiculum, accepta matula, & effuſa urina, mucoſæ pituitæ quantitas ſequuta eſt non ſpernenda, quod cum dyſuria pertinaci, & quod frequenter pudendum

Renes ambo quaſi gangrena infecti, & triginta tres lapides in veſica reperti.

dum manibus pertractaret, confirmavit me in ſententia, lapidem ſubeſſe in veſica; quam tamen non aperiens illi, conſului ut Burdegalam ſe conferret, & à quodam peritiſſimo Chirurgo, intromiſſa bolide, exploraret quid ſubeſſet in veſica: Sed ob hoc unum, niſi data occaſione, nolens ſe viæ committere, parum conſtans animo, exegit annum cum ejuſmodi meïendi difficultate, antequam ſe conferret Burdegalam; in quam cum veniſſet, perito Lithotomo accerſito, facile intromiſſa bolide, dyſuriæ cauſa innotuit, dictoque die committendi ſe lithotomiæ, incidit in febrem continuam trium dierum, qua extinctus eſt. Diſſecto cadavere, ambo renes velut gangrena affecti inventi ſunt, nunquam tamen à renibus doluerat, nec obnoxius nephritidi fuerat. Sciens illum, honoris gratia, Senatus proceres inviſiſſe, affirmavi in quadam Senatoris domo peſte inquinata, mortiferam inſpiratione auram hauſiſſe, qua humores quidam affecti, à natura ad renes potruſi, viam excernendis excrementis paratam, ipſos corruperant, quamvis antea ſanos & integros: In veſica vero triginta tres lapides inventi ſunt, quorum major, nucis ponticæ magnitudinem non æquabat, erantque omnes læviſſimi, & nullo modo ſabuloſi, in medio parum depreſſi lupinis ſimiles. Iſte ægrotus divaricatis cruribus non incedebat; nec à tot lapidibus unquam facta eſt urinæ ſuppreſſio.

OBSERVATIO IV.

Nephriticus dolor in ſexagenario, pulvere vitri curatus.

Vir quidam nobilis 60. annorum & amplius, conquerebatur apud me, ſe à quibuſdam diebus, cum magno dolore emittere urinam; cum autem ſervato regimine acrimoniam demulcente, & vias urinarum expurgante, difficultas meïendi cum dolore non quieſceret; propter lapidis ſuſpicionem, conſului ut à perito Chirurgo bolide intromiſſa, de lapide certior fieret; erat enim egerendi cupiditas in mictione. Verum cum Chirurgus ad hoc peritus, non eſſet in promptu, facta eſt procraſtinatio, donec quidam ejus domum veniens, habitu quidem monachus, neſcio an re ipſa, cui affectu ab ægrotante communicato, conſuluit illi, ut ſcyphum communem vitreum, in tenuiſſimum pulverem redigeret, & ʒj. pondere, cum ℥iij.

aquæ

aquæ roſarum mane jejunus hauriret, quo remedio omnino ſanatus eſt, excretis, ut mihi ipſe referebat, ſordibus multis ſemen referentibus.

OBSERVATIO V.

Paucis poſt annis, cum mihi relatum eſſet à muliere, ſutorem eſſe extra urbem, nobis notum, qui ut mulier parturiens clamabat, quoties meïeret: Juſſi ut ſibi compararet ℥iij. aquæ roſarum, cum qua hauriret ʒj. pulveris ſupradicti, quem illi dono dedi; quo peracto ſanatum iri affirmavi, niſi in veſica lapis ſubeſſet doloris cauſa; Ille tamen ſutor jam ſenior, perfecte ſanatus eſt, nec in poſterum in meïendo dolore affectus eſt.

Idem effectus ab eodem pulvere.

OBSERVATIO VI.

Sacerdos quidam jam ſenior, febre continua detentus, non tamen acuta, conquerebatur multis diebus, de ardore urinæ valde illi moleſta: Miſi ad illum duas doſes ex vitri pulvere, cum aqua roſarum ſumendus mane, tribus diebus interpoſitis, à prima doſi uſque ad ſecundam, quibus multum levatus eſt.

Tertio cum ſucceſſu idem pulvis exhibitus.

Juvenis quidam nobilis, veneri indulgens, qui & gonorrhœam paſſus fuerat, nec fortaſſe perfecte ſanatus, incidit in maximum urinæ ardorem: ita ut cum maximo labore, & cruciatu, ante, & poſt mictionem emitteret urinam: Dolores non abſimiles iis, qui calculo in veſica laborant, per intervalla recurrentes, nec balneis, nec aliis per os ſumptis cedebant. Vocatus in conſilium cum Medico ordinario, ejuſdem eram ſententiæ, propter doloris pertinaciam, & per brevia intervalla repetentem, lapidem ſubeſſe in veſica; qui quidem dolor, extra mictionem etiam infeſtabat; in mictione deſidendi cupiditas nulla, nec in urinis ſedimenta glutinoſa, de quibus ſupra; quod à ſententia non parum avertebat amborum animum. Arcanum vitri pulverati, ſorbendum cum aqua roſarum præbuimus, quod nihil profuit: unde maxima ſubiit animum ſuſpicio, lapidem in veſica detineri, maximoque ita eſſe, certaſſem pignore. Tandem poſt aliquot dies, non ita frequentes dolorum repetitiones erant, paulatimque intra menſem

 ab

ab omni dolore liber factus eſt, à menſe Aprili uſque ad Julium, quo cepit iterum ejuſmodi dolore tentari, verum non tam atroci, brevique fluxio facta eſt in ſcrotum, & teſticulos cum inflammatione, quæ adhibitis remediis, nonniſi poſt multos dies, ad ſuppurationem perducta eſt. Tunc credidi antea ſimilem materiam, ab eodem fonte ferri per urinas, quæ acrimonia naturam valide ſtimulans, lapidis ſymptomata repræſentabat.

De Hæmorrhoïdibus.

CAP. XI.

Hæmorrhoidum fluxus multis morbis utilis.

Certis quibuſdam intervallis, & ſtatuta, naturæ legibus, ſanguinis per hæmorrhoïdas excretio, pluribus in morbis præcavendis, & abigendis optanda: Ab iis inſaniæ ſolutio; Melancholicis, & renum affectibus ſupervenientes bonum: Non vacuationis ratione ſolum, ut inquit Galenus; ſed ipſa etiam humoris vacuandi qualitate, hujuſmodi affectus hæmorrhoïdes ſanant. Per eas cacochymia lienis, totiuſque meſenterii, & cavi hepatis partium expurgatur, ex qua plurimorum morborum ſoboles ſcaturiret: Per eas è venis, & arteriis plethora omnis, è lumbis præcipue, non minus deponitur; ſed tunc paucorum dierum, & cum levamine ſolet eſſe excretio: Quartana, lepra, ulcera maligna, cancer, & omnes morbi cutanei prohibentur. Pectoris mala fere omnia depelluntur, capitiſque, & totius denique corporis. Sed rarum eſt cui recte fluant; vel enim ſupprimuntur, vel nimium fluunt; vel non recte, & hoc ut plurimum cum dolore, quod ceteris magis moleſtum eſt. Si ſolita hæmorrhoïdum vacuatio, ſupprimatur præter naturam, graviora inferuntur mala, quam quæ antea arceri ſolebant; nec minus propterea, ſolita excretio eſt procuranda, quamvis hoc fiat cum dolore: viis enim, per quas ſolebat natura onus deponere, non expeditis, timor eſt ne in aliquam partem nobilem, fiat humorum excernendorum anadrome: unde monet Hippocrates, in hæmorrhoïdum antiquarum curatione, unam apertam relinquendam eſſe, ne hydrops, aut tabes ſubſequatur, vel alius, vel plures ex his affectibus, quos aver-

Com. in apho. XI. ſect. 6.

Hæmorrhoidum ſolita evacuatio ſuppreſſa, multa producit mala.

Apho. 12. ſect. VI.

avertere ſolent hæmorrhoïdes. Externis hæmorrhoïdibus ſuppreſſis, quæ ſunt, ut ajunt, plethoræ depletrices, venæ ſectio brachii dextri, aut lateris ex quo fluere, aut tumere ſolebant, optime quæ à plethora impendent pericula avertet; nihil enim vetat quacumque parte ſolvatur, modo natura levetur onere: Poſtea vero ſi malleoli vena tundatur, ut cava per lumbos excurrens, etiam exoneretur, non erit abſonum, præcipue ſi hac parte dolor aliquis, aut pondus ſentiatur, vel præceſſerit. Quod ſi etiam turgeant hæmorrhoïdes, natura viam demonſtrante, per quam onus deponere nititur, aperiendæ frictione ex linteo aſpero, aut ex folio ficus, vel medicamento Hollerii, ex pulpa colocynthidis in oleo convenienti incocta, puta oleo amygdalarum amararum, ano alligata, quam ſpatio quinque horarum, hæmorrhoidas aperire ſcribit: Si his tamen uti non liceat propter dolorem, commodius aperientur ſanguiſugarum admotione. Interea ſi ex venæ cubiti apertione, ſanguis corruptus effluxerit, cacochymiæ, ſicut & plethoræ habenda eſt ratio; purgantibus ſcilicet, prout extracti ſanguinis color indicabit. Licet enim hæmorrhoïdes externæ, dicantur à Laurentio plethoræ depletrices, quia à duabus iliacis, & ramulo venæ ſacræ emanant: Internæ vero cacochymiæ evacuatrices, quod originem ducant à vena inſigni quæ à ramo ſplenico, ad muſculos uſque ani, & inteſtinum rectum interius ſe porrigit; Non eſt hoc ad verbum accipiendum; Solet enim natura, utrumque vitium per quaſcumque vias expellere. Sua eſt venæ cavæ cum propaginibus cacochymia; ſua eſt venæ portæ: Sæpius tamen plethoræ ab externis hæmorrhoïdibus; cacochymiæ ab internis ſuccurritur: Ideo magis timendum ab internarum ſuppreſſione, ex qua præcipue tot morbi, quos ſupra enumeravimus ſcaturire ſolent: Ipſæ quippe ſæpe fluunt; externæ vero raro, aut nunquam, niſi aperiantur. Magis igitur habenda eſt ratio internarum, cum præter naturam ſupprimuntur, & quocumque modo procuranda earum apertio, ut ad eas ſolito noxiorum humorum facto decubitu, ad alias partes, nobiles præcipue, non confluant: Hoc autem primo venæ ſectione malleoli, in mediocri quantitate; deinde aliquo unguento aperiente, turundis eo illitis intromiſſo, ut ℞. Olei

Lib. de morbis inter. cap. 51.

Rarius fluunt hæmorrhoides externæ.

℞. Olei nucleo. perſi. & lini ana ℥ß. ſucc. cæpæ, & ciclam. ana ʒij. pulv. ſterc. columb. ℥ij. butyri rec ℥iß. ceræ parum, fiat unguentum.

Purgatio ex aloë pura aperit hæmorrhoides.

Purgationes inſtituendæ ex aloe pura, in forma pilularum, à ʒß. ad ʒj.

Aliud extremum eſt, cum præter modum fluunt hæmorrhoïdes; unde virium dejectio, cachexia, & ſæpe hydrops. Ad hoc facienda primum revulſio eſt, apertione venæ cubiti, partitis vicibus, digito per intervalla vulneri impoſito; quater ſcilicet, in trium vel quatuor unciarum ſanguinis extractione.

Medicamenta ſiſtentia nimium hæmorrhidum fluxum.

Interea danda eſt doſis laudani, poſt triduum iterando, ſi opus fuerit: Poſtea ſumendum de croco martis aſtringente, per aliquot dies mane, à ſcrup ß. ad ſcrup. j. cum conſerva roſarum miſto. Quidam utuntur ſyrupo corallorum, ex tinctura eorum cum ſucco limonum extracta confecto; Ego vero probarem potius ſal eorum, ſeu magiſterium, cap. de flux. hepat. deſcriptum ab Hartmanno, in pract. chymia, quod facilis eſt præparationis. Si ora venarum oculis ſe prodant parvi plumaceoli pulvere ſuberis combuſti, & mumiæ cooperti imponantur; tela etiam aranearum impoſita ſanguinem ſiſtent: Ad hoc etiam juvabunt ligaturæ partium ſuperiorum, cucurbitulæ hypochondriis admotæ ſine ſcarificatione. Vitæ ratio, quæ hæmoptoïcis præſcribi ſolet. Purgationibus quotieſcumque opus fuerit, præſcribendæ, ut capite de dyſenteria. Quidam utuntur pilulis de bedellio ſæpius repetitis, de quibus quotidie ſumenda ʒß. aut alternis diebus, hora ante paſtum; oportet enim alvum eſſe fluidam, ne conatu egerendi, fluxus ſanguinis augeatur. Quod ſi per os nolit ægrotus ſumere medicamenta, enematibus utendum in parva quantitate, ex decocto emolliente, quibuſdam mixtis conſolidantibus, ut poligonum, burſa paſtoris, ſanicula, &c. diſſolvendo in ℔ß. decocti, mellis roſ. ℥ij. & ℥iß. olei hypericonis; vel ex jure carnium pingui, in quo conſolidantia decocta fuerint; vel ℥iij. olei roſ. iniiciantur ex parvo ſyphone, ante ventris exonerationem: Quod fit etiam dolentibus hæmorrhoïdibus, ne duritie excrementorum exeuntium ano dilatata augeatur, qui ex ſe ſatis urget dolor, ad quem demulcendum multa ſunt in ordine remediorum alphabetico deſcripta; Ideo hic ſuperſedebimus. PRO-

Prognostica.

Melancholicis, & nephriticis, hæmorrhoïdes ſupervenientes bonum. Hipp. apho. 11. ſect. 6.

Hæmorrhoïdes antiquas ſananti, ſi una non ſervetur; periculum eſt, aut hydropem, aut tabem ſupervenire. Hippo. apho. 12. ſect. 6.

Inſanientibus varices, aut hæmorrhoïdes ſi ſuperveniant; inſaniæ fit ſolutio. Hipp. apho. 21. ſect. 6.

Hæmorrhoïdes à quadrageſimo, ad ſexageſimum annum, nunquam in pueris, raro juvenibus accidunt.

Ex hæmorrhoïdibus ægre fluentibus, obortæ vertigines; apoplecticum quidpiam ominantur, Hipp. coac. 21. cap. 13. lib. 2.

Hæmorrhoïdum commoda multa, quando nigra per eas effluunt. Duret. in coac. ex aphor. Hipp. 25. ſect. 4.

Hæmorrhoïdes & ad plethoram deſerviunt, & ad cacochymiam.

Hæmorrhoïdes per epigeneſim obortæ, malæ; bonæ vero per metaptoſim.

Hæmorrhoïdes apoplecticis ſalutares. Hipp. coac. 3. cap. 23. lib. 2.

Maniacis prope jam alienato cerebro, inutiles. Duret. in coacis.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

Observatio Prima.

Hæmorrhoïdum dolor, & ani fiſtula ſanati.

Vir Quidam nobilis, à longo tempore laborans hæmorrhoïdibus, cum didiciſſet à me paratum fuiſſe unguentum, ſedandis hæmorrhoïdum doloribus præſtantiſſimum: quod eſt unguentum de linaria, à Wolphio inventum, & pluribus Medicis Germaniæ communicatum, rogavit me per Chirurgum, ut parum ad ipſum mitterem, cujus petitioni libenter conceſſi, maximumque ab unguento levamen accepit; aliquid tamen remanebat, ad perfectam curationem adipiſcendam, quod à Chirurgo ordinario ignorabatur: ſummo enim ex podice parte in-

teriori, aliquid fœtens ſemper exudabat. Altero Chirurgo in conſilium adhibito, animadverſum eſt parvulum foramen, capitis aciculæ tantum patiens, in quod introducta acicula, paulo ſuperius apparuit: ex quo parvam fiſtulam eſſe concluſum eſt, quam fæces intrantes, cum ventris fieret egeſtio, fovebant: Itaque cum unum foramen ab alio non multum diſtaret, ſtatutum eſt filo traducto, ſpacium illud, ejus ſenſim facta conſtrictione abſcindere, ſine læſionis ſpincteris timore, quo peracto ſanata eſt fiſtula & ægrotus quoque.

OBSERVATIO II.

Dolor Hæmorrhoidum ſedatus unguento de linaria.

Quidam Medicus Maſſilienſis, fratrem conjugis curans ab hæmorrhoïdibus, non inveniens anodynum, audita vi prædicti unguenti in doloribus hæmorrhoïdum demulcendis, rogavit unum ex conſanguineis, ut tantillum à me peteret; cujus applicatione maxime levatus eſt, ſicut & omnes qui in poſterum uſi ſunt. Hoc unguentum ſemper apud me ſervatur, ſine ovi vitello; de quo, recenti ex ovo extracto, tantum impono applicationis tempore, quantum unguenti quantitas requirit. Nunquam rerum uſu ſimile inveni anodynum, in externarum hæmorrhoïdum dolore ſedando, licet variis uſus fuerim, quæ habentur deſcripta, ſicut & hoc unguentum de linaria, in ordine remediorum alphabetico.

OBSERVATIO III.

Idem effectus ab unguento quodam pomato.

Quidam Epiſcopus, atroci hæmorrhoïdum dolore afflictus, non inveniens anodynum; ſpeciem quamdam pomatæ à Chirurgo accepit, ex cujus applicatione tantum levamen percepit, ut in gratiam beneficii accepti, decem nummos aureos illi dederit; ut retulit mihi vir quidam religioſus, mihi familiaris, dato anodyno talis deſcriptionis, quam in gratiam laborantium communicare volui.

℞. Butyr. rec. in vino albo cocti q. ſ. ſevi ex ſemicandela aquæ roſa. ℥ij. pomi raſpati, omnibus invicem. coctis in aqua roſarum fiat pomata colata. v. ordinem alphabe.

De Menſibus retentis.

Caput XII.

Præter bonum propagationis individui, commoda quæ diximus evenire, ex hæmorrhoïdibus, recte fluentibus, eadem prorſus à menſibus, naturæ lege quolibet menſe erumpentibus, accidere fatendum eſt: Hoc ſciunt Medici, & mulieres quotidie experiuntur; ſicut & contrarium, ab eorum ſuppreſſione præter naturam, quæ quo magis corpus plethoricum, & cacochymum extiterit, eo graviora inferet ſymptomata. Cum autem menſtruæ purgationis duæ ſint cauſæ; una corporibus indita mulierum à natura: quæ eſt præcipue, movens ſanguinem quolibet menſe, ſive multum, ſive paucum, ad ejuſmodi excretionem, propter bonum univerſi, generationem ſcilicet, quæ non fieret defectu conceptionis, ad quam menſes, aut ſanguinis ad matricem, omnino neceſſarius eſt: Altera eſt ex occaſione, nempe ſanguinis abundantia in mulieribus, propter earum conſtitutionem viris frigidiorem; unde minor in illis diſſipatio, & ſuccorum alibilium major redundantia, & occaſio menſium, multum, aut minus fluentim, pro ſanguinis tenuitate, aut craſſitudine, & plenitudinis varietate, quibus ſi comes fuerit cacochymia, cum labore, ut plurimum, fit menſtrua purgatio: Unde ſymptomatum varietas à ſuppreſſis menſibus, deducitur à varietate plenitudinis, & cacochymiæ; multo autem plura à cacochymia, quæ tum vulgaris eſt, tum malignæ alicujus qualitatis particeps. Quare etiam ſi nulla ratio conceptionis eſſet habenda, ut in viduis, & virginibus, quæ hac purgatione indigent; Propter tamen impendentia plenitudinis, & cacochymiæ, cum adſunt, mala, procuranda menſium eruptio, iis quarum natura hoc requirit: in aliis vero minime, quæ ſcilicet à ſuppreſſis menſibus non male habent, ut quædam mulieres, quæ etiam ſi viro junctæ, toto tamen vitæ decurſu optima, ut aliæ mulieres, fruuntur valetudine, ſine menſium beneficio, quia à natura ad talem purgationem omnino ſunt ineptæ, ſicut & ad conceptionem, licet quædam mulieres, ut

Commoda, quæ feminis eveniunt, menſibus, ſtato tempore fluentibus.

Nonnullis feminis nunquam fluunt menſes, abſque earum incommodo.

quidam referunt, multoties conceperint ſine ulla unquam menſium apparitione: In quibuſdam etiam virginibus, non eſt laborandum in menſium provocatione, cùm bene valent, licet jam viro maturis, quia nondum tempus præfinitum menſium eruptioni advenit: Neque in mulieribus à longo morbo ægre convaleſcentibus, quæ per aliquot menſes non purgantur, nullo in partibus huic excretioni dicatis, exiſtente impedimento, donec corpus vires omnino receperit, & ad partium nutrimentum, & ad menſium purgationem, ſatis fiat ſanguinis. His omnibus ad menſes provocandas, non ſunt adhibenda remedia, niſi nuptis ratione conceptionis hoc fiat. Quibus vero præter naturam menſes ſupprimuntur, hæ ſemper male habent; horroribus corripiuntur, & febribus, faciei color non bonus, cibum non appetunt, urinæ craſſeſcunt, cor palpitat, lac quandoque habent in mammis, ex Hippocrate, gravitas toto corpore moleſtat, lumborum, & tibiarum dolores, & interdum aliarum partium: Ex quibus omnibus vel præſentibus, vel abſentibus, debet etiam conſtare Medico, de ſuppreſſione menſium ab uteri geſtatione, quæ omnium maximi eſt momenti, ne curatio vertatur poſtea in medentis dedecus, & in perniciem fœtus, deplorandam, cum mortuus in lucem editur, quod Deus avertat. Vidimus tamen Medicos non parvi nominis, diu, & multum colluctatos, in provocandis menſtruis, donec motus infantis in utero remediorum finem faceret. Quapropter ſolers debet eſſe Medicus, & prudens, in ſuppreſſionis menſium cauſis inveſtigandis, in iis præcipue, quæ utero gerunt innuptæ, quia de induſtria imponunt Medicis, ut aborſus ſubſequatur. Ad hoc multa ſcripſit Hippocrates. Aphor. 61. ſect. 5. ait quod ſi purgationes non prodeant, mulier vero neque horrore, neque febre corripiatur, & cibi faſtidia adſint, eam uterum geſtare exiſtimandum. Apho. 41. ejuſdem ſect. conſulit ſcire volenti, an mulier conceperit, mulſam dormituræ propinandam, quod ſi tormina patiatur circa ventrem, concepiſſe; ſin minus, minime. Sed ſi huic aphoriſmo fides adhiberetur: non ſolum apud Medicos, conſtaret de geſtatione uteri: ſed etiam apud mulierculas, hac de re valde ſollicitas. Magis fidendum ſignis ab oculorum inſpectio-

Symptomata, quibus affici ſolent feminæ, quorum menſtrua purgatio non rite procedit. Aphor. 39. ſect. 5.

ne ſumptis, de quibus Hippocrates lib. de ſuperfœtat. Prægnantem, inquit, mulierem, ſi aliter non cognoſcas, oculi tracti, & caviores fiunt, & candidum oculorum albedinis naturam non habet, ſed lividius exiſtit. Hoc ultimo ſigno, conſanguinea uxoris meæ agnovit primam ejus graviditatem; eminentes tamen oculi, & cavi non fiunt niſi procedente uteri geſtatione: Quod ſi hæc accidant cum facie macilenta, & boni coloris, cum oculis fixis, ut aiunt, certiſſimum eſt graviditatis ſignum. Quod ſi Medicus hæc ſcire non poſſit, conſulat parentes; & vicinas, quæ prægnantis putatæ mulieris conſuetudine utuntur. Quomodo autem agnoverim, prægnantes mulieres ægrotantes ex uteri geſtatione, dicetur in Enarrationibus. Interea quibuſdam cauſis ſuppreſſionis menſium allatis, ad alias veniendum; quarum prima quæ occurrit, quæque in mulieribus venit conſideranda, quibus nunquam menſes prodierunt, anno ætatis vigeſimo tranſacto; vitium eſt conformationis partium, ad uterum pertinentium, de quo non cogitandum, niſi multis auxiliis fruſtra tentatis: Adde quod non niſi à perito Chirurgo, eorum aliquod agnoſci poteſt, durumque ſit mulieribus, has partes viſui exponere: Cum hæc etiam rara ſint, ad ea de quibus ut plurimum nobis conſtat, ut eſt intemperies præcipue frigida, quæ ſanguinem craſſiorem reddit, partes conſtringit, obſtructiones parit, & partium facultates debilitat. Gignitur potiſſimum hæc intemperies, à mora in locis frigidis, ſeſſione ſupra herbam virentem, manſione in aqua frigida; hæc autem præcipue cum fluunt menſes: Ad hæc longa mœſtitia, & peccata in victu, à quibus fit ſanguis craſſus, aut fœdi virginum colores oriuntur; de quibus omnibus fuſiſſime apud Authores. Eorum igitur omnium habita ratione, victuque aperiente præſcripto, incipienda cura ab aliquo purgante, quod minorativum vocant, niſi urgeret plethora, quæ ab injecto enemate, venæ ſectionem poſtularet, ante medicamenti exhibitionem: Quibus adimpletis, ad uſum apozematum aperientium, & menſes moventium veniendum, ut:

Vitium conformationis partium, interdum eſt cauſa menſium ſuppreſſionis.

℞. Rad. valeria. eryng. & erythrod. ana ℥ß. folior. arthem. puleg. cuſc. borrag. ana mß. flor. borrag. & calend. ana pj. ſem. petroſ. & dauci, ana ʒj. fiat ex his decoctio. Acc. ℥iiij. ſyru. de

Variæ formulæ medicamentorum ad ſuppreſſa menſtrua.

de arthem. ℥iſs. ſucci limon. vitriolo chalybis impraegnati, ut infra dicetur ℥ij. aut iij. fiat apozema, capiat mane, & quatuor conſecutis diebus.

Vel ex prædicta decoctione apozematis cum ſyrupo de arthemiſia loco ſacchari fiat ſyrupus perfecte coctus, ut ille ex quo fit ſaccharum roſaceum, qui poſtea ſucco prædicto in debitam conſiſtentiam reducatur; quod Gallice eſt *decuire.* Ex hoc ſyrupo capiat ex cocleari mane jujuna ℥iij. per aliquot dies.

Vel ex hoc Syrupo, chalybis vitriolo impraegnato, cum trochiſcis & myrrha fiat opiata, de qua capiat mane per aliquot dies ad parvæ caſtaneæ magnitudinem, ſuperbibendo parum vini albi oligophori.

Modus impraegnationi ſucci limonum à chalybis vitriolo, talis eſt.

℞. Chalybis præp. cum duplo ſulph. calcinando in crucibulo, ut artis eſt, pone in vaſe vitreo, ſuperinjice ſuccum limonum recentem ſi haberi poſſit, ita ut digito ſupermineat, ſtent in ſole, aut loco calido, per 24. horas, movendo per intervalla, & coletur ad uſum dictum.

Intera purgandum corpus per intervalla, quodam pharmaco ſpecifico, ut eſt vinum hyſtericum purgans Hartmanni, cap. de hyſte. paſſione deſcriptum. Aliquando, prout deprecantur ægrotantes purgantis ſpeciem; utor pulvere cornachini, vel in forma pilularum, vel in juſculo carnium diſſoluto, in quo arthemiſia coxerit, vel in forma morſuli, cum ſyrupo de arthemiſia formati. Horum omnium loco, utor fere ſemper curatione, per pulverem cachecticum facta, cujus utendi modus docetur cap. de cachectia. Exacto utendi tempore, jubeo balnea parari in hunc modum.

℞. Ligni junip. minutim inciſi ℔ſs. rad. valer. erythrod. petroſel. ana ℥ij. folior. malv. alth. mercur. arthem. puleg. matricar. nepet. orig. rutæ ana mij. flor. chamæm. mj. flor. geniſt. borra. ana mſs. ſummit. ſabinæ miſs. ſem. dauci ℥ij. bacc. lau. & junip. ana ℥ſs. fiat ex his balneum, in quod mane ingredietur calidum tribus diebus continuis, venam malleoli dextri tundendo ad ℥vj. tantum, poſt primum balneum; reïterando ex pede ſiniſtro, ſi menſtrua non fluant, in eadem quantitate; non eſt

eſt enim multum ſanguinis detrahendum, in hac curandi methodo, ut fere fit, quia ejus quantitas in aqua, non facile deprehenditur. Quod ſi multum ſanguinis detraxeris, & extra vires, reliquum in corpore retinebitur ad corporis nutritionem, parumque aut fluent menſes, aut nullo modo. Quod etiam accidet, ſi in horum omnium admiſtratione, idoneum tempus non obſervetur, ſaltem in aliquibus. Tempeſtas quidem maxime propria, veris eſt principium, tunc enim ſanguis movetur ad exteriora; verum ſi neceſſitas urgeat, non procraſtinandum. Tempus quod eſt omnino in provocandis menſibus obſervandum, illud eſt in quo natura ſe accingit ad talem excretionem, ante quam noſtris remediis omnino paratam, eam invenire oportet, venæ ſectionibus brachii faciendis, cum purgationibus aperientibus jam dictis: Cum vero tempus eruptionis menſium appropinquat, balneis utendum, venæ ſectionibus ſaphenæ, & quæ maxime valent ad ciendos menſes, quorum multa ſunt deſcripta in ordine remediorum alphabetico. Quod ſi non conſtet de tempore, quo ſunt fluxuri menſes, quia vel nunquam fluxerunt, vel inordinata prodierunt; ſpreto verſiculo, cui raro fides adhibenda.

Idoneum tempus venæ ſectionis obſervandum ad provocanda menſtrua.

Luna vetus veteres; Juvenes nova luna repurgat.

Sciſcitandum ab ægrotantibus, aut parentibus, utrum ſtatutis quibuſdam menſis diebus, pejus habere ſoleat, lumborum, ventris, pectinis dolorem ſentiens; gravitatem circa renes, aut ardorem percipiens; crurum quoque & tibiarum gravitatem; difficultatem anhelitus; hypochondriorum tenſionem; gravitatem etiam, & capitis dolorem: Quæ omnia, aut quædam ſaltem ſolet, natura edere, circa tempus eruptionis menſium, præcipue cum ægre fluunt, aut ſupprimuntur; cujus motus ſtudioſe intueri oportet, in morbis curandis, ut ſimul cum ea agentibus, res nobis optime cedant. Cum igitur in muliere curanda à menſium ſuppreſſione, ſtatuto quodam menſis tempore, ſupradicta quædam fiunt; oportet ante illud tempus, remedia omnia adhibita eſſe, niſi forte balneum, & quædam malleoli venæ ſectio, in mediocri quantitate, quia fit tantum ratione motus ſanguinis, ad partes inferiores; non autem ratione vacuationis.

PROC-

PROGNOSTICA.

Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore, neque febre ſuperveniente, cibi faſtidia accidant, prægnantem eſſe putato. Hippocr. apho. 61. ſect. v.

Si mulier nec prægnans, nec puerpera, lac habet, ei menſtrua defecerunt. Hippocr. apho. 39. ſect. v.

Muliebribus cohibitis veniunt epilepſiæ, ventris profluvia longa, nonnullis hæmorrhoïdes. Hipp. coac. 10. lib. 3. tract. 9. de morb. mulie.

Suppreſſionem menſium gravius ferunt ſteriles, quam illæ quæ jam pepererunt; quia, vide Hippocr. lib. 1. de morb. mulie.

Mulier quæ non peperit, gravius, & citius ægrotat à menſibus. Ibid.

Sex menſium ſuppreſſio incurabilis eſt Hippocrati. Ibid.

Menſibus deficientibus, ſanguis è naribus fluens bonum. Hipp. apho. 33. ſect. 5.

Suppreſſis menſibus accidunt ab utero morbi. Hipp. apho. 57. ſect. 5.

A ſuppreſſis menſibus, inſania, melancholia, hydrops, pthyſis, vomitus ſanguinis.

A ſuppreſſis menſibus eadem accidere ſolent, quæ à ſuppreſſis hæmorrhoïdibus.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Mulier menſtruis ſuppreſſis laborans, curata pulvere cechectico.

Mulier quædam diſcedens in partiam mariti, circa finem Septembris, toto autumno, & hyeme bene habuit; vere autem, æſtate, non aſſueta regioni calidæ, fere ſemper febribus correpta ægrotavit; ita ut in natale ſolum ſe recipere cogeretur: In quo tamen ex reliquiis præteritorum morborum, & mœrore ab abſentibus, marito, & liberis, iterum ægrotans, venter maxime intumuit hydropicorum more, cum omnimoda menſium ſuppreſſione, ingenti ſpiritus anguſtia, faciei pallore, inappetentia, & quadam febris ſpecie. Ab amicis

cis vocatus ut illi opem ferrem, inveni meliuſcule habentem; ſumptis enim quibuſdam purgationibus à Medico loci præſcriptis, moles ventris multum receſſerat: ceteris de quibus ſupra remanentibus; præcipue ſpirandi difficultate, qua etſi lento gradu incederet, cogebatur per intervalla ſupina jacere, in locis potiſſimum acclivibus. Totum curationis ſcopum, in provocandis menſibus poſitum exiſtimavimus, nullamque de hydrope ſuſpicionem habendam; licet remedium quo uti volebam, utrumque affectum reſpiceret. Præſcripſi itaque uſum pulveris cachectici per viginti dies, ter purgato corpore, ante, in medio, & fine, ut docetur cap. de cachex. Quo pulveris uſu, ante præfinitium tempus erumpentibus menſtruis, aliis non fuit opus auxiliis, quæ in ſubſidium venire ſolent, ut ſunt balneum, venæ ſectiones molleoli, & alia quædam, paulatimque, & brevi perfectæ ſanitati eſt reſtituta. Qua methodo multas alias mulieres ſanavimus.

Observatio II.

Maſſiliæ quædam ſancti Benedicti ordinis ſodalis, virgo 25. annorum, brevibus intervallis repente ſpirandi difficultate laborans, tanquam cauſa exiſtente in pulmonibus, à Medico Cœnobii ordinario curabatur: Cum autem eo abſente, vocatus eſſem in Cœnobium pro alio ægrotante, rogaverunt ſorores ut eam inviſerem; omnibuſque rite perpenſis, nullam ſcilicet eſſe tuſſim, nullum ſputum, ſpirandique difficultatem eſſe per brevia intervalla, & parvæ interdum durationis, affirmavi dyſpnœam illam, ſpeciem eſſe ſuffocationis matricis, cujus curam in provocandis menſibus ſuppreſſis poſitam eſſe: uſuque decocti ſplenis bovis, in pharmacopœa reſtituta Quercetani, cap. 6. decoct. deſcripti, erumpentibus menſtruis, ſanata eſt à ſpirandi difficultate. Vide Enarrationes cap. de cachectia.

Spirandi difficultas, a menſibus retentis.

De nimio ab utero ſanguinis profluvio.

CAPUT XIII.

Nimium ſanguinis profluvium multorum malorum origo.

Quidquid naturæ modum excedit, licet in principio bonum extiterit, perſeverantia fit vitioſum: ut ſunt multæ naturæ excretiones, quæ ipſa duce incipientes, nimia tamen diuturnitate, res ægrotantis in diſcrimen adducunt: Ex hoc genere eſt ſanguinis profluvium ab utero, de quo nunc agimus; ſive ex menſibus inordinatis, ſive à partu, ſive ex aborſu accedat, in quibus moderatus ſanguinis fluxus, à gravibus morbis mulieres vindicat: ſicut inordinatus fons eſt, & origo quorumdam, niſi prius vitam cum ſanguine fundant: Longe enim major eſt numerus morborum, & ſymptomatum, quæ à menſium ſuppreſſione efficiuntur, quam quæ ab eorum profuſione generantur, ex qua qui fiunt morbi, non ſunt ab utero, ut illi qui fiunt à ſuppreſſione, ut docent Hippocrates apho. 57. ſect. 5. & Galenus in commentario: Cujus doctrinæ ſemper rationem habuì, in morbis mulierum curandis, nunquam utero cauſam eorum referens, niſi aut ſuppreſſis menſibus, aut ut par eſt non fluentibus: Ex nimium vero abundantibus, morbi ſimpliciter eveniunt, ut ex larga narium, aut alterius partis hæmorrhagia ſolet accidere, caloris ſcilicet naturalis refrigeratio, virium imbecillitas, cachexſia, & hydrops: Quæ ut avertantur, cauſa profluvii prius cognita, cuique ſua cura adhibenda. Galenus ubi ſupra, quaſdam enumerat nimii profluvii cauſas ab utero. Prima eſt venarum ad uterum pertinentium, ora nimium patentia. Deinde ſanguis tenuior, aut calidior. Poſtero cachexſia in ſanguine; corpus gravans, ex qua natura per venas uteri, ſe exonerare nititur. Aliæ cauſæ deſcribuntur ab Authoribus; In cap. de ſput. ſangui. nempe quæ vaſa aperiunt, exedunt, aut diſrumpunt, inter quæ eſt magna plethora, mulieribus præcipue, quibus à longo tempore menſes non fluxerunt: Cauſæ etiam externæ, caſus, ictus, violenti animi motus; quibus particulares adduntur, ut partus laborioſus, aborſus, coitus frequentior, & ulcera: Quarum quo-

Variæ cauſſæ hæmorrhagiæ uteri.

quo major erit concurſus, eo fluxus ſanguinis immoderatior, atque pertinacior. Si tantum itaque à plenitudine fluxus exiſtat, in principio fit cum levamine, licet nimio poſtea fluxu vires afficiantur. Si à partu laborioſo, aut aborſu, nimium ſanguinis effundatur, ora venarum nimium patent, aut earum quædam facta eſt inſanabilis dilaceratio, quæ interdum præcipitem affert mortem. Aliæ cauſæ, ex ardore, aut dolore, & colore ſanguinis in linteis patebunt, ſicut & cacochymia, aut alia ſanguinis qualitas, ex venæ ſectione. His rite perpenſis ad curationem veniendum; Primum debita vitæ ratione præſcripta, imperando quietem; habitationem in locis frigidiuſculis, ſi ſit æſtas; abſtinentiam ab acribus, calidis, & ſalſis, & ab omnibus animi motibus violentis. Somnus ſit conſueto longior, nulla venus, frugaliter vivat, rebuſque aſtringentibus, & ſanguinem temperantibus, & incraſſantibus: Aliis deinde Medicinæ univerſalibus auxiliis, immodici profluvii cauſa eſt oppugnanda. Quæ ſi ſit plethora, quandiu vires ferunt, victus rationi, & naturæ, totum negotium eſt committendum; Si autem modus excedatur, naturæ motus compeſcendus, venæ ſectione brachiorum pro viribus, cucurbitarum applicatione juxta mammas, ſine ſcarrificatione, ligaturis dolorificis extremitatum ſuperiorum, pharmaciſque dicendis in Enarrationibus. Si ora venarum nimium pateant, præmiſſis revulſionibus, aſtringentibus, & conſolidantibus, utendum per os ſumptis, & in vulvam immiſſis, pectinique, & lumbis admotis, de quibus in enarrationibus. Si ſit aliqua cacochymia in ſanguine, quam natura per venas uteri nititur expurgare, non ſtatim confugiendum ad ea, quæ ſanguinis fluxum cohibent, niſi eſſet virium jactura: Sed cacochymia corrigenda partim venæ ſectione, partim purgatione, ex apozematibus ſanguinem purificantibus. Si ſanguinis fervor adſit, venæ ſectione temperandus, & victu idoneo; juſculis præcipue ex herbis hepaticis, & refrigerantibus cum ſale prunellæ. Si acrimonia ſanguinis, fluxus cauſa exiſtat, quæ ex ardore, & dolore partium per quas fertur agnoſcitur; victu magis quam venæ ſectione corrigenda, uſu præcipue ſeri lactis cum ſaccharo roſaceo, quod calidum ſumere jubeo, iis quæ imbecillæ ſunt

Curatio hæmorrhagiæ uteri,

Quibus mediis peragenda, ſi adſit Cachochymia.

 ſto-

ſtomacho, ſicut & aliis; venæ tamen ſectione, revulſionis gratia non interdicendum. Si tenuitas ſanguinis juncta calori, incraſſantibus utendum, & refrigerantibus, venæ etiam ſectione, parvo foramine facto. Si ſanguinis tenuitati jungatur frigiditas, unde ſanguis fit aquoſus, coctio viſcerum roboranda, incraſſantibus etiam utendum, & venæ ſectione in parva quantitate, ad revellendum; & in omnibus cauſis, ſanguinem ſiſtentibus, de quibus multa in Enarrationibus, & ordine remediorum alphabetico. Si tandem ulcus ſit cauſa profluvii, quod ex dolore perpetuo, & ex ſanie mixta ſanguini, aut pura, agnoſci poteſt, venæ ſectio fieri poteſt revulſionis gratia; omnibus tamen præcipue palmam præripiunt vulnerariæ potiones, & injectiones, de quibus cap. de dyſente. miſcendo cum potionibus aliquid ducens ad partem affectam, ut eſt arthemiſia: Si autem dolor ab ulcere valde urgeret, utendum injectione deſcripta in ordine remediorum alphabetico, titu. Ad matricis ulcera.

PROGNOSTICA.

Menſibus abundantibus morbi eveniunt: & ſubſidentibus accidunt ab utero morbi. Hippo. apho. 57. ſect. 5.

Mulieri menſes ſi velis ſiſtere, cucurbitulam quam maximam ad mammas appone. Hippo. apho. 50. ſect. 5.

Si mulieri prægnanti purgationes prodeant, impoſſibile eſt fœtum bene valere. Hippo. apho. 60. ſect. 5.

In fluxu muliebri convulſio, & animi deliquium, malum. Hipp. apho. 56. ſect. 5.

Multo ſanguine fluente, ſingultus, aut convulſio ſuperveniens, malum. Hippo. apho. 3. ſect. 5.

Menſtruiis nimium fluentibus, retrahendis, ſanguinis vomitus prodeſt.

Profluvia ſanguinis immodica, periculoſiora ex aborſu, quam à partu.

Profluvium menſium immodicum, animi deliquium minatur, ſyncopen & mortem.

Ex nimio ſanguinis profluvio ab utero, cachexſia, & hydrops.

San-

Sanguinis profluvia ab utero diururna; licet parum ſanguinis effundatur, non vacant periculo.

Immodica ſanguis profluvia ab uteri ulcere, non curantur, aut difficulter.

A menſibus nimium fluentibus, eadem pericula quæ ab aliis hœmorrhagiis immodicis.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

Observatio Prima.

Mulier quædam Maſſiliæ, cum illi caput derepente, à cauſa interna concuſſum eſſet: Secundum doctrinam Hippocratis in coac. & prorrh. incidit ſubito in maximum ab utero ſanguinis profluvium. Cum autem alicujus conſilio, lumbis, & pectini, eſſent admotæ aranearum telæ, in ſartagine cum aceto acerrimo frictæ, in modum cataplaſmatis calidæ; ſtatim qui affatim ſanguis erumpebat, pedetentim fluente, ut mihi ipſa retulit mulier, à præſenti periculo eſt liberata. Quod adhuc juveni, mihi alta mente repoſtum eſt.

Hæmorrhagia uteri, admotis aranearum telis pectini & lumbis ſanata.

Observatio II.

Mulier quædam Maſſiliæ, celebris Cauſidici uxor, cum tempus, & ætas, appropinquaret ceſſationis menſium, frequenter, & inordinate, abundanti ſanguinis fluxu ab utero corripiebatur: Quod multis aliis mulieribus, circa idem tempus accidiſſe vidimus: ſitque in ore muliercularum, cum tunc temporis ſit menſium inordinatio, eorum ceſſationem adeſſe. Unde autem hoc accideret, quod ante ceſſationem menſium omnimodam, fieret in ſeneſcentibus mulieribus fluxus inordinatus, & quandoque periculoſus, prorſus ignorabam: Nunc vero hoc ſcribens attentiorique animo perpendens, exiſtimo hoc tempore, fieri menſium inordinationem, ex uſu remiſſo, qui non ita urget, ut antea ſolebat, cauſis ſeneſcentibus, quæ quod una vice factum eſſet, pluribus efficiunt. Cum ſæpius autem, & plus quam par eſt hoc tempore fluunt menſes; hoc non accidit, quod terminus ceſſationis inſtet: fieret enim omnibus mulieribus; ſed quod tunc temporis, ſubeſt in venis ca-

Hæmorrhania uteri, inſtante ob ætatem, ceſſatione fluxus menſium.

cochymia quædam, quam natura expurgare conatur per venas uteri: ſicut & humorem acrem ſanguini permixtum: Dicitur enim fluxum ſanguinis ab irritatione expultricis, quantitate minus peccare, quam à debilitate retentricis; magis tamen eſſe inordinatum, propter irritantem acrimoniam, quæ ſemper ad excretionem ſtimulat. Quod ſi irritatio expultricis, & debilitas retentricis ſimul concurrant, neceſſe eſt profluvium eſſe inordinatum, & modum excedere, ut fortaſſe in hac muliere, cui erumpente ex improviſo ſanguine, præter modum, & non ſtatuto tempore, venam cubiti dextri, ſtatim ſecandam juſſi, ſecundum vires extracto ſanguine, cucurbitulis poſtea juxta mammas impoſitis, ſequentem deinde potionem hauriendam dedimus.

℞. Aquæ plant. ℥iiij. philon. perſi. ʒj. ſalis prun. ʒß. ſyru. cydo. ℥j. fiat potio.

Telis etiam aranearum, modo ſupradicto uſi ſumus, quibus reſtrictus eſt ſanguis: Quoties autem iterum erumperet, ad eadem confugiebam remedia, niſi cum fieret venæ ſectio ex brachio, cujus quantitas erat tantum ℥iiij. digito qualibet uncia extracta, foramini impoſito, tanto tempore, quantum inſumitur in recitanda ſalutatione Angelica; ſic enim magna fit revulſio, nulla aut parva virium jactura: geſtanti deinde emplaſtrum contra rupturam ſupra lumbos, omnino ſanguis reſtitit: Propter tamen calorem, æſtivo tempore melius eſt partem ſæpius inungere unguento comitiſſæ.

OBSERVATIO III.

Hæmorrhagia uteri doſi Laudani ſanata.

Nobilis quædam virgo jam ætate provecta, 35. annorum ſcilicet, neſcio quibus de cauſis, incidit in immodicum ab utero ſanguinis profluvium; Quamobrem rogavit per nuncium, ut in oppidum in quo habitabat venirem, quod libenter præſtiti, geſtans ut mandatum erat, aliquid ſanguini reſtringendo idoneum, quod erat laudanum hoc modo paratum.

℞. Maſti. carab. ana gr. vj. arthem. croc. ana gr. iiij. opii præp. ut ſæpius dictum, gr. j. cum ſyrupo cydonio. fiat morſulus, devorandus hora ſomni: Quod ſi ſanguis non reſtringatur, alius morſulus poſtero die devoretur, niſi ex primo multum

ſo-

ſopiatur, quo ita ſe habente, dies integer interiiciatur: Quibus obſervatis, & revellentibus quæ præceſſerant, ſanata eſt.

OBSERVATIO IV.

Mulier quædam nobilis prægnans, nimio conatu egerendi aborſum paſſa, ex nimio ſanguinis profluvio, verſabatur in maximo periculo, non habens adjutorem; quippe rure habitans, & de nocte. Sciens maritus in propinquum me veniſſe caſtellum, miſit ſervum, nulla temporis nocturni habita ratione, quippe res urgebat, ut quamprimum lecta epiſtola, è lecto ſurgerem domum ſuam venturus, quam ingreſſus, & de rei eventu certior factus, hærebam dubius, remotus à Chirurgis, & Pharmacopœis de nocte, & valde urgente neceſſitate. Inter hæc venit ſtatim in mentem, auxilium de telis aranearum, magnaque earum quantitate collecta, & in ſartagine, cum aceto frixa, pectini, & lumbis imponendas, calide imperavi, cujus applicatione pedetentim reſtitit ſanguis, totaque nocte reliqua dormivit ægrotans, nullo alio indigens remedio expergefacta, mirantibus omnibus, quomodo in hujuſmodi rerum concurſu, nocte intempeſta, & carens pharmacis, ex re futili inveniſſem remedium.

Hæmorrhagia ex abortu ſanata telis aranearum.

OBSERVATIO V.

Felici hujus rei eventu, data eſt mihi anſa utendi eodem auxilio, in quodam juvene, quem hæmorrhagia critica, in maximum vitæ diſcrimen adduxerat, jacebat quippe mortuo ſimilis, ſine pulſu, cum frigidis extremitatibus: Quod autem mihi magis metum augebat, unum erat; Pharmacopœum ſcilicet, hoc ipſo die, medicamentum purgans propinaſſe, numerantem morbi principium, ab hora decubitus, quæ fuerat veſpertinis horis; quod quidem potius numerandum erat, ab hora qua febris invaſerat cum horrore, quæ matutinis horis fuerat: Credens itaque Pharmacopœus, ſe ſatis habere temporis à ſummo mane, uſque ad veſperam, ut purgantis actio perficeretur, & omnes eſſent abſolutæ dejectiones, propinavit pharmacum ſummo mane, quod naturæ motum non potuit avertere; hora enim qua morbus inceperat cum horore, eodem quinto die facta eſt criſis per hæmorrhagiam, fluente alvo, & naſo: Perturbatus

Hæmorrhagia critica narium iiſdem telis ſanata. Vid. coac. 1. cap. 13. lib. 2.

Phar-

Pharmacopœus, quidquid valebat excogitare exhibebat; hæmorrhagiæ tamen perſeverantia, & ſignis ſupradictis exterritus, accerſendum me juſſit circa horam tertiam veſpertinam. Intrans in cubiculum, viſa ſanguinis excreti ſtupenda quantitate, & reliquis ſignis, de quibus ſupra, juſſi ſtatim remedium ex telis aranearum parari, ſupra nares, & frontem applicandum, quod expectationem meam non fefellit; ſanguis enim paulo poſt omnino reſtitit, & ab inferis quaſi revocatus adoleſcens, evaſit periculum.

OBSERVATIO VI.

Inordinatus menſium fluxus tribus Laudani doſibus ſanatus.

Uxor cujuſdam civis ex præcipuis hujus urbis, à ſexto partu incidit in immodicum, & inordinatum menſtruæ purgationis profluvium, in pejus ruens, quoties menſes revertebantur; ita ut procedente tempore, fieret pluris quotidie ſanguinis eruptio, per multos dies, cum ſemel incepiſſet; Interdum unius diei, aut plurium fiebat intermiſſio, deinde revertebatur profluvium. Cum vero ſpes erat remedia aliquid profuiſſe, ſolito menſtruæ purgationis tempore adveniente, in pejori ſtatu res eſſe videbantur, & de ſalute conclamatum. Sic per quatuor menſes, & amplius, conflictatum eſt, ſtante ſemper natura, & morbo. Deſperatis rebus adhibitus ſum in conſilium, in quo præter communia auxilia quæ allata ſunt, tria propoſui; remedium ex telis aranearum; crocum martis aſtringentem; & laudanum ſupraſcriptum, cum uſu juſculorum ſanguinem ſiſtentium, & hujus fervorem temperantium, levi præmiſſa purgatione, & in rem præſentem idonea. Cumque Medicus ordinarius ultro ab inviſenda ægrotante deſiiſſet, illam quaſi depoſitam, curandam me ſuſcipere oportuit. Tunc accuratius res omnes perpendens, viſa mihi eſt fluxio à capite fieri, ſanguinis movens profluvium, quoties ad lumbos perveniret, natura per venas uteri humorem gravantem expurgare conanti: Hanc avertere fluxionem tentavimus, parvis venæ ſectionibus, & ad ſanguinis minuendam putredinem, quæ maxima erat; tentavimus etiam avertere levibus purgationibus: Imponendum quoque juſſi ſcapulis veſicatorium, quod propter intolerabilem urinæ ardorem, mutavimus in pyroticum ſupra ſuturam coronalem, qua parte ſagittalem attingit, eo quod frigus in tota hac regio-

regione ſentiret, de quo in poſterum fluente fonticulo, non conquerebatur: Præter cetera in vitæ regimine præſcripta, prævalebat caro bubula in juſculis, quæ ſanguinem multum incraſſat: vinum rubellum virium ratione concedebatur, parum aſtringens, & valde dilutum aqua, in qua nodulus maſtiches incoquebatur; aqua enim ferrata, ora venarum aperit, imo ventrem movet ex Germani cujuſdam ſententia, cui Riverius aſſentit cap. de diarrhœa, & dyſent. Purgationes, quia ægrotans genera quædam purgantium deprecabatur niſi in forma pilularum concinnata, fuere omnes ex mercurio dulci feliciter exhibitæ, ex gr. x. tantum cum duobus ſcammonii ſulphurati, roboratis, & in formam pilularum, cum guttula ſyrupi concinnatis; facile enim cedebat purgantibus ægrotans, ideo alia timebam, quibus oportet uti, cum in forma pilularum utendum eſt. Sanguinis profluvio urgente, uſus ſum telis aranearum modo jam dicto, quæ non ita feliciter ut alias ſunt uſurpatæ; præſcripſi quoque crocum martis aſtringentem, tribus conſecutis diebus mane ſumendum, quantitate ſcrup. j. qualibet vice, cum conſerva roſarum in formam pilularum concinnatum. Præterea juſſi, ut pluribus diebus mane uteretur juſculis hepaticis & refrigerantibus, immixtis quibuſdam ſanguinem ſiſtentibus hunc in modum.

℞. Folior lactu. portul. endiv. cichor. hepat. ſcabio. oxalidis, ana mj. centin. bur. paſtor. plantag. millefol. ana mß. decoquantur in juſculo carnium bubularum ſemiconfecto, in colat. ℥vj. diſſol. ſalis prunellæ ʒß.

Poſt hæc, fluente iterum ſanguine, præſcripſi doſim laudani ſupra ſcripti, hora ſomni ſumendam, quæ ſanguinem compeſcuit, dormiente tota nocte ægrotante: Interea multa, & infinita proponebantur remedia; quiſque enim ægram inviſebat, Medici, ut mos eſt, ſibi partes aſſumens, quorum quibuſdam uti permittebam. Tandem erumpente iterum ſanguine, præſcripſi tres doſes laudani prædicti, hora ſomni ſumendas; duas quidem duabus conſecutis noctibus; tertiam vero, duabus interjectis, aut una tantum, prout expediret; quibus profluvium omnino cohibitum eſt, manſitque ægra per menſem integrum, reparandis viribus indulgens. Menſe exacto quaſi menſtrua

purgatione redeunte, iterum fluxit ſanguis, ſatis tamen moderate, non autem ſine timore ægrotantis, à qua ſæpiſſime rogabar, quid ſentirem, illi ingenue reſpondi nulla me velle adhibere remedia, ne motum fortaſſe naturæ, ad priſtina officia redeuntis impedirem; & quidem recte, ſanguis enim per aliquot dies moderate fluens, ſponte reſtitit, perfectæ ſanitatis ſignum, quod poſtea confirmatum eſt, non amplius fluente ſanguine niſi ſtatuto menſium tempore.

De Uteri præfocatione, ſeu hyſterica paſſione.

CAP. XIV.

Plurima quæ de hyſterica paſſione ſcribuntur, non arrident auctori.

Dum à me conſiderantur prima exordia, & proceſſus affectionis, quæ uteri præfocatio dicitur; & à quibuſdam, præcipuo quodam jure, hyſterica paſſio: Non poſſum convenire in multis quæ ſcribuntur de illa. Primum quidem, quod ſit intemperies frigida; Quod fiat motu uteri ad ſuperiora; Quod tantum gignatur à ſemine corrupto, aut menſibus retentis: ut autem ingenue fatear quid ſentiam; dico hyſtericam paſſionem, non eſſe unum ſimplicem affectum, ſed plures, à vapore maligno exhalante, cujuſvis materiæ corruptæ, vel præter naturam efferveſcentis, ut in melancolia hypochondriaca, circa uterum, & interdum in ipſo ſtagnantis; pro natura quantitatis malignæ, & ſecundum naturam partium quas impetit, varia ſymptomata efficientis. Si cor, palpitationes animi deliquia, anxietates, aſphyxias; Si inſtrumenta reſpirationis, jactationes ſuſpirioſas, præfocationes, quas vocant uteri, Si ad caput aſcenderit vapor ille malignus, prout vel cerebri ſubſtantiam, vel meninges, vel utrumque attinget, diverſa, aut miſta excitabit ſymptomata; affectum ſoporoſum, garrulitatem, tremores, convulſiones, typhomaniam, capitis dolores. Si tantum medullam ſpinalem, aut nervos; convulſiones, tremores, ſtupores. Si in viſceribus hæreat vapor; rugitus inteſtinorum, partium hac parte poſitarum varias commotiones. Si ad ſtomachum feratur vapor; ructus frequentes, cardialgiam, nauſeam, & quandoque vomitum. Si autem plures partes vapor

Paſſio hyſterica, ſecundum auctorem, non eſt ſimplex affectus, ſed varius a vapore maligno exhalante in variis partibus exitatus.

por invadat, mixta erunt ſymptomata, & naturæ aliquando tam variæ, ut à veneficis indita putentur: Neque hoc ſine ratione; multa enim ejuſmodi, corporibus noſtris arte venefica immittuntur, quæ non niſi ex effectibus diverſis, ab iis quæ à natura fieri ſolent internoſcuntur. Cum igitur ſub hyſterica paſſione plures affectus comprehendantur, unicam omnium cauſam eſſe vaporem malignum aſſerimus, varia ſymptomata, & morbos inducentem; ſecundum partium varietatem, quæ ab illo afficiuntur: Quare muliercularum errori implicantur, qui utero ſurſum aſcendente, hyſtericam paſſionem fieri exiſtimant: Neque enim concedi poteſt uterum ſuis ligamentis firmatum, ſurſum ita aſcendere poſſe, ut motum diaphragmatis impediens, officiat reſpirationi uſque ad præfocationem, cum tempore geſtationis novem menſium, in quo valde turget, id non efficiat, licet tunc anguſtia ſit quædam ſpiritus, præcipue à paſtu. Quod ſi tempore graviditatis, quod rarum eſt, interdum fiat hyſterica paſſio, hoc non fit compreſſione diaphragmatis ab utero, fieret enim omnibus prægnantibus, ſed potius occurſu alicujus vaporis maligni, à materia quadam corrupta circa venas uteri, ex menſium prohibitione, naturæ legibus facta. Verum cum daretur, ex aſcenſu uteri, fieri hyſtericam paſſionem; cum hæc ſuffocatio, eſſet tantum una ſpecies hyſtericæ paſſionis, valde mancum eſſet, per hanc ſolum definire, cum ſint plures: Non negaverim tamen in hyſterica paſſione, uterum plerumque moveri; ſed motus ille non eſt cauſa hyſtericæ paſſionis, imo potius è contra: Cauſa enim hyſtericæ paſſionis, vapor ſcilicet malignus, utero gravis, & infenſus ſicut & aliis partibus, cogit eum ſe variis motibus contorquere; ut ab eo quod illi moleſtum eſt ſe expediat. Cum autem huic vapori ſit proprium, actiones partium quas invadit lædere, diaphragmatis, & aliorum inſtrumentorum reſpirationi inſervientium, ejus occurſu impediuntur, unde ſuffocatio illa, quæ dicitur hyſterica. Affectum quoque non permanentem, affirmare eſſe intemperiem frigidam, quæ ex Galeno nec cito fit, nec cito deſinit, minus ſtare poteſt, quam per refrigerationem; & ſi in aliqua ſpecie ſit corporis refrigeratio: cum ſcilicet vapor ille malignus, ad cor, & cerebrum aſcendit; tanta enim fit tunc ple-

Uteri aſcenſus non eſt cauſa paſſionis hyſtericæ.

rumque ſpirituum cohibitio, & horum principiorum alteratio, ut mulier gravi ſomno ſopita jaceat, ſine pulſu, aut parvo, cum totius corporis refrigeratione, nulla interdum in graviſſima paſſione hyſterica, apparente ad ſenſum reſpiratione. Adde in hoc affectu, non ſemper eſſe refrigerationem, ſed ſæpe calorem, ut vidimus in quibuſdam mulieribus, temperamento calidioribus, vino meraciore, & calidis gaudentibus condimentis. Præterea leves ſunt quædam hyſtericæ paſſiones, ſimplicem tantum, & parvam efficientes ſpirandi difficultatem, ſine alio ſymptomate; Quædam frequentes tantum ructus moventes: Quare hujus affectus expoſitio, neque per refrigerationem, multoque minus per intemperiem frigidam, neque per aſcenſum uteri deſcribi poteſt: Melius autem per affectionem ab utero, ex vaporis maligni aſcenſu, exhalante à materia corrupta, vel effervеſcente circa uterum, diverſa ſymptomata efficiente, pro varietate partium, ejus occurſu affectarum. Ex hoc patet quid ſit affectus hic, & qua ratione curandus; vacuando ſcilicet humorem corruptum, aut effervеſcentem; aperiendo vias, & vaporum aſcenſum impediendo. Si ſint obſtructiones, ut fere ſunt, expediendæ menſes provocantibus, qui vel non fluunt, vel parce fluunt, vel propter quandam obſtructionem, non omnimoda fit vacuandorum expurgatio; quæ ſunt omnium ſententia, poſt Galenum, ſemen corruptum, aut materia menſtruorum retentione corrupta, à qua, ut ait, fiunt leviores hyſtericæ paſſiones, quam à ſemine, multis de cauſis à Mercuriali enumeratis, lib. 4. de morb. mulier. cap. ultimo. Sed quærerem libenter ab eis, quanam in parte ſemen illud corrumpatur: Non quidem in propriis receptaculis ad ejus conſervationem factis, niſi in gonorrhœa virulenta, qua multæ mulieres laborantes, hyſtericis paſſionibus non tentantur: Si igitur ſemen corrumpitur, non poteſt illud fieri, niſi in cavum uteri emiſſum in coïtu, aut per nocturnas pollutiones, aut alia titillatione; quæ & viduis, & virginibus viro maturis, ſine coïtu accidere poſſunt, ſicut & nuptis, quæ raro hoc affectu tentantur: Porro autem, ſi hyſterica quædam paſſio eſt à ſemine, quod non niſi in matricis cavo corrumpitur; cur non excidit obambulantibus, ſicut aliæ impuritates, aut ſicut ſemen à coïtu cum non retinetur; cur in-

Paſſio hyſterica fit aſcenſu vaporis maligni ab utero.

Lib. 6. de loc. affec. cap. 5.

Semen retentum non eſt cauſa paſſionis hyſtericæ.

injectionibus detergentibus non poſſet deturbari, & ſic facilis eſſet, hujus ſpeciei hyſtericæ paſſionis curatio, nec tam atroces, ut putatur, inveheret paroxyſmos: Nullus tamen hac curandi ratione utitur, manetque ſæpe affectus per longa temporum intervalla, per vices repetens, iis tantum quæ non purgantur, vel male purgantur. Nam cum menſtrua purgatio recte ſe habet, non fiunt hyſtericæ paſſiones: alioquin non ſtaret doctrina Hippocratis, & Galeni, apho. 57. ſect. 5. abundantibus menſtruis morbos ab utero non evenire. Cujus doctrinæ fundamento, exiſtimandum eſt nullam eſſe mulierem, qualiſcumque ſit generis, ſive vidua, ſive virgo, ſive nupta, cui menſtrua non defecerint, aut diminute fluant, ſi hyſterica paſſione tentetur. Licet autem Galenus, lib. 6. de loc. affec. cap. 5. aſſerat viduas hoc ſymptomate frequentius aliis tentari; non affirmat cauſam eſſe à ſemine corrupto ſimpliciter; ſed ideo ait, probabile eſſe fieri à ſemine retento. Ego vero exiſtimo hujuſmodi viduis, quæ ſcilicet, ut inquit Apoſtolus, non ſunt in deliciis, propter vitam quam degunt ſolitariam, & triſtem, melancholicos ſuccos coacervari circa venas matricis, à quibus vel corruptis, vel effervеſcentibus, ut in melancholia hypochondriaca, facta vaporum elavatione, fit hyſterica paſſio, aut aliud ſymptoma pro natura, & qualitate humoris retenti, quæ aliquando ita maligna eſt, ut non ſit recurrendum ad ſemen corruptum. Quæ omnia non parvum mihi dubium injiciunt, an à ſemine corrupto & retento poſſit fieri hyſterica paſſio: Quod quidem permanebit, donec viderim hyſterica paſſione laborantem viduam, aut cœtus alicujus religioſi verginem, cui menſtrua recte proceſſerint. Sed à quacumque cauſa proficiſcatur hic affectus, diximus ſupra tribus curationem abſolvi: Quorum ultimum, vaporis ſcilicet aſcenſus prohibitio, reſpicit maxime paroxiſmum; alia vero duo ut caveatur, horum primum eſt vias aperire, per quas materia vacuanda, ne retineatur, & corrumpatur, quod menſes provocantibus perficietur, ut docetur cap. 12. ſuperiori: Alterum verſatur in materiæ corruptæ, & malignæ vacuatione, ſicut & effervеſcentis temperatione: Quæ ſi ſemen corruptum eſt, cum nullibi inveniam poſſe corrumpi niſi intra matricem; nullam viam magis

Viduæ ſæpius afficiuntur paſſione hyſterica, propter triſtiam & vitam ſolitariam, non vero a ſemine corrupto.

gis idoneam putaverim, quam ipſum deturbare injectionibus uterinis, ex decocto caulium rubrorum, mercurialis, arthemiſiæ, radicis ariſtolochiæ rotundæ, & melle. Interea utendum ſemen minuentibus, & ejus motum compeſcentibus: Quare mulier ſi nupta, congreſſu viri frequentius utatur; ſi virgo, nubat, niſi caſtitatem promiſerit; alioqui frugali vita utatur, & refrigerante; fugiat virorum conſortia, nec quidquam audiat, vel reſpiciat, quod venerem redolere poſſit, utatur balneis, demerſione corporis in flumine, ſi tempeſtas ſit congrua, ſicut & potu aquarum mineralium, ut ſunt quæ virtute vitrioli ſunt imbutæ; contra enim hunc affectum plurimum valent præcipue mulieribus temperamento calidioribus, à quacumque cauſa proficiſcatur, affectus. Ut etiam ſemen minuatur & temperetur medicamentum ſequens ſæpius uſurpandum præſcribatur.

℞. Senn. agni caſti. ℥ß. camph. gr. ij. terebenth. ʒij. fiat bolus cum ſaccharo, capiat mane.

Si autem cauſa ſit ſanguis menſtruus, mora propter obſtructionem, corruptione, & malignitate contracta, ut fere fit, menſibus viæ, ut dictum eſt, quocumque modo ſunt aperiendæ: Quia vero ſtagnans materia peccans, ſuccus eſt ut plurimum melancholicus, pilulæ de lapide lazuli, quæ deſcribentur poſtea cap. de febre quartana, cum opus erit purgante medicamento, imperentur: Vel ejus loco; doſis pulveris cornachini, in qua antimonium prævaleat, quod nihil aut parum facit ad ventris dejectionem; multum autem in delectu humoris purgandi, ut alias diximus, exemplo gayaci, cum miſcetur purgantibus pro lue venera: Horum etiam loco multum conferet vinum hyſtericum purgans, de quo in Enarrationibus, & de vaporum aſcenſu prohibendo, quod paroxiſmum avertit.

PROGNOSTICA.

Mulieri hiſtericæ ſternutamentum ſuperveniens; bonum. Hippo. aphor. 35. ſect. 5.

Hyſterica paſſio à ſemine corrupto, gravior quam à menſium retentione. Galen. lib. 6. de loc. affec. cap. 5.

Hy-

Hyſterica paſſio, in qua pulſus, & reſpiratio abolentur, omnium periculoſiſſima.

Hyſterica paſſio, in qua reſpiratio multum offenditur, quandoque interficit.

Sæpe chronicus eſt hic affectus, repetens per intervalla.

Hyeme, & autumno, fiunt potiſſimum hyſtericæ paſſiones.

Peſſimum eſt ſignum, ſi in præfocatione uteri, extrema madeant ſudore frigido.

Nuptis etiam fiunt hyſtericæ paſſiones, gravidis raro, viduis frequenter; junioribus, minus quam ætate provectis.

Enarrationes de quibuſdam Mulieribus hyſtericis.

OBSERVATIO PRIMA.

Mulier quædam nobilis, ætate circiter 35. annorum, firma ſatis utens valetudine, fœcunda, & viri non carens amplexu; incidit in uteri præfocationem magnam, & pertinacem, interdum quolibet die repetentem; alias alternis diebus, aut rarius, & inordinato invaſionis tempore. Quotieſcumque ſummo mane, moverentur per ſe ſternutamenta, ſigum erat paroxiſmi, eodem die poſt aliquot horas futuri; quo præſente, totum refugium erat fumus plumarum perdicum, aut ſoleæ ex corio crematorum, naribus exceptus, quo ſemper levabatur à ſpirandi difficultate, quæ maxima erat, perſeverante nihilominus paroxiſmo, per ſemihoram, per horam, & interdum amplius. Juvabatur etiam odore aſſæ fœtidæ, cum caſtoreo, in nodulo incluſæ: Quod non fit, ut quidam ſcribunt, ex eo quod uterus malos averſetur odores; bonis vero delectetur: Experientia enim comprobat, quædam valde odorata prodeſſe, ut ſunt pilulæ Plateri, ex gra. vj. moſchi, benioin. ℈ß. & ſaccha. ℥j. confectæ cum aqua cinamomi, dando ſcrup. ß. Cui quidem ſoli fidem non adhibuiſſem, niſi remedium cujuſdam vetulæ à Solenandro deſcriptum, propter felicem eventum, illud etiam comprobaſſet, quod Riverius mirabilia præſtare ſcribit, & ſimili caſu exhibitium à ſe ſemper profuiſſe: Componitur autem hoc remedium ex doſi ſtupenda moſchi, ex granis

Mulier hiſterica medicamento, cui ingreditur moſchus curata.

Remedium anti hiſtericum ex Solenandro.

nis ſcilicet xiij. & totidem ſanguinis draconis vulgaris in ℥iiij. aquæ florum malorum aureorum exhibitum. Sed remedia hæc ſunt magni ſumptus, & tantum pro ditioribus: Dabimus unum in ultima Enarratione, tria tantum ſimplicia recipiens, non minoris virtutis. Quaſdam etiam eſſe mulieres, quibus hyſterica paſſio exacerbatur fœtidis adhibitis; moſcho autem, & ambra, exhibitis demulceri, narrat G. Horſtius lib. 5. de morb. muli. obſervat. 26. Ex quibus fatendum eſt commentum eſſe, uterum bonis odoribus delectari; malos vero refugere: Cum inveniantur mulieres, quas ego quoque vidi quibus placebat odor moſchi, licet de affectibus hyſtericis conquererentur; alias vero quibus non placebat, quamvis non eſſent hyſtericæ: Quod in viris etiam accidit. Nam ego qui homo ſum, plus quam ſexagenarius, nunquam odorem moſchi ferre potui, niſi per modum prætereuntis: Quod ſi aliquid ejus ſolo odore imbutum, longiori tempore naribus meis oblatum eſſet, videbar mihi eſſe vacuus ab enteris, & ſtomacho; omnibus quæ in ventre ſunt everſis, cum parvo capitis dolore, & cibi faſtidio: Unde hoc? Nunquid quod homines patiantur, ut & mulieres ſimilem affectum, cum fit à ſemine, ut ſcribit Albertinus Bottonus lib. de morb. mulierum cap. 39. quod ridiculum eſt. Licet enim vir, & mulier, ſemen habeant, non ſequitur in utroque ſexu, à ſemine eadem fieri ſymtomata, quia in viris foras emittitur, nec intra corpus poteſt corrumpti, ad talia producenda ſymptomata; cum in gonorrhœa virulenta, nequidem hyſtericæ fiant mulieres. Quamvis autem homines quædam patiantur incommoda à ſemine retento, quæ ipſe Bottonus refert ex Galeno lib. 6. de loc. affec. cap. 5. ut ſunt capitis gravitas, vertigo, inappetentia, cruditas, febris, torpor, pigritia, & melancholica accidentia: Hæc omnia incommoda poſſunt quidem viris accidere, & mulieribus, à ſemine retento, tanquam à quadam plenitudine, effectus tamen, etiam in ipſis mulieribus, hyſtericæ paſſionis, non erunt, cum ab aliis cauſis extra uterum efficiantur: Nec à ſemine ſola quantitate peccante fit hyſterica paſſio. Quamobrem cum boni odores male habent viros, dicendum, ut & alii de mulierbus ſcripſerunt, hoc fieri à cerebro, quadam naturæ ſuæ repugnantia, cum tali odore af-

affecto, quod lege conſortii afficit ſtomachum. Sic in quibuſdam mulieribus, cerebrum ita à natura alienum eſt ab ejuſmodi odoribus, ut ipſo affecto, non ſolum ſtomachus, ſed & uterus coafficiatur, cujus perturbatione, ſi in eo ſit aliqua diſpoſitio, excitatur quædam hyſterica paſſio, quæ ſæpiſſime tantum ſtomachica eſt. Ratio autem quæ redditur à quibuſdam, cur hyſtericis in paroxiſmo, valde noceant boni odores; juvent autem mali, ſtare non poteſt in multis mulieribus, quod ſcilicet bonis odoribus partes ſuperiores dilatentur, fiatque hac ratione vaporibus hyſtericis aſcenſus facilior, unde major oppreſſio; contra vero, natura malos odores adverſante, partes ſuperiores contrahuntur, ut quod noxium eſt aditu prohibeatur, eademque contractione vaporum aſcenſus prohiberi: Sed hoc in mulieribus quæ pharmacis moſchum recipientibus juvantur, concedi non poteſt, nec juvare animadverti, niſi in ſpecie hyſtericæ paſſionis quæ ſuffocationem invehit; imo vidi multas mulieres, reſpuentes ejuſmodi ſuffumigia, aliis vero nihil proficere: Huic tamen valde juvabant, quia magna erat in paroxiſmo ſuffocatio. Hoc tempore admovebatur etiam pectini magna cucurbitula, licet à pluribus, duæ parvæ inguinibus adhibitæ magis probentur. Fiebant quoque ligaturæ dolorificæ digitorum pedis, & multa alia, quæ à variis locis mittebantur. Pro purgante, ad interſcindendam cauſam, uſi ſumus vino hyſterico purgante Hartmanni; quia autem mechoacam bonum non invenitur in hac regione ſicut Maſſiliæ, neque chamædris ſemper eſt in promptu, hoc modo præſcripſimus.

℞. Folior. ſenn. mund. ℥j. turbith. ʒiij. rad. brion. ʒij. folior. arthe. matric. cuſcu. ana mß. flor. cordi. pj. ſalis gem. ſcrup. j. ſuper hæc omnia inciſa, & miſta, injice vini prius fervefacti ℔ij. ſtent in loco frigido per diem; detur de colatura ℥vj. mane jujuno ventriculo, & veſperi circa horam tertiam, quandiu duraverit.

Præſcripſi etiam emplaſtrum hyſtericum ſupra umbilicum geſtandum quod multum profuit; hujus hæc fuit deſcriptio.

℞. Galba. in vino albo diſſol. ℥ß. aſſæ fœti. ʒij. fæcu. brion. ʒß. olei gagat. ʒj. olei rutæ ʒij. ceræ. q. ſ. fiat emplaſtrum latitudine unius palmi dimidiati, rotundæ figuræ.

Ab his remediis non ita urgebat paroxiſmus; affectus tamen perſeverabat: Per id tempus diſcedens Maſſiliam, à parentibus vocatus: Cum relatum eſſet marito ægrotantis, eſſe quamdam vetulam Bayonæ, quæ hyſtericas paſſiones ſanabat, curavit ſtatim ut veniret, quæ viſa ægrotante, petiit ejus nomen, in fonte baptiſmatis impoſitum, levibuſque factis quibuſdam remediis ſanavit. Poſt tres annos rediens Maſſilia, inveni eam à quibuſdam menſibus eodem affectu laborantem; quam præmiſſa purgatione, uſu vitrioli martis ſanavimus, & pro præſenti, & pro futuro, ſpreta vetulæ diabolica ſuperſtitione: Hoc vitriolum Maſſiliæ paraveram, motus Hartmanni ſcriptis, à quo utendi modum didiceram; præparationem vero ex baſilica Crollii; clarius tamen ex additionibus Bauderoni. Hoc remedium optatis feliciter reſpondet, cum hujus affectus ſymptoma, ſuffocatione urget, potius quam alio modo, ut experientia ſum expertus; mirandum tamen ejus agendi modus: Cum enim peterem ab ægrotante, quid ex uſu hujus medicamenti perciperet; ſentio, inquit, ſuffocatione incipere volenti, aliquid in ventre quaſi manus deorſum comprimentes, & ita impediri paroxiſmum. Rogatus etiam jam à principio ventrem ægrotantis inſpicere, miratus ſum hydropem mole repræſentare, ita vero mollem, & tractabilem, ut nihil in eo ſubeſſe dixiſſes, tanta erat, quod in eo continebatur, levitas & ſubtilitas, nullam faciens tenſionem, nec ſonum: Quod omne diſcuſſum eſt, uſu vitrioli martis, perfectaque ſanitas adepta.

OBSERVATIO II.

Mulier hyſterica bolo ex aſſa fœtida, Caſtoreo, opio &c. curata.

Cum diſceſſiſſem in oppidum quoddam, viſurus ægrotantem: Medicus in eo ordinarius, expeditis quæ circa illum facienda erant neceſſaria, narravit mihi de quadam muliere, quæ poſt aliquot à partu diebus, frequenter, & ſubito, ſtupendo ſymptomate corripiebatur, immota manens, ſine ſenſu, & oculis clauſis, brevi tamen temporis ſpatio, in lecto decumbens, alioquin in terram concidiſſet. Quia autem ægrota obſtetricem quamdam vetulam, quæ ipſi adeſſe ſolebat parturienti, hac vice non adhibuiſſet, credebant omnes

arte venefica, hoc ſymptoma fieri; quod & nobis etiam in mentem venerat, propter ſermonem habitum ab obſtetrice, iniquo ferens animo, aliam ejus loco fuiſſe adhibitam; non viſa tamen ægrotante, quod non eſſem vocatus, diſceſſi. Poſt annum, & amplius, perſeverante affectu, accepi literas à Medico ſupradicto, qui rogabat me, ut accepta epiſtola, hanc ipſam ægrotantem viſerem, optimo ſpecifio, ſi quod haberem, contra hyſtericas paſſiones inſtructus, veniens inveni ægrotantem in lecto decumbentem propter ſymptomatis frequentiam; prandente enim me in cubiculo ægrotantis, ſepties tempore prandii, ejuſmodi ſymptomate correpta eſt ſupra deſcripto. Surgens à prandio, dedi Pharmacopæo oppidi ſpecificum, quod mecum attuleram, deſcriptum à Riverio, cujus hæc fuit deſcriptio.

℞. Aſſæ fœtid. & caſto. ana ʒß. ſalis arthemi. & croci ana gr. ij. opii præp. gr. j. cum ſerap. de arthem. fiat bolus.

A ſumpto hoc ſpecifico, non amplius incidit in ejuſmodi affectum, quem arte venefica inflictum putabam; ad cujus præcautionem purgationes hyſtericæ præſcriptæ ſunt, de quibus ſupra, & uſus aquarum mineralium, quibus nihil præſtantius ad prophylaxim.

Observatio III.

Mulier hiſterica ſanata.

Mulier quædam nobilis in civitate, cepit conqueri poſt primum ſomnum de oppreſſione in viſceribus, capitis, & cordis dolore, animi deliquium minante, cum multis jactationibus & querelis morituram ſemper ſe affirmans. Exiſtimabam in principio hæc omnia eſſe à fluxione, cui erat obnoxia: Tamen cum viderem ſymptomata non ſibi conſtare, ſed reditu inordinato moveri, modo cum ſignis prima ſpecie formidandis, modo nihil mali præ ſe ferentibus; hæc omnia hyſterica eſſe affirmavi, ſtatimque dare de laudano meo paratu facili, & parvi ſumptus, ſtatui quod ſecundum partes dolentes, & morbos ſoleo parum immutare; pro ſomno enim conciliando, recipit tantum opium præparatum, & crocum pro correctivo, qui etiam ſomnum conciliat. Pro colico dolore, opium, & caſtoreum pro correctivo. In dyſenteria adduntur aſtringen-

tia, & ſic de ceteris, quæ in variis capitulis videri poſſunt: Sic in laudano hyſterico, additur cum opio caſtoreum, quod reſpicit morbum, & opii correctionem, additur etiam aſſa fœtida, quæ multum valet contra hyſtericas paſſiones: In hac ægrotante igitur, tale compoſuimus ſpecificum, quod ſupra promiſimus.

℞. Caſto. & aſſæ fœtidæ ana ʒß. Opii præpar. ut ſæpiſſime docuimus ex Quercetano gr. j. cum ſyrupo de arthem. fiat morſulus, capiat ſtatim; A ſumpto morſulo omnia ſymptomata conquievere, nocte dormivit, & ſanata eſt.

[illegible]

OBSERVATIONUM NICOLAI CHESNEAU MASSILIENSIS: DOCTORIS MEDICI:

LIBER QUARTUS.

De Arthritide, ſeu morbo articulari.

CAPUT PRIMUM.

ARthritis nomen à Græco *to arthron*; Latinis per antonomaſiam, à ſævitia doloris, morbus articularis dictus; quanam in parte dolor, & ejus cauſa continens exiſtere debeant, oſtendit; ut jure hoc ſymptoma tali nomine vocetur: Quidquid tamen in juncturis exiſtit cum dolore, morbi, aut ſymptomatis naturam aſſumens, arthritis non dicitur, niſi dolor ex affluxu humoris ſeroſi, & acris, qui periodice pluries repetit, ex quo imbecillitas articuli recipientis etiam arguitur. Qui enim ſemel, aut per longa annorum intervalla, juncturarum doloribus corripiuntur, affectus non arthritis, ſed recepto jam nomine, rheumatiſmus appellatur; ſicut & ceteræ fluxiones, in varias corporis partes irruentes, ſive externas ſive internas, ſive tantum ſemel hoc fiat, ſive per vices. Sennertus tamen, tract. de arthri. cap. 1. de natu.

Arthritis latinis dictus morbus articularis, a ſævitia doloris.

Rheumatiſmus quomodo differat ab Arthritide.

natu. arthrit. non probat in ejus definitione addi, quod per intervalla recurrit, quia in primo paroxiſmo, ſi apta nata ſit recurrere, non minus arthritis eſt, quam in aliis; ſicut febris tertiana, vel quartana, non minus tertiana eſt, vel quartana, in primo paroxiſmo, quam in aliis: Licet autem hoc verum ſit; quia tamen, per intervalla recurrere, eſt de eſſentia arthritidis, recte, & neceſſario, quod eſt de eſſentia rei, ponitur in ejus definitione; & ex eo melius innoteſcit natura arthritidis, ab aliis juncturarum doloribus. Cauſa hujus doloris arthritici, humor quidem eſt in juncturis, extra cavitatem ubi oſſa connectuntur, caret enim ſenſu; ſed in tendonibus, & membranis, articulos inveſtientibus: utrum autem humor ille in ipſis juncturis gignatur, an aliunde affluat, ex quibus locis & per quas vias, non conſentiunt Authores. Hippocrates lib. de affection. loquitur tantum de materia, ex qua fit arthritis. Hic morbus, inquit, à bile fit, & pituita, ſi commota in articulos incubuerit. Libro autem de locis in homine, & epiſtola ad Demetrium, ſcribit originem ducere à capite. Galenus lib. 10. de compo. medicame. ſecun. loca. differens de arthritide, ait, Arthritis eſt in omnibus articulis, podagra in pede, & iſchias in coxendice. Communem, ait etiam, habent hi tres affectus redundantiam humoris; ceterum aliquando irruens humor ſanguineus eſt; ut plurimum autem pituitoſus, vel ex pituitoſo, & bilioſo mixtus; quibus etiam miſcetur ſanguis: A capite autem humorem defluere oſtendit, ex eo quod poſtea ſcribit in curatione iſchiadis. Auxiliantur, inquit, etiam vomitus ipſis iſchiadicis, magis utique quam evacuatione per ventrem, ut qui revellant humorem repentem deorſum. Hoc etiam colligitur ex lib. 2. de different. febr. cap. x. ex Lacuna; dum ait, cerebrum, vel univerſum caput, excrementum in ſe collectum ad partes imbeciliores expellit. & lib. 6. de ſanit. tuen. cap. 9.

Cauſa doloris arthritici.

Paracelſus qui podagram curabat, ut ex ejus epitaphio colligitur; licet conceptis verbis raro loquatur, barbaris, & obſcuris nominibus caliginem mentibus offundens; aliquid tamen doctrinæ nobis afferet, ad hujus affectus cognitionem, multoque magis ad curationem, cum optimis in omnibus ſit ſemper inſtructus remediis. Tractatu ille de podagra, ait, morbus per

Paracelſus curavit podagram.

per ſe eſt liquor, cujus cauſa ſecus non habet, ac ſalſum minerale, aut ſuccus acetoſus; hujuſmodi ſi in microcoſmo producatur, & in ſynoviam, quæ talia averſatur impingat; tunc prout ſalis natura acuta, pontica, acetoſa, vel alkalica exiſtit, ita ſynovia afficitur, & dolorem, morbumque concipit. Eſt autem ſynovia, ex doctrina illius, ſubſtantia illa quæ proxime abit in alimentum partis, ex cujus colore, variat ſynoviæ color: Ideo lib. 1. de tart. cap. 2. tract. 4. ait ſynoviam in podagra eſſe gluten album, quo nutriuntur ligamenta: Et in annotationibus cap. 3. lib. 1. de tart. tract. 2. vocat ſynoviam, aquam articulorum. Ex his Petrus Fuhemannus, in conſil. de podagri. fluxionib. inveterat. quod habetur lib. 8. obſer. Grego. Horſtii, obſerv. 2. Hæc colligit. Proxima morbi cauſa, inquit, partim efficiens eſt; illa, juxta Paracelſi dogma, ſal eſt volatilis, & ſubtilis, qui cum fluxionibus, & catarrhis capitis, in ligamenta, & tendines articulorum ſe ſe inſinuat, & vehementi acrimonia, dolores intolerabiles excitat. Paracelſus tamen cap. 2. de utroque elleboro duplicem eſſe podagram ſtatuit; unam ex ſanguine, alteram ex fluxionibus capitis ortam. In ſanguinea, inquit, podagra, ſanguis ipſe ſævit inſtar rabientis canis; per aſtronomiam enim probatur, ſanguineam podagram ex canicularibus concitari, per ipſorum influentiam; contra hanc podagram, elleborus non prodeſt: Sed contra alteram, quæ oritur ex fluxionibus, ſive ſalſis, ſive acidis, ſive acribus, ſive corroſivis; illæ enim fluxionum conditiones, non calor, non frigus, non humiditas, non ſiccitas, podagræ cauſa ſunt: Quod ſi calor quidem, aut frigus, &c. ſentiatur; id tamen ab accidente provenit tantum, ob laborem, & conflictum, quem novit ſanum, & morbidum. Hæc doctrina, licet à multis rejiciatur, non parum prodeſt in cognoſcenda podagricarum fluxionum natura; Podagræ vero, quam à ſanguine furente inſtar rabientis canis, ortum ducere ſcribit Paracelſus; quia non fit tantum in canicularibus, ſed & alio tempore, vere præcipue, ſanguinis rabientis cauſam alteram ſtatuerem, ſales ſcilicet volatiles, & ſubtiles, qui cum fluxionibus à capite præcipitantibus immiſti, venas ſubeunt, quorum contrarietate, cum his qui jam diſſoluti in ſanguine exiſtunt, fit

Cauſa podagræ ſecundum Paracelſum.

Paracelſus duplicem ſtatuit podagram.

fit ut videmus in ſale tartari, cum ſpiritu vitrioli, ſanguinis ebullitio, qua exardeſcit, & furit, febriſque accenditur, ex quibus varius fit humoris æſtus ad partes ignobiles, arthritim, aut rheumatiſmum generalem efficiens, pro natura humoris, de qua cap. de rheumatiſmo Fernelius lib. 6. de partium morbis & ſymptom. cap. 18. docte, breviter, & dilucide, differens de arthritide, totus ſingularis in quibuſdam exiſtit; præcipue dum ſcribit, cujus naturæ ſit humor arthritidis parens, unde in articulos influat, & per quas vias. Neque humor hic, continens arthritidis cauſam, inquit, tam varius atque traditur exiſtit; neque enim ſanguineus, neque biliosus, neque melancholicus unquam eſt; ſed omnino vel pituitoſus, vel ſeroſus, perperamque arthritidis differentiæ ex humoris ſpecie ſtatui ſolent, ut illa calida, alia frigida ſit, ſed omnis frigida eſt, ex frigido humore genita; Quod ſi rubor, aut calor, interdum, maximeque in chiragra, & podagra cernitur; is non ex morbi eſſentia, ſed ex vehementia fit doloris, qui ruborem caloremque, nonnunquam & febrem accerſit; Quæ potiſſimum iis eveniunt, qui conſtitutionem corporis habent impenſe calidam, atque plethoricam, & qui levi occaſione febribus corripiuntur. Quod idem eſt, ac affirmare cum Paracelſo, hoc fieri ex accidenti, & ex conflictu. Unde autem influat humor, & per quas vias, paulo inferius exponit. Alia igitur quam ex intimis, inquit, eſt arthritidis origo; hoc autem caput eſt, non quidem cerebrum, aut interiores ejus ventriculi, in quibus excrementum pituitoſum cumulari, coacervarique ſolet; hoc vel foras per nares, vel per palatum in aſperam arteriam, atque pulmones, aut in ventriculum, interioreſque ſedes illabitur; ſed partes capitis externæ, & extra calvam poſitæ origo ſunt arthritidis, ex quibus ſupervacaneus humor, per ſumma corporis, ſub cute deorſum decurrit, venæ enim multæ ab externis jugularibus deductæ eo excrementa ſua tenuia deponunt.

Fernelius ſtatuit omnem podagræ cauſam eſſe frigidam.

Sennertus trac. de arthritide, cap. 2. contrariam omnino tuetur ſententiam, affluxum ſcilicet, humoris arthritici cauſam, fieri per venas, & arterias, humoremque in eis contineri affirmans: Sed omnes ejus fere rationes æque fluxioni à capite aſtipulantur; quas pro Fernelii, & Medicinæ luminarium, alio-

Sennertus affirmat cauſam arthritidis eſſe affluxum humoris per venas & arterias.

rumque quamplurimorum doctorum defenſione, ſingulatim excutiam.

Prima ratio. Inſtante paroxiſmo in arthriticis, ſolent vaſa quæ ad manus & pedes tendunt, & extremis articulis inſeruntur, intumeſcere; ergo, &c.

Reſpondemus primo vaſa ſæpiſſime non intumeſcere; ſecundo ſi intumeſcant, id fieri, vel ex humore defluente à capite, qui non ſolum venas ſubit, ſed alias etiam partes vicinas; vel, ſecundum Fernelium, vaſa replentur ſanguine, occaſione doloris ad partem confluente, vel alios humores concitari, ſimul cum fluxione à capite, quod ipſe Sennertus non negat, loco citato.

Secunda ratio. Morbus hic ſubito invadit, & affluxus ſubito fit; quod nonniſi per venas, & arterias fieri poteſt.

Reſpondemus fluxiones à capite, ſivé arthriticas, ſive alterius generis, interdum fieri ſubito, interdum pedetentim; non ita tamen fiunt ſubito, quin primus ſentiatur humoris affluxus. Reſpondemus ſecundo, argumentum nihil concludere, cum fluxio à capite ſubeat venas, & per eas ſæpe feratur ad articulos; interdum ſub cute, ut vult Fernelius; Et interdum per muſculos, per media præcipue illorum ſpacia.

Tertia rato. Dolor ab uno loco in alium migrat, præcipue ſi parti affectæ repellentia, & refrigerantia applicentur; & qui dolor nunc pedem affligebat, pede liberato, nunc alterum pedem, vel manum affligere incipit.

Reſpondemus non eſſe opus adhibere refrigerantia, & repellentia, cum ſine his, hoc quotidie fiat: Non quidem per venas, & arterias eo modo quo putat Sennertus; ſed una parte relicta, in aliam à capite novo deſcendente humore: At qui jam in pede fixus erat, ſurſum remeare, & alterum pedem, aut manum affligere, errant qui talia imaginantur. Pedis potius ſubtiliori, & acriori cruciante materia diſcuſſa, altera irruit à capite recens, in aliam partem; neque enim omnino dolor ſedatur in parte primum affecta, niſi rariſſime; dolet equidem ſi moveatur, & ſæpe tumet in longum tempus. Hanc quidem ſurſum materiæ tranſlationem fieri non negarem, ſi per modum anathymiaſis fieret, ut in arthritide vaga, de qua Wie-

rius lib. 2. obſer. cap. de varenis. At humorem ſeroſum, naturæ gravem, & moleſtum, atque in remotiſſimas partes excuſſum, ſurſum aſcendere, & iterum venas, & arterias ſubire, hujus commeationis rationem non invenio; eſſet enim, ut inquit Helmontius, ſcribens de catarrhis, via crudelis, quæ trans fontem vitæ, malum humorem duceret. A vitæ fontibus quoquoverſum malos humores expellere, naturæ quidem opus, ut in criſibus accidit, & etiam ſine criſi; ſed pedis humorem arthritidem facientem, per venas, & arterias ad manum aſcendere, commentum eſt, & ſententiæ Galeni. lib. 2. de differ. febr. cap. ultimo, omnino contrarium. Neque Hippocratis aphoriſ. 28. ſect. 4. hoc probat. Quibus excrementa ſunt bilioſa, &c. Bilis enim tunc non eſt extra venas; multoque minus, quod bilioſum apparet in excrementis, eas ſubit, ut ad caput feratur; ſed quod intra venas eſt, vel per anathymiaſim, vel cum ſanguine ad caput aſcendit. Nec idipſum etiam probat Calvi hiſtoria 3. Epide. ſect. 3. cui derepente dextrum femur doluit, cum febre acuta; tertia vero die quieſcente dolore, mente motus eſt: Delirium enim iſtud non humore, ſed vapore ad caput aſcendente factum eſt; Aut quod ſæpe fit, parte principe, capite. v. g. à maligno aliquo humore in ſe concepto, vel aliunde tranſlato oppreſſa, contendit natura, à parte principe ad ignobiles, hujuſmodi humorem protrudere: ſed copia, aut malignitate obruta, ab eo quod remanet opprimitur, non autem à portiuncula ad coxam, ut in Calvo, amandata, ſurſum remeante: Quemadmodum accidit in febribus malignis, in quibus exanthematum fit quidem eruptio, moriente interdum ægrotante; non retrocedentibus quæ jam in cute exiſtunt, ſed ab iis quæ intus remanent, aut ab exhalatione maligna, à quibus fiunt, partibus interioribus, præ debilitate, hærente; Sudor enim dum tendit ad cutem, vapor eſt, ſicut exanthemata exhalatio quædam: unde facilis eſt eorum retroceſſio. Sed dolor ab una parte in aliam migret, quantumcumque voluerit Sennertus, dummodo primus deſcenſus humoris eſſet à capite, ſatis eſſet.

Naturæ opus eſt per criſim, a vitæ fonte malignos humores expellere.

Quarta ratio. Febres tum continuæ, tum intermittentes, in arthritidem terminantur, quod fieri non poſſet, niſi materia eſſet in venis.

Re-

Reſpondemus primo, non omnium febrium continuarum materiam eſſe in venis, & intermittentium, omnem fere extra venas. Sed ad rem melius ſibi reſpondebit Sennertus, quaſdam febres terminari quidem in dolores juncturarum, ſed hos dolores non eſſe vere arthriticos: ſicut & illi de quibus 7. collig. cap. 3. ſcribit de ſeipſo Averroës, ut infra videbitur, in reſponſione ad 6. argumentum Zacuti. Secundo dicimus, ceſſare febrem quæ à fluxione capitis in viſcera, originem ducebat, humore relictis viſceribus, ad articulos divertente. Tertio dicimus, dolores juncturarum non vere arthriticos, quibus febres terminantur, poſtquam quieverint, partes interdum debiles relictas, poſſe fluxiones podagricas à capite, in poſterum excipere, ceteris conſentientibus. Vide obſer. 4. cap. de colico dolore. Omnium febrium continuarum materia non eſt in venis.

Quinta ratio, & omnium maxime infirma, qua neſcio quomodo vir doctus uti voluerit, hæc eſt. Tandem ſolet febris accidere, & pulſus mutatio fieri, quæ humorem in venis, & arteriis contineri indicant. Dij immortales! quot ſunt morbi, quibus tandem febris ſupervenit, quorum materia non eſt in venis; ut vulnera, pleuritis catarrhalis, pthyſis, multæ viſcerum affectiones, pororum conſtipatio, & plures alii, quibus ſatis probatur, non eſſe ſtatuendum à febre ſuperveniente, cauſam eſſe in venis. Imo ipſæ fluxiones à capite ſæpiſſime generant febrim, ut videmus in pluribus rheumatiſmis. Et hæ ſunt rationes quibus nititur Sennertus ſententiam ſuam ſtabilire: Videamus nunc quibus argumentis, quæ ab antiquis, & multis Neotericis, præcipue Fernelio, hac de re ſtatuuntur, conetur evertere.

Primum argumentum. Cum humor arthriditis cauſa, in venis, & arteriis contineatur, ratio nulla reddi poteſt, qua neceſſitate, vel naturæ, vel morbi, humores iſti, neceſſario prius in caput debeant aſcendere, ante quam in pedes ferantur; præſertim cum patens, & recta via ſit, qua per venas, & arterias, moveri, & in eos ferri poſſint.

Reſpondemus neminem negare, materiam humoris ex quo gignitur arthritis in venis contineri; non autem puram, quemadmodum cum decidit à capite, omninoque ſanguini eſſe

permixtam, à quo non ſeparatur, niſi in tertia coctione, quæ fit in capite, cum per urinas præſertim, & ſudores non excernitur, ut ſit materia ſufficiens gignendæ arthritidis, eum aliæ cauſæ concurrunt: Cujus autem naturæ ſit ille humor; unde præcipua ejus materia; & quomodo in venis, & arteriis contineatur, paſſim hoc capite demonſtratur. Tribus vero modis ad caput aſcendere probari poteſt: Primo cum ſanguini ſit permiſtus, neceſſario cum eo, per totum corpus circumfertur, in partium alimentum: Cum autem caput multo alimento, præ ceteris partibus indigeat, majorem ex ea materia, generat humoris illius arthritici proventum; hoc autem multo magis, ſi caput fuerit imbecillum; tunc enim materia illa arthritidis, quæ ſalſa eſt, & acuta, ab imbecillo calore nec devicta, nec excreta, ſedem ſibi facit in ſero, quod eam in gremio ſuo facile recipit, propter conſentientes utriuſque naturæ proprietates, aquoſa enim facile ſales diſſolvunt, & cum ipſis miſcentur: Hoc ſero ſalibus varii generis imbuto, venæ, & arteriæ capitis turgentes, præ copia, aut frigore externo comprimente, illud in partes vicinas deponunt, unde variæ in varias partes fluxiones fiunt, ut dictum eſt cap. de fluxio. rejiciente qualibet parte, quod nutritioni ineptum eſt, & multo magis ſi qualitate moleſtum; Unde in varias corporis partes, ab una, in alteram aguntur hujuſmodi humores acuti, donec in debiliorem rejiciantur, à qua, ut inquit Galenus, impoſſibile eſt relabi ad fortiores. Secundo modo, materia illa arthritidis cauſa, ad caput aſcendit, per ſanguinis circulationem, quam nunc omnes Anatomici fatentur, licet non eodem modo fieri ſcribant: Ego quidem, hac poſita, miratus ſum, quomodo ſanguis ab uno brachio extractus, corruptus eſſet; poſt triduum vero ab altero extractus, purus exiſteret: Sicut & in nobili muliere, fluxione in pulmones laborante, cum febre acuta, cui in principio morbi, ſanguis ab utroque brachio detractus, valde corruptus apparuit; poſt quatriduum vero, ex aperta ſaphena, puriſſimus effluxit, cum de induſtria, per modum fontis ſalientem ſanguinem, in vaſculo excipiendum curaſſem: Mirabar, inquam, quomodo per circulationem, ſanguis purus cum corrupto, per triduum non fuiſſet immiſtus. Ex his neſcio quid mihi

Tribus modis materia arthritidis ſanguini permixta ad caput adſcendere poteſt.

Lib. 2. de febrib. cap. ultimo.

mihi ſtatuendum de circulatione: Sed hac de re penes anatomiſtas; nobis tantum ſit curæ de iis quæ ad artis opera conducunt. Quemadmodum, quod animadverterim in pluribus venæ ſectionibus, ratione fluxionum à capite, ſanguinem extractum è latere, in quod fluxio impingebatur, valde corruptum extitiſſe; ex altero vero, nullo modo: Unde exiſtimandum eſt, fluxiones à capite delabentes in latus dextrum, vel ſiniſtrum, hujus lateris venas ſubire, & ſanguinem corrumpere, alio manente intacto; quod etiam contradicit circulationi. Poſſem etiam tertium modum addere, quomodo à venis & arteriis, humor ille aſcendat ad caput, qui ab epiſtola Hippocratis ad Demetrium deſumitur; caput ſcilicet in modum cucurbitulæ attrahere; ſed quia caput non attrahit, niſi ſanguinem alimentarium, ſufficient quæ dicta ſunt: Vi quidem, & coactum, invadunt vapores caput, & ab humoribus excrementitiis ad eum confluentibus patitur, præcipue cum imbecillum eſt; noxia vero attrahere, nulli parti inditum, imo potius expellere.

Secundo argumento, de venis tumentibus inſtante paroxiſmo; & tertio, de mutatione ſubita doloris ab una parte in aliam. Sat ſuperque reſponſum eſt ſupra, in primæ, & tertiæ rationis ipſius Sennerti reſponſionibus.

Quartum argumentum. Si humor ſub cute, per ſpatia deflueret, in partibus per quas tranſiret dolorem excitaret.

Reſpondemus hoc interdum fieri; alias vero minime, ſecundum naturam, & modum humoris deſcendentis. Cum enim humor pedetentim fluit à capite, nullibi hærens in via, poteſt circa ſenſum ad pedes uſque pervenire, nullum faciens dolorem, niſi in parte in qua ſedem figit, præcipue ſi non multus, & qualitate acri parum præditus. Hoc in pleriſque comprobavimus, qui cum doloribus partium inferiorum tentari inciperent, nullus intermediis fiebat, nec cuipiam veniſſet in mentem, effluxiſſe humorem à capite: Temporis vero progreſſu, aucta capitis intemperie, & ex inde humore excrementitio, facile percipiebat ipſe ægrotans, unde, & per quas vias humor irrueret, varias ſibi ſedes in deſcenſu faciente humore: Quod nunc in me ipſo etiam experior. Vide hac de re cap. 2.

de fluxion. lib. 1. & Enarrationem 3. cap. 1. de doloribus ſtomachi, lib. 3. Ipſe etiam Sennertus fatetur, humorem à capite ſub cute defluere; ſed ſolito ſuo effugio, dolorem quem excitat in juncturis, negat verum eſſe arthriticum. At ſufficit ad ſolutionem argumenti, ut hoc fiat, cum ſæpiſſime, citra ſenſum partium intermediarum, accidat.

Sæpe accidere, ut quis ſubito ex ira vel furore in arthritidem incidat.

Quintum argumentum. Sæpe accidit ut ex ira, & furore, ſubito quis in arthritidem conjiciatur: quod certe accidit, humoribus in venis, & arteriis ſubito commotis: Si vero ſub cute capitis, illi ſenſim cumularentur, id accidere non poſſet.

Reſpondemus hoc argumentum parvi eſſe momenti: Quis enim ignorat, humores in capite fluxioni paratos, ſubito non poſſe concitari in aliquam partem, ex violento animi motu; imo ex ſubita capitis refrigeratione. Licet enim in capite ſenſim gignantur, ſicut alibi, qui jam ſunt geniti, fluxioni parati ſunt, ſubitoque in aliquam partem concitari poſſunt: non tamen ita ſubito, quin plures interdum horæ intercedant.

Sextum argumentum. Si origo humoris ſemper eſſet in externa capitis parte, cur ad eam ſedem, curatio præcipue non dirigitur, & veſicatoria, cauteria, & ſetacea, cervici non applicantur. Quaſi vero hoc non fiat, ſed humoris abundantia circumfluens, eludit hæc auxilia: Neque humor ad articulos irruens, illac tantum fertur, ſed per tempora, pone aures, & per totam capitis ſuperficiem: Aliquando tamen proſunt cauteria, & alia ejuſmodi, præcipue cum humor non abundat, ut patet ex Enarratione 2. hujus cap. & ex multis aliis experientiis.

Septimum argumentum & ultimum. Si origo humoris ſemper eſſet in externa capitis parte; etiam ſigna ejus ibi cumulati, & deſcendentis adeſſe deberent, quæ tamen in plurimis non animadvertuntur, quos capite plane ſalvo arthritis invadit.

Frigus inſolitum capitis, eſt indicium humoris in eo cumulati.

Reſpondemus ad hoc probandum, non eſſe opus ut adſint omnia ſigna, quæ à Fernelio recenſentur, tam cumulati, quam deſcendentis humoris; ſufficiunt quædam magis propria; Ideo cumulati humoris, ſatis eſt frigus capitis inſolitum, aut dolor, cui evaneſcenti, ſuccedunt poſtea inferiorum partium dolores:

Satis

Satis eſt etiam, ad cumulantis ſe humoris indicium, ut fiant in capite parvi tumores, ſive duri, ſive molles, ſponte poſt aliquot dies evaneſcentes; ſicut & mollis craſſitudo cutis capitis inſolita, ſi tactu præcipue doleat: Ego quidem ſcio, me his ſignis, pluries prædixiſſe partium inferiorum dolores futuros. Satis quoque eſt, ſi ægrotus fateatur ſe eſſe capite imbecillo, vel minimos, caloris, aut frigoris ſentiens appulſus. Adde ſi antea doloribus capitis eſſet obnoxius æger, parvuliſque fluxionibus ſupra dentes, guttur, aut corizam ſæpe facientibus: Quia progreſſu temporis, invaleſcente cauſa fluxionum, augetur humor excrementitius, ultraque progreditur. Deſcendentis vero humoris, ſignum maxime proprium eſt, frigus inſolitum, aut calor, aut dolor, alicujus partis ſuperioris, v. g. colli, ſcapularum, & dorſi, quæ parte inferiore dolente, ut plurimum evaneſcunt, niſi fiat epigeneſis; tunc enim propter humoris abundantiam, partibus inferioribus affectis, ſupernæ non liberantur. Quod ſi cuipiam hæc non ſufficiant, quæ in pluribus, & in me ipſo partim expertus ſum, & experior; precor ut propria experientia edocti, id ipſum fateri cogantur; fiatque illis, quemadmodum Galenus, loquens de dolorum generibus, ſcripſerit de Archigene, qui ita omnium affectuum, inquit, proprietates deſcribit, ac ſi omnes ille fuiſſet perpeſſus. Quod autem capite plane ſalvo, fiat quiſpiam arthriticus, omnino falſum eſt: Videntur quidem bene valere à capite; quia cum hoc morbo tentari incipiunt, humor paucus eſt, quam ob rem, ſuæ generationis non dat indicium, præcipue ſi ſtatim atque genitus eſt dilabatur à capite: Nec illius deſcenſus ullum ſæpe ſignum oſtendit, niſi in aliqua parte deſcendens moram faciat, ut multoties comprobavimus. Sed progreſſu temporis, poſtquam capitis refrigeratio, & imbecillitas auctæ ſunt, altaſque egerunt radices, ſemper quædam ex ſupradictis ſignis deprehenduntur, plus, minus, progradu intemperiei, & imbecillitatis, ut videbitur in Enarrationibus. Sed video Sennertum ſolito ſuo effugio, dicentem, hoc raro apparere in arthritide: Contra autem hoc effugium, poſtea, & magis ad rem ſuo loco, & in prima Enarratione hujus capitis.

Laurentius inpugnat ſententiam Fernelii de cauſa arthritidis.

A. Laurentius, in opuſculo de arthride, ſententiam Fernelii,

lii, tum, ratione materiæ, tum ratione originis, tum etiam ratione viarum, per quas fluit humor excrementitius ad articulos omnino abſurdum eſſe ait; volens tamen materiam arthritidis, à partibus extra calvam poſitis interdum defluere; ſed magis ab ipſo cerebro, & partibus internis aliquando etiam à venis, jecore, ſtomacho, renibus, inteſtinis, & matrice. Ne in partium enumeratione errans deficeret, neſcio, quomodo ſplenem non adjecit, fontem quatuor ultimis quos enumerat magis præcipuum; Hoc autem multo magis, cum ab omnibus humoribus velit arthritidem fieri, contra Fernelii ſententiam, quam magis veracem in hoc exiſtimo, cum tantum humorem unum arthritidis cauſam ſtatuit, quam cum de origine humoris, & viis per quas fertur ad articulos differit; licet in his acutiſſimus etiam exiſtat, non meo tantum, ut ſupra ſcripſi, ſed Framboiſierii, & Riverii judicio, ut videbitur infra. Rationibus autem quibus utitur Laurentius contra Fernelium, ſatis ſuperque reſponſum eſt ſupra, in argumentis Sennerti, & adhuc reſpondebitur infra, in argumentis Zacuti, qui iiſdem fere utitur. Aliquid tamen dicendum eſt ad ea, quæ Laurentius reſpondet Fernelio, aſſerenti à venis jugularibus externis, excrementa deponi in partibus ſupra calvam poſitis, ex quibus exurgit materia fluxionum. Non eſt, inquit Laurentius, magis neceſſarium, ut jugulares externæ, in partes capitis externas excrementa deponant, quam quod aliæ venæ quamplurimæ poſſint ad juncturas ſua excutere excrementa. At non eſt par ratio; longe enim plures venæ ad caput deſinunt, quam ad juncturas. Præterea non advertit Laurentius, quæ ſit potiſſima ratio, cur excrementa deponantur, & gignantur in capite, ejus ſcilicet refrigeratio, & imbecillitas, ex alimento enim partis non probe confecto, multa ſuperſunt excrementa, quæ præ debilitate partis coacervantur; ſicut & humiditates à vaporibus elatis, unde fit poſtea materia fluxionum: cum caput autem, ceteris partibus injuriis externis ſit magis obnoxium, facile patitur; præcipue ſi jam fuerit imbecillum; majori namque alimento opus habenti, major ex eo fit excrementorum proventus; quæ omnia juncturis non accidunt: Abſurdius eſt igitur negare cum Laurentio, excrementa poſſe cumulari in

cal-

calvaria, quam id cum Fernelio affirmare; multoque abſurdius eſſe puto, dato quod cumulentur, ut dandum eſt, afferre pro ratione, quod ſi cumularentur, præ tenuitate, per inſenſibilem tranſpirationem, aut frictionibus diſcuſſum iri. O egregiam avertendæ fluxionis viam, quod potiora Medicinæ remedia efficere non valent: Oſtendit Laurentius parum hæc perpendiſſe: Nam quoties videmus ægrotantes fluxionibus obnoxios, quoſdam de cujuſdam frigoris ſenſu inſolito, in aliqua parte capitis conquerentes; alios de quibuſdam tumoribus in capite enaſcentibus; alios de craſſitudine inſolita partis alicujus capitis; alios paſſim infeſtari doloribus in capite, qui digito preſſa cute exaſperantur. Quæ omnia cumulati humoris certiſſima ſigna exiſtunt, ut jam ſupra diximus: Nihilominus, multis adhibitis auxiliis, ex potioribus Medicinæ, perfecte ſanare non poſſumus: Sed de hoc etiam inferius. Quod autem mihi magis, ratione Fernelii, movet ſtomachum: Non tam eſt Laurentium pluribus in locis, eum abſurditatis inſimulare: quam falſa illi imponere dicentem, quod ſi artrhitis ab externa capitis parte fieret, oportere phlegma craſſum, & glutinoſum ad caput transferri, & deinde defluere ſub cute ad juncturas, quod, inquit, abſurdum eſt omnino. Ego vero, plus quam abſurdum exiſtimo, hoc comminiſci, neque enim hoc unquam ſomniavit Fernelius, phlegma craſſum eſſe cauſam antecedentem arthritidis: ut infra dicetur, in reſponſione ad argumentum Zacuti, qui exemplo Laurentii, hoc ipſum affert pro ratione contra Fernelium. Neſcio quomodo viri docti aliquando obdormiant.

Dolores capitis, qui digiti preſſura exaſperantur, ſunt ſigna humoris in eo cumulati.

Framboiſierius lib. 6. legum. ſuarum de cura arthri. quorumdam Authorum ſententiis allatis, qui omnes Fernelio adverſantur, concludit tandem lege 9. ſe duos fontes arthritidis agnoſcere, cerebrum, & jecur: ſeque admittere viam, per quam fit fluxio ad articulos, quam Fernelius non minus ſubtiliter, quam veraciter aſſignavit; etiam ſpeciem humoris quam deſcribit: Sed aſſerimus, inquit, ſecundum Galeni decretum, & antiquorum, varios humores fluere à jecore, per venas, in ipſas juncturas, & non ſolum in partes circumvolventes eas. Non eſt hoc contra Fernelium, virum doctum, abſurditatis no-

Framboiſierius duos arthritidis fontes agnoſcit, cerebrum & jecur;

nomine ut Laurentius: nec ridiculi inventi ut Zacutus, uti: Sed rationi conſentanea ab aliquo inventa, amico animo comprobare, vel urbane impugnare. Quod autem arthritidis cauſa proxima & antecedens, à jecore, & aliis viſceribus non habeat originem: nec ab aliis fiat humoribus, præter à ſeroſo & tenui, demonſtrabitur inferius. De loco vero articuli in quem impingitur humor dolorem efficiens: jam dictum eſt non eſſe cavitatem, nec oſſium ligamenta, quia obtuſo, & nullo fere ſunt ſenſu: ſed tendones, nervos & membranas, proxime juncturam inveſtientes, licet humor penetret in cavitatem quantumque quis voluerit.

Zacutus bilem & pituitam.

Zacutus ſequens in hac diſceptatione, miſcellaneam, ut ita loquar, ſententiam, ſtatuit cum Hippocrate, arthritidis materiam, ſaltem frequentiorem, bilem eſſe & pituitam: Cum Fernelio, poſt Hippocratem, caput arthritidis unum ex fontibus eſſe fatetur: Cum A. Laurentio colligi materiam arthritidis, in capite, jecore, intimis viſceribus, & ventriculo: Cum Sennerto convenit in eo quod materia per venas fluat ad articulos, ut videre eſt in ſuo decreto, quod infra deſcribetur. Sed à ventriculo, pituitam in eo genitam, immediate per venas defluere in articulos, non concederet Sennertus, & merito, qui hanc materiam vult tantum generari in jecore, & ſplene, non autem in capite, à quibus facilior via, per venas, & arterias ad articulos: adde quod pituita quæ generatur in ſtomacho, ut plurimum glutinioſa, & ad fluendum ad articulos inepta, quod tantum pituitæ ſero perſimili convenit, ut recte monet Fernelius. Ex tot tamen fontibus, quos Zacutus aſſignat, quis in verum non incurret, à quo arthritis originem ducat: Magis tamen miror, eum qui unum ex fontibus materiæ arthritidis, caput agnoſcit, Sennerti argumentis, & aliorum qui hoc impugnant, uti voluiſſe, ut Fernelii ſententiam, Priſcorum decreta, & limpidiſſimos, ut ait ſynceræ Medicinæ fontes, exilibus rationibus, ne dicat nugis, perturbaret, miſere labi in hoc, & corruere ridiculum ejus inventum oſtendat. Quomodo Author ſanæ mentis, virum quem paſſim in ſuis ſcriptis, vocat doctiſſimum, & Medicinæ coryphæum, talibus auſus eſt convitiis inſectari, tanquam gladius anceps. Credo

do non fuiſſe memorem eorum, quæ lib. 1. quæſt. 48. hiſto. 82. ſcripſerat contra Galeni obtrectatores, quos ait alieni nominis ruina, gradum ſibi parare ad gloriam: cum in eodem vitio involvatur, lib. 3. Quæſt. 43. contra Fernelium: Sed probrum in os ejus rejicitur à Sennerto qui de hac Fernelii ſententia loquens: Hauſiſſe autem videtur, ait, hanc opinionem Fernelius, è Galeno 10. de compo. medic. ſec. loca, cap. 2. Deinde paulo inferius, ſubdit: Galenum, & Fernelium ſequuntur quamplurimi alii Medici, quos omnes ait errare. Ergo in cauſa arthritidis ſtatuenda, Galenum ſequitur Fernelius, multoſque habet Medicos ſequaces, qui cum ipſo, exilibus rationibus, & nugis Medicinam perturbant, miſere labuntur, & corruit eorum ridiculum inventum, ſi vera ſunt quæ dicit Zacutus. Sed ſpero pro Fernelii, & pro illius quem ſequitur, & ſequacium defenſione, palam facere, hoc potius de Zacuto dicendum eſſe. Si quis enim attente perlegat, quæ in paraphraſi ſupra citatæ quæſtioni præmittit; Quibus argumentis utatur contra Fernelium; Et quid ſtatuat in ſententiæ ſuæ decreto: Plurima inter ſe pugnantia, falſa, & ſe mutuo deſtruentia animadvertet. Primo quidem in paraphraſi, ex variis locis Hippocratis, & Galeni, oſtendit caput eſſe pituitæ promptuarium, ex quo fiunt humorum effluxus in articulos, & in alias partes; Ideo ſententiam Fernelii, tantum reprobam eſſe generaliter ſumptam fatetur. Si igitur Fernelii ſententia vera eſt in quibuſdam, & conſona doctrinæ Hippocratis, & Galeni, ut patet ex locis, quos ipſe Zacutus affert, in jam citata paraphraſi, & ex eo quod in principio hujus capitis, & proxime ex Sennerto attulimus: Quomodo Priſcorum decreta perturbat Fernelius; quomodo miſere labitur; & quomodo corruit ejus ridiculum inventum: Præcipue cum ipſe Zacutus in ſententiæ ſuæ decreto, ſtatuat efficientem arthritidis cauſam, aliquando colligi in intima, ſæpe in extima parte capitis, quod ſententiæ Fernelii omnino conſonat; licet Zacutus etiam colligi ſcribat, & in venis, & in jecore, & in ventriculo, interdum & in intimis viſceribus. Neſcio quomodo vir, qui pro docto habetur, arthritidis cauſam indagando, proximam, cum remotis confuderit, exemplo fortaſſe A. Lau-

cauſa arthri. Quæſt. 6.

 rentii

rentii ut ſupra vidimus. Congruentius fuiſſet, cauſam arthritidis proximam, & antecedentem, in capite ſtatuere cum Fernelio; vel cum Sennerto, à venis deducere, quam tot partibus illam aſcribere; cum vel in ſolo capite, vel in venoſo genere ſit tantum perſcrutanda. Viſus eſt Zacutus, in tam variis, hac de re, Authorum ſententiis, ignoraſſe, quid ſibi animo, ſtabiliret non miror ſi hac quæſtione, in dictorum repugnantiam inciderit, ut patet ex ſententiæ ſuæ decreto, quod tali præſcriptione eſt. Amplectendum ergo Galeni, priſcorumque Medicorum decretum, qui humorem noxium, per venas naturaleſque ductus internos, in imbecillos articulos defluere aſſeverant. Falſum eſt Galenum alicubi, quod ſciam, hoc ſcripſiſſe, multoque minus Hippocratem; Imo potius contrarium deduci poteſt ex ipſius Zacuti paraphraſi, & ex locis Hippocratis, & Galeni citatis in principio hujus capitis. Quare, pergit, efficiens arthritidis cauſa, aliquando colligitur in intima, ſæpe extima parte capitis; interdum in intimis viſceribus: Sed plerumque in jecore, & ventriculo: Cum enim frequentior cauſa ſit pituita, & bilis, hæc in jecore, illa fere in ventriculo, & capite colligitur. Egregium ſane decretum, in quo falſa refert, ubi caput primas tenet, inter partes, in quibus cauſa efficiens arthritidis colligitur, quod ante tanquam ridiculum inventum reprobaverat, & argumentis impugnaverat, omnibus fere à Sennerto depromptis, qui contrariam tuetur ſententiam, acutiorique minerva defendit: Ideo ſolutis ejus argumentis, quibus utens Zacutus, magnam partem decreti ſui jugulat, non decreveram in quibuſdam aliis rationibus, quas ipſe affert immorari: ſed in gratiam Fernelii, placet ſingulatim excutere, ut quiſque judicet, quis amborum ſit magis ridiculus, & miſerius labatur.

Primum Zacuti argumentum, quo nihil contra Fernelium concludit, hoc eſt. Peritus Medicus, ex calore, rubore, aut febre, calidum arguet eſſe dolorem; hæc enim exuberantis caloris ſymptomata, calidæ arthritidis perpetua ſunt, propria, & magis intenſa, frigidæ vero longe remiſſiora, temporaria, & accidentaria.

Reſpondemus Zacutum, non debuiſſe afferre hoc argumentum,

tum, cum ſciret hæc omnia ſymptomata calidæ putatæ arthritidis, non conſtituere ex Fernelio morbi eſſentiam; aut ex Sennerto, primam motus cauſam, commotis occaſione doloris aliis humoribus; vel ex Paracelſo, ubi ſupra, hæc fieri ex accidenti, & ex conflictu.

Alterum argumentum, quod ex Mercuriali deprompſit, cujus vim agnoſcens Sennertus, inter ſua noluit recenſere, licet quæſt. 6. de eo aliquid dicat. Si dolor arthriticus à pituitoſo humore ſemper emanaret, non eſſent dolores intenſi, quia illi non fiunt à frigida cauſa; nam humor pituitoſus, ſuapte natura iners eſt, neque duram ſubſtantiam articulorum penetrare poteſt.

Reſpondemus Zacutum jocari, utentem hoc argumento, cum minime ignoret, Fernelium dilucide locutum, non de qualicumque pituita, ſed de tenui, inſtar ſeri & ei perſimili, quam frigido cœlo è naribus effluere comperimus; quæ intra medullam ſpinalem interdum penetrans, quaſi vero tendones, & articulorum membranas penetrare non valebit: Dolores vero intenſos non fieri à cauſa frigida; quis non videt, contrarium, in colico dolore à pituita vitrea. Quamvis multi dolores intenſi, ſecundum Paracelſum, cujus ſententiæ aſtipulatur Sennertus, nec à calore, nec à frigore pendeant; ſed à varia ſalium natura, qui humoribus permiſcentur. His tantum duobus argumentis futilibus, conatur Zacutus probare, Fernelii ſententiam de materia cauſæ arthritidis efficientis, eſſe nugis permunitam, ſed quis magis ſit nugis permunitus, ex argumentis, & ſolutionibus, & ex his quæ ſupra diximus patebit. Cetera ad Mercatum, Laurentium, & Framboiſierium remittit; quibus plus quam ſatis, erunt reſponſiones ſupra allatæ. Videamus nunc præclara ejus argumenta, contra aliam Fernelii ſententiam, aſſerentis humorem arthritidis cauſam, per ſumma corporis, & ſub cute, defluere à capite in articulos.

Multi dolores intenſi fiunt neque a calore neque a frigore, ſed a varia ſalium figura.

Primum argumentum. Si tam manifeſta in hoc affectu, pars influens foret; loquitur de capite, cur ejus medela alioqui difficilis, non facile abſolveretur, cute nimirum præciſa?

Neſcio de qua præciſione intelligat Zacutus: An in uno tan-

tum loco facta; an in pluribus, quæ ipſa arthritide eſſent crudeliores. Quocumque modo intelligat: Reſponſum eſt huic argumento ſuperius, ad ſextum Sennerti, qui magis dilucide argumentatur, proponens cauteria, veſicatoria, ſetacea; quorum omnium eſt eadem ratio, ut habetur in reſponſione.

Secundum argumentum. Si à capitis partibus externis, craſſiſſimus ſuccus, per ſumma corporis, ſuopte impetu deorſum decurreret in artus; curæque per eamdem viam tenuis, & ſeroſus in hydrocephalo, in artus non irruit, cum ſit tenuior; aut cur arthritis non contingit in tumore œdematoſo, qui muſculos capitis infeſtat?

Tenue ſerum non craſſum a capite in articulos fluit.

Reſpondeo non eſſe viri docti, & ingenui, falſa, & ab adverſario non allata, ſupponere in ſuis argumentis. Quis enim unquam ſomniavit niſi A Laurentius, ut ſupra vidimus, à quo hauſit hoc Zacutus, craſſiſſimum ſuccum à capite defluere, & arthritidis cauſam eſſe; nunquid tenuem eſſe pituitam inſtar ſeri, ex Fernelio ſupra diximus: Neſcio quomodo viri docti ita obdormiant: Dicimus tamen, rationem cur in hydrocephalo, humor non defluat in artus, eſſe cauſæ perennitatis defectum, & partis mittentis, recipientiſque diſpoſitionem, ad arthritidem minime idoneam: Quod etiam de tumore œdematoſo dicendum; licet fluxiones interdum præcedant, ut ſupra diximus. Adde quod tumores œdematoſi, multoque magis hydrocephalos, infantibus potiſſimum accidunt, propter hac ætate cerebri humiditatem, quæ tempore corrigitur. At in arthritide, cauſæ eſt perennitas, humor ad concitandum dolores idoneus, capitis, & artuum imbecillitas adeſt incorrigibilis, ſine quibus nulla arthritis.

Tertium argumentum. Articuli cum externis capitis partibus nullam habent ſympathiam.

Neſcio qualis ingenii ſit Zacutus hac quæſtione; exiſtimo deſiderio arguendi Fernelium obcæcatum, hunc ridiculum texuiſſe argumentum: Meminiſſe debemus locorum Hippocratis, & Galeni, quos ipſe affert in paraphraſi quæſtionis jam dictæ, & eorum quæ mox poſt ſua argumenta, ſtatuit in ſuo ſententiæ decreto; Quibus in locis contradictionem ſuam invenis, & pro Fernelio reſponſionem; prætermiſſa experientia, quæ illum coarguit.

Quar-

Quartum argumentum. Si tanta copia lenti ſucci, ab externa capitis parte deorſum ruit; cur in arthritide, aut ante eam, dolor capitis externus non adeſt, aut tumor œdematoſus partes illas capitis non invadit.

Jam tertio falſa ſupponit, & imponit Zacutus; Primo vulgarem pituitam; Deinde craſſiſſimum ſuccum: nunc lentum ſuccum, eſſe cauſam arthritidis: Quare videat ſupra hoc reſponſionem ad ſecundum ſuum argumentum, & quæ diximus ad ſeptimum Sennerti.

Quintum argumentum non eſt in meo codice, culpa, ut opinor, typographi: Si quid tamen Sennerti dignum habeat, à quo fere omnia mutuatus eſt: credo ſatis illi reſponſum eſſe, dum egimus de ejus argumentis.

Sextum argumentum. Ex Hippocrate 6. epide. uteri dolores in coxam finiuntur: Colicus dolor in coxam finitur, &c.

Non oportebat ad hoc confirmandum, afferre ſuffragia Actuarii, Laurentii, & Valleſii: Neque etiam experimentum Averroïs, qui ex febre acuta incidit in arthritidem: Prius tamen, quod Zacutus ipſe, & Sennertus de induſtria tacent, terminata erat febris per abſceſſum in ſcroto. Sufficiebat Hippocratis authoritas, qua, nec aliorum, quidquam concludit Zacutus contra Fernelium: Quare autem, vide reſponſionem ad quartam rationem Sennerti ſeptimum argumentum. Si ipſius opinio eſſet vera, Fernelii ſcilicet, ſemper ante invaſionem doloris, præire deberent capitis ſymptomata.

Reſponſum eſt huic argumento, ad 7. Sennerti, vide ſupra.

Ultimum argumentum. Sequeretur arthritidem non poſſe curari, niſi per auxilia capiti adhibita; quod quam falſum ſit, probat experientia.

Reſpondemus negando conſequentiam, quia aliæ ſunt cauſæ, quibus ſublatis, curaretur arthritis, nulla habita ratione capitis: Quarum præcipua, materiæ eſt tartareæ, in potibus, & cibis permiſtæ generatio, in coctionibus non evictæ, quam ſolo lactis uſu impeditam, multos ab arthritide præſervaſſe, nemo ignorat. Cui adde articulorum imbecillitatem, qua ſublata non fieret arthritis.

Solus lactis uſus, multos ab arthritide præſervavit.

Et hæc ſunt argumenta Zacuti contra Fernelium, è quorum nu-

numero ſi tollas quæ à Sennerto mutuatus eſt, etiam ſi ſint à Laurentio, Mercato, & aliis, nullius ſunt momenti; Nec in his ejus mentem me aſſequi, ingenue fateor: Cum videam his ſuis argumentis deſtruere, ut ſupra diximus, quæ attulit in paraphraſi hujus ſuæ quæſtionis; Et quæ poſtea ſtatuit pro ſententiæ ſuæ decreto, quod eſt ultro gladio ſe alieno jugulare, & ſe magis Fernelio ridiculum præbere, miſeriuſque labi, ut verbis Zacuti utamur: Cujus argumenta, nullo eorum merito, ſingulatim excutere volui; non tanquam cenſor, ſed tanquam Fernelii defenſor, propter Zacuti inurbanitatem. Credo eum Caſp. Hofmanni, acerrimi Fernelii obtrectatoris, & Æmylii Pariſani veſtigia inſequi voluiſſe; Sed clariſſimorum Medicorum de Fernelio præconia, quibus injuriam faciunt, eorum petulantiam oſtendunt. Remitto utrumque ad Riolanum, ut ſuam videat quiſque inſcitiam, in iis, in quibus ſe aliis præſtare arroganter crediderunt: Ego quidem fateor, me lectione Fernelii ſemper magnopere delectatum: nec authorem inveniſſe, qui de Medicina dilucidius ſcripſerit, cum brevitate, & verborum elegantia: nec quempiam, qui in methodo medendi, quæ ad praxim ſpectant, melius docuerit: Non ita tamen ſum ei addictus, nequidem in hac quæſtione, quin in aliquibus ab eo diſcedam: ut videbimus infra, poſt quam rationes quædam allatæ fuerint, ut notum fiat Riverio, arthritidem ab alio loco oriri non poſſe, niſi à capite. Licet enim, inquit, loquens de Fernelio, ſatis perſpicue oſtendere videatur, humorem extra calvam collectum, per ſumma corporis, & ſub cute defluere in articulos: Ab aliis tamen locis non deferri, ullo modo probat, neque ullus poſt ipſum probare poterit. Ego vero ſequentibus exiſtimo probari poſſe rationibus.

Ratio cur humor arthriticus non ducat originem ab intimis viſceribus.

Prima ratio. Si ab intimis viſceribus, venis & arteriis, humor arthritidis parens originem duceret, ut multi contendunt, oporteret viſcera, jecur, aut lienem, inſigni aliquo affectu, aut intemperie laborare, alioqui tantus non enaſceretur excrementorum proventus, ut videmus in veteri jam facta arthritide, in qua tam brevia in multis, ſunt intermiſſionis intervalla, ut ſemel ea correpti, per quatuor menſes integros, & amplius, divellantur doloribus, quotidie fere ſub noctem, velut æſtuante hu-

humore, & novo ſemper affluxu cruciatus innovante, à quibus tandem liberatis, & bene habentibus facies erat boni coloris, qui ſanorum viſcerum ſemper eſt comes. Ergo non à ſanis viſceribus, tam frequenter repetentium dolorum, & tam longo tempore durantium, petenda eſt origo; ſed potius ab ignobilibus quibuſdam partibus, ut ſunt extra calvam poſitæ: Neque alibi perennis alicujus fluxionis cauſa quærenda eſt; quia non eſt pars toto corpore ad hoc, ipſo capite magis idonea, etiam Hippocratis, & Galeni teſtimonio, locis ſupra citatis: Nec quæ minori cum periculo id efficiat, licet interdum cerebrum ſucceſſu temporis coafficiatur.

Secunda ratio. Si humoris arthritici affluxus generatio, eſſet in venis, & arteriis, ab iiſque in articulos deflueret, non autem à capite; arthritis, cum prima vice incipit, collum & humeros potius invaderet, quam pedis articulos: quia major requiritur virtus, ut humor ſurſum propellatur à venis, & arteriis, quam ut deorſum feratur: Atqui cum arthritide quis prima vice tentari incipit, vigente corpore, pedum articuli, pollicis præcipue, infeſtantur: Seneſcente vero ægroto, & arthritide, viribuſque proſtratis, collum & humeri, potius adoriuntur: Ergo non à venis, & arteriis, excidit humor ſed potius à capite. Ratio deduci poteſt ex Hippocrate, & Galeno affirmantibus abſceſſus ad inferas ſedes, & longe à parte affecta meliores; ad ſuperas autem ſedes, & non longe à parte affecta, non ita laudabiles, quia facultatis robur tantum non oſtendunt, quemadmodum cum fiunt longe à parte affecta. Sic incipiente prima vice arthritide, interdum pluribus; quadrageſimo v. g. ætatis anno, & quibuſdam quandoque ſubſequentibus firma exiſtente partium robore, in magno, ut plurimum, pedis pollice, fiunt arthritidis principia, propulſis longe à fonte noxiis humoribus. At annorum ſerie, & morbi longitudine fractis viribus, hærent pluribus in limine humores excrementitii, in collo ſcilicet, & humeris, ultra, & longius à fonte, capite nimirum, non valente facultate, humores præ debilitate ad partes remotiſſimas, ut faciebat, expellere: Quod non accideret, ſi in venis, & arteriis, eſſet eorum fons, & origo; Inclinante vero ætate, cum debiles ſunt vires, corri-

Articuli pollicis pedum in arthritide incipiente ut plurimum infeſtantur.

peret potius arthritis magnum pedis digitum, quam collum, & humeros, quia facilior eſt deſcenſus, ut patet in hydrope, quam humorem aſcenſus: In hoc magnum robur requiritur; in illo ſufficit humorum gravitas.

Sæpe ſunt viciſſitudines cordialgiæ & arthritidis.

Tertia ratio, Cardialgiæ, & ventris doloris, fiunt cum arthritide viciſſitudines: Atqui tunc cauſa unius eſt cauſa alterius; Ergo ſi cardialgia, & ventris doloris cauſa, eſt humor à capite præcipitans, arthritis erit à capite; Facilis eſt enim deſcenſus humoris à capite in ſtomachum, & ventrem, patenſque via, quam natura interdum mutante ad articulos, fit arthritis; ut ſupra diximus in reſponſionibus argumentorum, & obſervatione 4. capitis de colico dolore, & ſequenti prima obſervatione.

Quarta ratio. Humoris à capite delabentis ſignum certiſſimum, eſt ſenſus frigoris in partibus externis capitis, quem cito ſequitur fluxio, & dolor in articulis: Sed in omnibus inveteratis hoc accidit; Ergo, &c. hoc maxime probabitur obſer. 1. hujus capitis.

Fluxiones arthriticæ originem ducunt a capite.

Ex his omnibus, de quibus pro Fernelii defenſione diſſeruimus, fatendum eſt ejus ſententiam, rationi magis conſentaneam eſſe, fluxiones, tum arthriticas, tum alterius generis, à capite originem ducere: Externas quidem à partibus, ut plurimum externis, cranio ſuperiacentibus; Internas vero ab ipſo cerebro, & ejus ventriculis. Verum hoc non impedit, quin internæ fluxiones fiant à partibus externis, propulſis externo præcipue frigore, introrſum humoribus ſub cute perreptantibus: Et externas fluxiones, ab ipſo cerebro; natura ſupervacanea amandante, à partibus nobilibus ad ignobiles, quantum fieri poteſt: Firmiſſimum enim robur, ut alias diximus, indidit illa partibus nobilibus, & viſceribus, ad individui conſervationem, ut humores noxios in ſe conceptos, longe valeant propellere, quod in pluribus criſibus confirmatur, & in fluxionibus ad inteſtina, & matricem, quæ ex Hippocrate, in coxam finiuntur, tanquam in partem ignobilem. De via autem per quam fluit humor à capite in articulos: non ſolum exiſtimandum eſt, eum tantum ferri ſub cute, & per ſumma corporis; Sed & per muſculorum intermedia, imo eorum corpora penetrare, venas illic

Epide 6.

per-

perreptantes ſubire, ſanguinem corrumpere, & pro natura humoris, & ægrotantis temperamento febrem ſæpius accendere, veteri præſertim exiſtente arthritide: Tunc enim cauſis invaleſcentibus, augentur fluxiones, ſubeuntque ſæpiſſime venas, & arterias; non ſolum minores, ſed & majores, furitque ſanguis inſtar rabientis canis, ut inquit Paracelſus; quod eſt, magna febris accenditur, fiuntque à venis æſtus frequentes in articulos, ex materia quæ à capite, continuo ſubit venas: cujus natura noſtra impatiens eſt: Hoc autem quouſque ceſſet materiæ generatio, & capitis diſpoſito corrigatur: quod maxime accidere vidimus iis qui facie erant rubicunda. Sed quamvis hæc materia ſit prius in ſanguine, ex potulentis, & eſculentis orta, ſero ſanguinis præcipue diluta, unumque corpus ſanguinis, cum aliis ſuccis conficiens: alterius tamen naturæ eſt, cum à partibus, præcipue capitis, depoſita tanquam inutilis ad nutritionem, cum ſuo ſero, iterum venas ſubit fluxionibus immixta: tunc enim magis abundat, quotidie cumulata, habetque de vaporibus condenſatis, ab ſtomacho aſcendentibus quidpiam acutum, & acre, ex vino, allio, ſinapi, & ſimilibus ſibi immixtum, magiſque ſyncera eſt, quam cum ſanguine, velut genita, dilueretur. Quod cum aliis partibus ſtare non poteſt; cum nulla pars corporis, ut ſæpius diximus, ſit capite gignendis ſuperfluitatibus magis obnoxia: nec ulla, in qua magis cumulentur, cum imbecillum eſt, & refrigeratum: Ideo neceſſe eſt ut in ſubjectas partes defluant. Quod ſi hujuſmodi fluxiones ſalſæ, & acutæ, venas ſubeant, furit ſanguis, propter id quod dictum eſt in principio hujus capitis, Paracelſi ſententiam exponendo de arthritide. Res tamen digna admiratione, quomodo humor arthritidis cauſa, purus ſæpiſſime excidat in articulos: Fernelio tamen hoc mirum non debet videri, cum ſub cute, & per ſumma corporis, feratur humor à capite per ſanguinem, puruſque ad pedes uſque, ut plurimum perveniat; Sub cute enim, cum ſit ſanguis, ut patet ſi pungas eam, & in partibus omnibus carnoſis, per quas defluit humor, impoſſibile eſt quin ſeſe ſanguini in via permiſceat, venaſque illic perreptantes interdum ſubeat: permeat tamen, & purus excidit, ut plurimum, in articulos, quaſi tranſcolatus, ſicut urina permeat

carunculas renis, ut decidat in pelvim tranſcolata à ſanguine. Licet autem urina ſubtilior ſit illuvie illa ſeroſa, quæ materia eſt fluxionum: hæc tamen longe ſubtilior eſt ipſo ſanguine; ut poſſit per eum tranſcolari: Adde quod viciſſim à partibus, tanquam gravis, & moleſta deponatur; Alii tamen humores, ad partem affectam cum ea interdum ſimul confluunt; qui quidem non ſunt morbi eſſentia, ut ait Fernelius, vel prima arthritidis cauſa ex Sennerto, quod perinde eſt: Hoc autem maxime contingit plethoricis, facie rubicunda, & pravis ſuccis abundantibus. Exiſtimare autem in ejuſmodi fluxionibus, requiri in corpore vivente, ut quidam imaginantur, ductus patentes, tanquam vias publicas, per quas feratur humor à capite in articulos, deliramentum eſſet; cum in ipſam ſpinalem medullam valeat penetrare, gignendæ paralyſis, aut convulſionis materia. Si enim humor ſeroſus hydropicorum, aut cachecticorum, in pedes delabitur per poros, non autem per venas, ut fatetur Sennertus. Quæſt. 8. tract. de arthri. Quare humor ſeroſus non poterit à capite per eaſdem vias ad pedes uſque pervenire? Quod Sennertus ipſe non negat Quæſt. 7. præſertim autem cap. de iſchia. Verum non vult humorem hunc, dolorem proprie arthriticum efficere. Effugium ſane infirmum, & à viro erudito alienum. Licet enim dolor qui iſchiadicus vocatur, non ſit ſemper vere arthriticus, niſi tendones, aut membranæ, conxendicis articulationem involventes afficiantur: Idem tamen ſeroſus humor, qui à capite ſub cute defluit, ut ipſe ait, iſchiadem notam efficiens: ſi in articulationem ſeſe inſinuet, quis negabit hunc dolorem eſſe vere arthriticum, licet ab eodem humore fiat? Apertiſſime hoc fieri docet Grego. Horſtius lib. 8. de morbis exter. part. obſerv. 1. reſcribens ad quemdam Conſiliarium, arthritidi obnoxium, his verbis. Quamquam vero pro tempore morbus hic nondum adſit, neceſſarium tamen erit, ut præſervatio non negligatur; cum vagæ fluxiones dolorificæ, de quibus querela eſt, eundem præſagire ſoleant, quatenus pedetentim poſtea, magis ipſos articulos ſeſe inſinuant. Quod, ut alios taceam, bis mihi in iſchiade contigit. Non parum autem ſubit mirari, negantem vide-

re

re Sennertum, à capitis fluxionibus dolores vere arthriticos fieri; Cum enim, ut inquit Riverius, ad alias omnes partes confluant, tum internas, tum externas, quomodo ab eis articuli poterunt eſſe immunes? Qualis autem ſit humor ille, qui cauſa arthritidis dicitur; exiſtimaverim Authores, de nomine potius quam de re ipſa diſceptare; Nec merito arguit ideo Sennertus eos, qui pituitam, aut humorem aquoſum eſſe ſtatuunt: Hippocrates enim, Galenus, & alii, non ita ſtupidi erant, ut de quacumque pituita, aut de ſimplici intellexerint, agreſtis hæc fuiſſet cogitatio: Quapropter in ejuſmodi nominum acceptione, doctorum menti, potius quam verbis attendere oportet: Quilibet igitur ſanæ mentis, fatebitur eos intellexiſſe de pituita tenui, & ſeroſo, quæ quia facile diffluit, aquæ aſſimilatur; quemadmodum ſerum quod ſanguini innatat poſt venæ ſectionem, aqua plerumque vocatur: Quare immerito ait Sennertus Fernelium errare; cum pituitam à ſero non diſtinguit à pituita illa tenui, & aquoſa, quæ fluxionum cauſa exiſtit: Differt tamen à ſero quod ſanguini innatat; quod quidem pars eſt ſanguinis pinguior, eſculentorum, & potulentorum materiæ aquoſæ, ex qua fit poſtea lotium immixta: Aliud vero, excrementum eſt tertiæ præcipue coctionis totius, in primis autem capitis, deinde venarum, illuc excrementa deponentium; quibus additur, quod ex vaporibus aſcendentibus ad caput, condenſatur in humorem. Quæ omnia plus, minuſve abundant, ſecundum capitis robur, aut debilitatem: Ideo ſerum iſtud, non eſt pingue ut alterum, quod ſanguini innatat; ex quo ratio reddi poteſt, cur humor arthritidem faciens, non vertatur in ſuppurationem; quia ſerum arthritidis cauſa, valde ſubtile eſt, nihil, aut parum habens de pinguedine illa, quæ eſt in ſero ſanguinis; quam in venæ ſectione corruptam vidi, reliqua ſanguinis ſubſtantia illæſa permanente: Unde accidit fluxionum materiam, interdum in ſuppurationem abire in partibus craſſis, ut fit aliquando in coxendico dolore, remanente ſcilicet cum ſero, non pauco de ſubſtantia illa pingui: Cujus quo major quantitas in ſero, eo facilior in ſuppurationem converſio, & ſeri difficilior penetratio in partibus durioribus, ut tendonibus, & membranis: Ideoque carnoſis potius hærente, pro-

Non quælibet pituita, ſed tenuis & ſeroſa eſt cauſa arthritidis.

Ratio ſecundum auctorem, cur humor arthriticus non ſuppuratur.

propter nonnullum lentorem quem habet, in iis magis quam in articulis ſit ſuppuratio. Adde quod partes carnoſæ, nervoſis, ut articuli, ſunt calidiores, quod ad ſuppurationem requiritur. Quod autem ſerum ſanguini innatans ſit pars pinguior illius, patebit ex frictura ſanguinis hœdi, aut agni, poſtquam ſepoſitus multum ſeri dimiſerit; Videbis enim aquam illam, ut more vulgi loquar, in adipem album coagulari, ſero in fumum abeunte, qui quidem adeps manducatus, palatum ita faſtidit ſua leni pinguedine, ut nauſeam pariat; corpus vero ſanguinis ſiccum eſt, & nullius fere guſtus, non autem ſi antequam ſerum emiſerit coquatur, quod in ſuo latice ignoravit Helmontius, qui mutato nomine, magnum quid ſe inveniſſe gloriatur, quaſi ejus latex, humor neglectus, ut ait, ſit aliud à ſero ſanguinis, quod pars illius eſt à ſimplici ſero, à pituita aquoſa, & ab illuvie ſeroſa diſtinctum; quæ tertiæ coctionis ſunt excrementa, & præcipue, ut jam diximus, capitis quod eorum metropilis eſt, ex Hippocrate. Prætermiſſa igitur nominum diſceptatione, dummodo res intelligantur, concludendum ex his omnibus, quæ diximus, humorem arthritidis cauſam, naturæ eſſe tenuis, & acutæ, ſalſæ & acris, pro ſalium, à cibis, & potibus, adventitiorum natura, quibus ſerum ſanguinis imbuitur, facileque recipit: Ad quod corporis temperamentum plurimum addit, & vaporum qualitas, ab ſtomacho ad caput aſcendentium: Cum autem hi ſales ſint acrimonia varii, à temperamento corporis, quibuſdam exaltatis, aliis vero mitigatis: Ideo nunc mitiores excitantur dolores, non ſolum in articulis, ſed & in aliis plerumque locis: Neque exiſtimandum eſt ſerum illud acutum doloris cauſam in articulis, quidpiam habere, quod malignitatis alicujus ſit particeps, ut vult Pareus; Neque aliquod peculiare habere conſortium cum articulis, ut vult Sennertus. Si enim inter articulos, & humorem illum dolorificum, eſſet aliquis mutuus conſenſus, quo ad articulos quadam ſympathia ductus ferretur, in alias plerumque partes non irrueret, ut patebit in Enarrationibus; Aliis igitur de cauſis fertur humor ille ſeroſus ad articulos. Primo quod ſolicita ſit natura de partibus nobilibus, noxios humores, quantum in ſe eſt, ad ignobiles, & remotiſſimos protrudere; Ideo fertur communi ad-

Materia arthritidis eſt humor tenuis, acutus, ſalſus & acris.

adagio, arthriticos diu vivere. Secundo propter articulorum debilitatem, ipſis innatam, vel ab ortu, vel à venere, vel à laboribus inſolitis; vulnere, diſlocatione, refrigeratione, & contuſione. Tertio fluunt humores ad articulos, propter eorum laxitatem ab iiſdem fere cauſis, ob quas facile excipiunt humores in ſe irruentes. Quarto quia humor fluens ſub cute, & per muſculos facile ad eorum caudam pervenit, quæ tendo eſt. Quinto quia in articulis remotioribus, ſunt tantum partes nervoſæ, ſola cute contectæ, ideo in illis hæret, alium non habens locum, ſi paucus fuerit; multus enim, parte capaci ad totum excipiendum non exiſtente, expandit ſe in vicinas; unde tumor ingens, fit aliquando in vera arthritide, partibus carnoſis humore communicato; quod fieri non negat Sennertus in vera iſchiade, argumento arthritidis humorem, non habere ex ſympathia, motum peculiarem ad articulos. Horum omnium quæ diximus conſideratione, tota medendi ratio eſt deſumenda, neglectis quæ ad ſolam logicam ſpectant, cum nihil ad artis opera conducant: Quæ quidem medendi ratio; in cauſæ antecedentis ablatione; conjunctæ mitigatione, & reſolutione; partiſque mandantis, ut loquuntur, & recipientis corroboratione conſiſtit. Ut præſcindatur cauſa antecedens, tria occurrunt præſtanda: Primo ejus generatio eſt impedienda, aut ſaltem minuenda: Secundo genitus humor, & fluxioni paratus, à ſuo fonte educendus: Tertio jam fluens, per loca convenientiora evocandus. Generatio humoris arthritidem facientis, impeditur ſubſtractione materiæ, quam Chimici tartaream vocant; quod tribus modis perficitur: Victus regimine convenienti: Ejus evacuatione: Et partis mittentis, quæ caput eſt, corroboratione. Quantum ad vivendi rationem, ſat ſuperque de ea diſſeruimus cap. de fluxionibus, cujus lectio maxime confert ad hujus capitis doctrinam de artrhitide, cum ipſa fluxio ſit, à capite præcipuum ducens originem; licet interdum venas ſubeat majores, ſanguinem corrumpat, & furere cogat, febri accenſa, ab eiſque feratur in articulos, & alias partes, ut in rheumatiſmo, ſicut jam diximus: Tria tamen præcipue circa vitæ rationem arthriticis veniunt conſideranda; Quorum primum, & ſecundum, iis maxime noxia ſunt, vini ſcili-

Cur in arthritide vera interdum ingens fiat tumor.

Tribus modis præcavetur generatio humoris arthritici.

ſcilicet meracioris potus, & veneris uſus immodicus: Tertium valde conducibile, nimirum lactis potus. De vini abſtinentia, multæ paſſim apud Authores inveniuntur hiſtoriæ, eorum qui vita abſtemia, ab arthritide prorſus fuerunt immunes: Crediderim eos, vitæ potius intemperantia, quam aliis de cauſis in eam incidiſſe; vidi enim vino dilutiſſimo utentes, & ab acribus & ſalſis abſtinentes, hoc animo, ut levaretur affectus, quibus nihilominus incrementum accepit; Adeo irreparabilis eſt partium affectio, cum altas, proceſſu temporis, egit radices. Licet enim abſtemii raro tententur podagra; eos tamen quandoque adoritur: Non ex eo quidem, ut ſcribit Sennertus, quod aqua quam bibunt ſalſum quidpiam, aut calcem redolens, in ſe contineat; ſed quod eorum cerebrum refrigeratum eſt, aut aliqua de cauſa imbecillum, accedente articulorum imbecillitate, & eſculentorum natura, quæ varia ſalium continent genera: Aqua enim in quotidiano potu abhibita, niſi paucis in locis, præcipue mari propinquis, aut montibns ſaxoſis, omnis qualitatis expers ubique invenitur; nullaque invenitur, quæ calcem redolere poſſit, cum calx è terræ viſceribus non eruatur, ſed omnis ſit factitia, lapidum huic rei idoneorum in fornacibus calcinatione: Imo quemadmodum vi ignis, iſti lapides in calcem abeunt, & acrimoniam acquirunt, quam antea non hahebant; Sic ex partium intemperie, ſucci alibiles, licet omnis qualitatis acutæ expertes in acres degenerant, ut videre eſt in ferinis pulmonum fluxionibus, quibus tandem ipſe exulceratur, quamvis tota victus ratio ſit ex benignioribus alimentis, & acrimoniam temperantibus. Itaque ſi abſtemius aliquis arthritide laboret, propter alias cauſas, ab aquæ potu accidere putandum eſt, gravioremque evaſiſſe affectum, ſi vinum bibiſſet; præcipue merum liberalius ſumptum, quod omnibus arthriticis eſt infenſſimum. Vinum enim, inquit Paracelſus. lib. 2. de Podagricis, tom. 1. eſt podagræ quæſitor, & latentem profert, iis quibus jacet ejus minera. Quomodo autem fiat, vide loco citato ratiocinationis ejus inventum. Ceterum conſtat ſemen podagræ, in multorum corporibus ſepultum, vini potu excitatum fuiſſe, quod ſolo aquæ potu ſemper obdormiviſſet, quia unus ex præcipuis tartari podagrici fontibus, aut ſalis,

Abſtemii raro tententur podagra.

Vinum meracum podagricis noxium.

ſalis, jacet in vino, qui varius eſt, prout ſolum, vel petroſum, vel marga refertum, vel ſabuloſum, vel alterius generis exiſtit; ut pluribus in locis docet Paracelſus, & poſt eum accuratiſſime Sennertus, tract. de arthri. Ex quibus varia arthritidis generatur materia, in qua ejus opifex etiam deliteſcit, ut explicat Paracelſus. Diximus ſecundo, veneris uſum, præcipue immoderatum, podagricis eſſe infenſiſſimum, multoque magis, ſi quis in pedes eam exerceat, venus enim immoderata, præ ceteris partibus cerebrum impenſe debilitat, juncturaſque laxando, humoribus excipiendis, magis obnoxias facit. Tertium vero è contrario, arthriticis utiliſſimum, lactis eſt potus, qui ab aliquot annis, revocatus eſt in uſu à Medicis Pariſienſibus, exemplo Hippocratis, qui lib. de affect. jubet podagricis lac aſininum præbere; non ſolum autem lac, ſed ſerum lactis coctum: Cum enim, ut ſupra diximus ex Medicochymicis, cauſa arthritidis efficiens, ſalſum quid, aut acidi, & acris naturam redoleat, nihil eſt quod ſales illos magis temperet ipſo lacte, & ejus ſero, quod Hippocrates coctum jubet potandum, ne frigiditate, ut opinor, ſtomachum ledat; quo autem modo ſit utendum, in qua etiam quantitate ſumendum, non docet: Hodie tamen, more recepto ex Medicis Pariſienſibus, arthritici ſolo lacte nutriuntur, ut febricitantes juſculis, ipſoque vaccino, quia in magna copia haberi poteſt apud illos: Quod ſi lac non ſufficiat ad nutriendum, mica panis albi infunditur in lacte tempore prandii, & manducatur: Hoc modo, nullus datur locus materiæ tartareæ generationi; & ſi qua ſit in corpore demulcetur. Ego vero, non ita me lacti vaccino adigerem, quin pro ægrotantis temperamento aliis uterer; præſertim cum non datur copia lactis vaccini, cujus loco ovillum acciperem, quod proxime accedit ad vaccinum, & hujus inopia, caprillum, quod in iſtis regionibus, & noſtris ubique invenitur: Quia autem non nutrit ut vaccinum, bis in die pultem ex eo factam cum mica panis præberem. Hac victus ratione, multi ab arthritide fuerunt immunes, impedita materiæ acutæ ſalſæ, & corrodentis generatione, licet aliæ cauſæ permaneant. Secundus modus cauſæ antecedentis auferendæ, aut ſaltem minuendæ, potius eſt in

Venus immoderata podagricis infenſiſſima.

Lac coctum podagricis utiliſſimum.

vacuantibus, quæ humorem genitum, fluxioni paratum, ſimul & fluentem educunt, quorum duplex genus eſt; univerſalium & particularium: Univerſalia ſunt venæ ſectio, & purgatio; quibus addi poteſt univerſalis ſudorum provocatio: Particularia ſunt fonticuli; ſetacea, veſicatoria, ſcarrificationes, ſanguiſugæ, & particularis alicujus membri ſudoris provocatio. Quia autem prima arthritidis materia eſt in ſanguine, ab alimentis, ut ſæpe jam diximus, quorum tartarum, nec in prima coctione, nec in ſecunda evictum eſt, nec vacuatum, præſertim per urinas; à venæ ſectione ſemper eſt incipiendum, primo ad prophylaxim, deinde ad demulcendum dolores: Ineunte igitur vere, & autumno, præcipue ſi ſanguis abundet, aut putredine ſcatere ſoleat, injecto prius enemate, aperiatur mediana lateris dextri quæ utramque regionem reſpicit, aut ejus loco, vena magis apparens, ſecundum vires ſanguinem extrahendo; deinde poſt biduum, ex altero brachio: Paracelſus tamen in conſiliis medicis, jubet ad podagricum fluxum, venam poplitis, aut malleoli, quotannis bis ſecandam, ſemel æſtate, & ſemel hyeme, nec unquam hoc eſſe negligendum: Quod experientiæ deferendum eſt; cum rationem ipſe non reddat, cur à poplite, vel malleolo, ſanguis potius ſit extrahendus, quam ex venis cubiti, dum agitur de præſervatione ab arthritide. Longe alio modo ſe gerendum infeſtantibus doloribus; qualiſcumque enim fuerit ſanguis, repetuntur venæ ſectiones primo ad revellendum, interdum ad derivandum; ſæpe autem ad temperandum ardorem, in materia calida, aut cum febris adeſt, & quibus venæ ſectio ſolet proficere: Sunt enim quibus doloribus demulcendis, nihil prodeſt venæ ſectio; Aliis vero multum, quod in praxi maxime venit conſiderandum: Memini enim me vidiſſe Maſſiliæ Monachum, in Cœnobio ſancti Victoris, cui tanquam cirratus canis dominum, ſequebatur dolor arthriticus venæ ſectionem. Secundum vacuans humorem fluxioni paratum, aut jam fluentem ad articulos, in purgatione ſtatuitur, quæ vel ad prophylaxim, vel infeſtantibus doloribus adhibetur: Si ad prophylaxim, quater in anno, & amplius eſt inſtituenda, prout major, aut minor ſit excrementorum proventus; ea tamen vi pollere medicamentum opor-

Particularia, & univerſalia, quæ cauſam antecedentem podagræ auferunt.

Multis podagricis nihil prodeſt venæ ſectio demulcendis doloribus.

oportet, ut ſufficiat, & inteſtinis exonerandis, & evocandis à capite humoribus; quod non aſſequetur, niſi venter ſepties, aut octies, & amplius, abunde dejecerit: Si propinetur medicamentum infeſtantibus doloribus; ne tunc temporis à debili medicamento humores exagitentur, ipſique non purgati, in partem jam fluxionem excipientem, majori cum impetu ruant, & dolor geminetur, unde multi, ut inquit Fernelius, à purgationibus deterrentur: Ut bene cedat purgatio, Medicum tenere oportet, quomodo ægrotus ſe gerat cum purgantibus; alioqui utendum ptiſana purgante, cujus ſi una doſis non ſufficiat, altera propinetur eodem die, circa horam tertiam pomeridianam, & duobus aliis conſecutis diebus, quouſque avertendæ fluxioni, ſatis alvus dejecerit, ut mihi in uſu frequentiſſimum, in pluribus morbis. Hujus in arthritide talis debet eſſe deſcriptio. Ptiſana purgans in arthritide.

℞. Rad. carioph. ℥ß. folior. chamæp. mß. ſem. hyperi ʒj. folio. ſenn. mund. ℥j. turb. & jalap. ana ʒj. omnibus minutim inciſis ſuperinjice vini albi lib. j. & fiat infuſio pro duabus doſibus mane, & ſero, prima ſi doſis alvum ſufficienter non moveat; alioquin propinetur ſecunda, mane diei ſequentis, iterando ſi fuerit opus.

Cum febris adeſt conſideratione digna, vinum temperari poteſt aqua ulmariæ, aut in ipſa ſola fieri infuſio: Si autem capitis tantum habenda eſt ratio, ut in prophylaxi, loco rad. caryophyllatæ & aliorum, ſumenda eſt rad. cyperi, aut acori, cum foliis betonicæ & floribus ſalviæ, ſemineque pœoniæ. Aliæ purgationes eliguntur ſecundum ægrotantium propenſionem; Quibuſdam forma pilularum arridet; aliis liquida placent; boli à pleriſque expetuntur; Sunt qui amant in ovo ſorbili, in juſculo carnium, aut in vino diſſolutos pulveres; Quibus omnibus ſatisfaciendum, modo incommodum ægrotanti non afferatur, & peccans humor educatur; ad quod maxime idonea ſunt quæ ſequuntur. In genere pilularum, arthriticæ, de hermodactilis majores dictæ, quæ aliis ſunt fortiores, nec tantum humores ſubtiliores educunt, ſed & craſſiores: recipiunt enim aloëm, epithymum, colocynthium, turbith, ſcammonium, eſulam, hermodactylos, & euphorbium. Pilulis Variæ purgantium formulæ.

devorandis non aſſueti, utantur electuario diacarthami, quod Fernelio frequens eſt in uſu; aut ejus pulvere, à ℥j. pro fortioribus diſſoluto in aqua, aut decocto ivæ arthriticæ, vel ulmariæ, vel in juſculo carnium iiſdem herbis alterato, cum dolores infeſtant; tunc enim ex juncturis educendi ſunt humores: Si autem ad præcautionem, ſumitur aqua betonicæ, aut decoctum ex cephalicis, vel juſculum iiſdem alteratur. Hujus generis purgans, eſt pulvis Cornachini dictus, multis gratus, propter guſtum, minus inſuavem pulvere diacarthami, & quod longe minori quantitate ſumatur, & quocumque modo voluerint ægrotantes, ſive in forma pilularum, ſive in forma morſuli, ſive in ovo ſorbili immixtum, ſive in liquoribus, qualiſcumque generis diſſolutus, etiam in vino.

Ego quidem à multis annis, uſus ſum pulvere Cornachini, ſumens de eo quater in anno, in juſculo carnium diſſoluto, interdum in forma pilulæ, aut morſuli: Hoc autem rerum uſu expertus ſum, pulverem hunc in juſculo carnium diſſolutum, magis ventrem ſubducere, quam alio modo ſumptum: multoſque errare, in propinandis purgantium pulveribus cum juſculo, diſſolutionis mora tepeſcente juſculo; unde faſtidio nauſeat ſtomachus, & purgantis ſapor magis deprehenditur: Cui incommodo ut occurratur, imponendus primum pulvis in lance, ſeu ſcutella, deinde magno cochleari, ex unda ollæ bullienlientis hauriendum eſt juſculum, de eo imponendo, quantum pulveri diſſolvendo neceſſarium videbitur, cochleari argenteo ſemper movendo, quouſque ſorbendi tempus advenerit, quod cognoſcetur, manu lanci ſuppoſita: eoque minus ingratum erit guſtui juſculum, quo calidius ſumetur. Hic pulvis multum variat in purgando, quoſdam perbelle purgans, alios minime: Quare antequam cogitet Medicus de pulvere exhibendo, teneat quomodo æger ſe habeat cum purgantibus, ut recte doſis præſcribatur, ſi hoc liceat uti; ejus enim doſis eſt tantum conſideranda in ſcammonio, quam ſi augeas, augebitur numerus dejectionum: non autem antimonii detonati, licet gr. xv. immiſeris: Habet tamen vim quamdam, attrahendi quoſdam humores, quos ſolum ſcammonium non purgaret, niſi antimonio junctum; Quod apertiſſime elucet in gayaco, cui licet nul-

Vis purgans pulveris Cornachini dependet a ſcammonio, non ab antimonio detonato.

la

la inſit virtus cathartica, efficit tamen cum purgantibus miſtum, ut humores lue venerea corrupti educantur, quod alioqui non fieret. Advertendum eſt etiam cujus ætatis ſit ſcammonium: Licet enim Meſues ſcripſerit viginti annos ſervari: addit tamen poſtea. Sed quo antiquius, eo imbecilius. Quod probatione non indiget. Vide plura de hoc pulvere in libello, qui junctus eſt ad finem Prædictæ chimiatr. Hartman. Ejuſdem eſt ordinis Cariocoſtinum, quod valde laudatur à Bayrio, non tamen ab omnibus ita feliciter accipitur, ut ipſe de ſe prædicat: Ejus doſis, à ℥ij. ad ℥iij. & ad ſummum ad ℥ß. Quia autem in pluribus officinis non habetur, ſi quis eo uti deſideret, talis erit doſis una, in re præſenti, pro ℥ß. electuarii, quæ maxima eſt.

℞. Coſt. cym. caryophyl. zinzib. ana gr. ix. diagrid. & hermodact. ana gr. xviij. fiat pulvis, ex quo cum triplo mellis fiat bolus, aut pulvis ſumatur cum juſculo: Multis tamen hujus doſis tertia pars adimenda, ut ſint tantum cujuſlibet purgantis gra. xij. & aliorum gr. vj.

His annumerandus pulvis arthriticus Paracelſi, qui habetur tract. 2. de morb. ex tartaro, cap. 2. tom. 1. Hujus hæc eſt deſcripto.

℞. Oſſium hominis, ſcammo. hermodact. turb. ſenn. zaccha. ana fiat pulvis, de quo mane, & ſero, præbenda ʒß. pro vice una. Pulvis Arthriticus Paracelſi.

Pulvis hic, inquit, ab ægro fluxus omnes, & tartareos morbos eximit, eo modo ut res reſolvat, ut in tract. 1. diximus; operationis autem vis, ex eo procedit, quod oſſa ex proprietate ſua, miracula edant; cetera autem, ex vi ſpecifica materiam reſolvant, &c. Interea dum hoc pulvere materia fluens ad articulos, & quæ jam influxit eximitur, locum dolentem inungit bis in die mumia partibuli, quæ eſt oleum deſtillatum ex carne ſuſpenſorum, ſole denigrata. Hanc autem inunctionem, ait, continuabis ad ſanationis finem uſque; per hanc enim unaquælibet podagra, chiragra, & ſimilis affectio, curari poteſt, quia hæc ceteris omnibus præſtantior eſt; modus iſte curandi vocatur ab eo, cura integra, quia cutis non aperitur cauſticis, ut in cura aperta, de qua paulo poſt. Hartmannus

nus in pract. chimiatr. deſcribens pulverem hunc, petit oſſa hominis juvenis, violenta morte perempti, calcinata: Si chiragra, manuum; Si podagra, pedum, & ſaccharum candum, loco alterius, imponit; ſumendo pulverem cum aqua ivæ arthriticæ, vel fragariæ ex Crollio, vel ulmariæ. Ego vero ſi oſſa humonis haberi nequeant, animalium oſſa uſu reciperem: Si enim utimur bovis ſplene, & aliorum animalium, ſicut & pulmone vulpis, & quamplurimis aliis partibus; quidni eorumdem oſſibus? Si tamen oſſa hominis ſint in promptu, ſive manus, ſive pedis, cum Paracelſus pro omni affectione arthtiticis pulverem componat, iis conſulo potius utendum. Idem Paracelſus lib. 2. de vita longa, cap. 1. tomo 2. & in fragmen. ejuſdem lib. paulo poſt ſcripto, loquens de cura podagræ, ait, Arcanum corallinum, fluxus podagricos uſque adeo expurgat, ut locus illi morbo amplius non detur; purgatio ea ſexies, aut ſepties iteranda, prout podagra vel inveterata, vel gravis, vel contumax eſt. Quod ſi tamen à purgantione, morbi aliquid reſiduum fieret, aut æger propter imbecillitatem, purgationi ſuſtinendæ non ſufficeret, cutis ei aperienda eſt, ubi ſedes præcipua, vel centrum podagræ eſt, per alkali ex ſpiritibus; ut dicetur infra in cura aperta. De arcano autem corallino, quod præparatio quædam mercurii eſt rubea, vide Crollium in Baſilica chymica, & commentaria Hartmanni titu. de cathart. mineralibus. Eſt etiam aliud purgans apud Paracelſum, in herbario, ad podagræ præcautionem; radix ſcilicet ellebori nigri, quam miris laudibus prædicat; non ſolum in hoc affectu, ſed & contra epilepſiam, hydropem, & paralyſim. Colligit illam luna decreſcente, in ſigno libræ, & flantibus borealibus ventis, quod tempus collectionis optimum eſt, illam poſtea ſiccat in umbra; ejuſque pulveris dat juvenibus ℈ij. in lacte, ſenibus vero in vino, tribus conſecutis diebus, mane, antequam dolores percipiantur. Quo facto, inquit, fluxus podagricus aufertur à toto corpore; ſic ut hora paroxiſmi, parum, aut nihil dolorum ſentiatur. Pauperes uti poterunt ſemine ebuli bene purgati, & ponderoſi, ita ut aquæ non ſupernatet; mirifice enim, vi dejectoria, inquit Matthiolus demulcet dolores podagricos, iſchiadicos, & à lue venera ortos, ſumptum ℈j.

Arcanum corallinum fluxus podagricos expurgat.

Uſus radicis hellebori nigri contra podagram.

Semen ebuli demulcet dolores podagricos.

pon-

pondere: Advertendum tamen cujus ætatis ſit ſemen; maxime enim recens valde, ſubducit ventrem, movetque vomitum, ſua oleoſa recenti ſubſtantia, quod non efficit, ſi ſit plurium menſium: Sumpta enim de hoc ſemine ℨj. contuſa, & vino diſſoluta, quod octo menſium, erat, octies mihi ventrem ſubduxit; eadem vero doſi, anno ſequenti ex ſemine recenti, ſeptem & decies venter exoneratus eſt cum vomitu, & ſtomachi magno faſtidio, quod oleo recentis ſeminis tribuere non dubitavi; tamen vires non fuerunt dejectæ, nec ſitis me infeſtavit, ut ex aliis medicamentis contingere ſolet, quæ nimis ventrem ſubducunt; quare eligatur ſemen mediæ ætatis, & quo magis inveteraverit, augeatur doſis, quouſque novum, quibuſdam menſibus repoſitum ſteterit. Placebit etiam divitibus, ſicut & pauperibus, hac uti purgatione, eos enim magis adoritur arthritis, propter lautam victus rationem, & inſuetam laboribus. Multi in doloribus arthriticis laudant vomitum, quod commode cietur mane jejuno ventriculo, facile vomentibus, ante dolorum invaſiones; veris ſcilicet, & autumni initio: Qui enim his temporibus utuntur aqua benedicta, rariſſime, aut nunquam, modo reliqua correſpondeant, inſultibus podagricis corripiuntur, inquit Hartmannus: Quod ſi æger difficile vomat, ſumendum inſtante quolibet vomitu, parum juſculi, ne vanus ſit conatus. Ex his omnibus purgantibus, quædam frigidæ, quædam vero calidæ arthritidi conveniunt: Quibus prævalet ſcammonium, ut caryocoſtino, & ſæpiſſime pulveri Cornachino, ea bilioſis, & calidis humoribus vacuandis idonea ſunt; ſcammonium enim, ut refert Oribaſius ex Rufo. 7. collect. cap. 26. pituitam, & bilem impermixtam vehementer evacuat, cujus naturæ, ex Hippocrate, eſt humor arthritidem efficiens: Ideo pilulæ de agarico, humoribus calidis educendis non conveniunt, quia ſcammonium non recipiunt: Alia purgantia quæ jam enumeravimus, utramque materiam educunt; Quædam vero magis calidam, ut pulvis Paracelſi; Quædam magis frigidam, ut diacarthami, & pilulæ fœtidæ, quæ licet ſcammonium recipiant, multam tamen ex partiaria materia, ducunt pituitam, ut turbith, colocynthis, eſula, & hermodactyli: Pilulæ vero de hermodactylis majores, pituitæ vacuandæ ſolum in-

inſerviunt, quia ſcammonium non eſt de eorum partiaria materia. Semen ebuli aquas tantum & ſerum educit; quod, ut ſupra demonſtravimus, vera & proxima cauſa eſt arthritidis. Inter purgantia, ſeu vacuantia univerſalia, diximus ſupra anumerari poſſe generalem ſudoris provocationem; quod ex toto corpore evacuet, & per loca conferentia, in hoc affectu: Nullumque invenias, cujuſcumque ſententiæ fuerit; ſive ex venis, ſive ex capite; ſive ab utroque fonte, originem ducat arthritis, qui hoc genus auxilii non probet; Modus tamen recte perficiendi, paucis eſt in promptu, præcipue cum adeſt febris: tunc enim communia ſudorifica, ex ſalſaparilla, radice chinæ, ſaſſafras, & multo minus ex gayaco conveniunt, neque eorum decoctum facile movet ſudores ſine laconico, melius hoc perficitur eorum pulveribus, vel ex uno, vel ex duobus, vel ex tribus, pondere ℥iß. aut ℥ij. per noctem in vino infuſarum; aut in aqua aliqua ſudorifica ſupra cineres caldos, ſi quid obſtet, ſumpto liquore ſimul & pulvere, corpore plus ſolito cooperto. Vel ad chymica ſudorifica confugiendum, ut eſt antimonium diaphoreticum, & multa alia quorum præparationes extant apud artis peritos. Beguinum in tyrocinio. Hartmannum. in pract. chymiatri. principio. Hamerum Poppium, in baſili. antimonii. Præ ceteris autem in operibus Glauberi, prima part. & præcipue, 2. par. furnor. tom. 3. Sudoris provocationem ſupplere poteſt diureticum probatæ virtutis, ut eſt radicis bardanæ majoris decoctum; quod ex Foreſto, cum cereviſia factum, & calide bibitum, ſanavit virum à doloribus arthriticis, in lecto decumbentem, quo epoto, plurima minxit inſtar lactis alba, & ſanatus eſt. Vacuantibus his univerſalibus, veniunt in ſubſidium particularia, fonticuli, veſicatoria, ſetacea, hirudines, ſcarrificationes, & particularis alicujus membri ſudoris provocatio; de quibus fuſiſſime cap. 2. de flux. lib. 1. De hoc autem ultimo paulo poſt. Tertium præſidii genus, quo humoris arthritidem facientis generatio impeditur, aut ſaltem copia minuitur, verſatur in capitis roboratione, ſicut & ſtomachi, & jecoris, ut quidam volunt, quibus non refragor: Salſum enim illud minerale, aut ſuccus acetoſus, ſeu tartarum, à cibo, & potu præcipuam originem habens, niſi ab

Sudoris provocatio univerſalis, arthriticis utilis.

Decoctum radicum Bardanæ majoris ſanat Podagram.

Ar-

Archæo ſtomachi evincatur, tranſit in jecur, magis liberum quam antea, terreſtrioris quippe ſubſtantiæ vinculo ſolutum: in quo ſi coctionem eludat, purius in totum corpus cum ſanguine circumfertur: Cum autem partibus alendis ſit ineptum, ſuperfluis humiditatibus immixtum remanet, quamplurimorum morborum cauſa, cum foras non expellitur. Verum cum nulla ſit pars, ut ſæpius diximus, quæ majorem ſanguinis quantitatem, in ſui nutritionem abſumat, ipſo capite: nulla etiam quæ ex debili coctione, majorem excrementorum proventum cumulet, multoque magis ſi ſanguis peccaverit, vel à cauſis externis, vel ex primæ, vel ex ſecundæ coctionis defectu, à quibus multi vapores aſcendunt ad caput, præcipue ab ea quæ fit in ſtomacho, quibus in laticem denſatis, augentur partis ſuperflua: ex quibus, ſi per ductus naturales non expurgentur omnes morbi à fluxione, quos lib. 2. cap. 2. enumeravimus, exurgunt, de quorum numero eſt arthritis. Quapropter in curatione, harum partium habenda eſt ratio, ut recte quælibet ſuo munere fungatur: Stomachus probe chylum conficiat, ut ſi quid tartareæ ſubſtantiæ in eo inſit, ſeparetur, facilius per fæces excernendum: Jecoris intemperies, ſi qua ſit, corrigatur, ipſique robur concilietur, ut recte fiat hæmatoſis, tartarumque à ſanguine, hoc pacto, facilius ſecernatur per vias, expellendis hujuſque coctionis excrementis dicatas deturbandum, præcipue per urinas. His peractis, nihil tamen, aut parum proficies, ſi fons mali proximior, caput ſcilicet negligatur: Quapropter Paracelſus conſilio 1. pro quodam celeberrimo ſcriba, ad confortandum cerebrum, & ſtomachum, pro devitandis fluxionibus, & aliis morbis, hæc illi præſcribit.

℞. Rad. caryoph. rad. aco. ana ℔ß. folior. euphra. mij. flor. ſamb & majora ana ℥iß. ponantur omnia in doliolum, cum 30. menſuris vini: ubi autem octiduum infuderint, bibatur mane, & ſero ſub noctem, hauſtus qualibet vice, per menſem integrum. Per hanc potionem, inquit, cerebrum ſibi reſtituetur, & ad temperaturam convenientem reducetur. *Vinum ſtomachicum Paracelſi.*

℞. Grano. junip. ℔j. coquantur in aqua horis duabus, colentur poſtea, & exprimantur, ut pelliculæ, & granula ſecedant: pulpæ tranſmiſſæ, adde tandumdem ſacchari, ſubigendo

 cum

cum zinziberis ℥j. calami aromatici, & macis, tandumdem, cubebarum ʒj. Excipiantur vitro, quod optime clauſum, ſtet in ſole per menſem integrum: Doſis quantum media nux juglans æquat, mane, & ſero, ab ingeſto cibo, nihil amplius commedatur, aut bibatur. Erit ejus uſus per ſpatium duorum menſium: Hoc regimen, inquit, ſex annis integris tibi ſatis erit; quibus elapſis, de ſtatu morborum, amplius conſilia, & auxilia petenda erunt. Quod ita accidit, referente ipſo ægrotante, qui affirmavit ſe antea ſemper debilem, & fluxionibus obnoxium vixiſſe. Ab uſu autem horum remediorum, commoda deinceps ſemper ſanitate uſum fuiſſe, & pacatum ſenium ultra 70. annos produxiſſe.

Eſt & aliud præſervatinum magnarum virium, apud G. Horſtium lib. 8. obſerv. de morbis externarum part. obſer. 3. quo quidam Medicus Uratiſlavienſis ejus amicus, nomine Doringius, utens, ab inſultibus podagricis præſervabatur: Cujus exemplo, ipſe Horſtius felici cum ſucceſſu, expertus eſt in quodam mercatore. Hujus hæc eſt deſcriptio.

Pilulæ anti podagricæ.

℞. Pulv. chæmæp. chamæd. ana ʒij. centau. mino ariſto. rot. rhapo. genti. ſem. hyper. cran. huma. præp. ana ʒiß. rad. cicho. ſanta. rub. ana ʒj. cum ſucc. ivæ arthrit. & parum terebenth. fiat maſſa pilul. de quibus quolibet trimeſtri, in ſolſtitiis ʒß. ſumenda per menſem integrum.

Hartmannus in pract. chymiatr. tit. arthritis. valde commendat magiſterium perlarum, D. de la Rivire Medici Regis Galliæ, quod ipſe deſcribit magnumque ait eſſe in arthritide confortativum ad eam præcavendam, præmiſſis, ut ipſe ait, mundificantibus; hoc eſt purgantibus: Sed iſtud pro divitibus. Horſtius lib. 2. obſervati. de morb. capitis, obſervat. 12. epiſtola 3. duo ſe ait probare ad capitis robur, & ſuſpenſionem catarrhi: Primum eſt uſus pilul. aſſajaret, & arabicarum, ſumptarum quolibet veſpere, in ingreſſu lecti, ad ſcrup. j. aut ʒß. Alterum eſt pulvis Mercati, quarto quoque die capiti raſo aſperſus; qui

℞. Pulv. roſ. ſanta. citri. coral. præp. ſandar. Arabum: ſpic. celticæ ana fiat pulvis.

Præter hæc roborantia, eſt unum maximi momenti; capitis ſci-

ſcilicet cuſtodia à cauſis externis, de quibus multa. lib. 1. cap. 2. de fluxionibus.

Expeditis ad cauſæ antecedentis ablationem pertinentibus, ad conjunctæ reſolutionem, & mitigationem veniendum, ſi roborantibus articulos fluxio arceri nequeat; in quibus Medicus inſiſtere debet, cum recens eſt affectus; ne progreſſu temporis, aſſidua fluxionum arthriticarum receptione, irreparabilis invehatur articulorum imbecillitas: Ad quod duo ſequentia plurimum valent; Primum eſt, in vinaceis ex racemis rubris, & bene maturis, partes affectas cum incaluerint detinere, cavendo à vapore, qui caput maxime gravat. Vicem ſupplere poterit vinaceorum, cum non erunt in promptu, ſequens fotus.

℞. Folior. ſalviæ, majora. myrthi, orig. ana mj. folior. roriſm. flor. roſ. & balauſt. ana mß. nucum cupre. viridium, & conquaſſatarum num. 12. bacc. lau. & junip ana ℥ß. alum. ℥ij. cin. vitis ℔ß. fiat ex hiſ. decoct. in vino, & aqua fabror. ad fotum, vel immerſionem calide adminiſtrandam, ſi liceat ex partis poſitione; Deinde parte bene terſa applicetur emplaſtrum de meliloto, aut emplaſtrum cap. de pleuritide deſcriptum, quod dolores ſedat arthriticos. Si tamen partes ita ſint imbecillæ, ut irruenti fluxioni cedere cogantur; mitigantia primum, ratione doloris; deinde reſolventia in ſubſidium venire oportet. Primi generis multa eſt farrago apud Authores, ex triplici claſſe deſumpta: Quarum prima eſt paregoricorum, id eſt conſolantium, ſeu lenientium, quæ doloris cauſam demulcent anodynaque proprie dicuntur: Secunda eſt eorum quæ cauſam doloris auferunt, eique hoc modo contraria ſunt; licet ſimilitudine ſubſtantiæ plerumque hoc fiat; Quemadmodum in vulnere ab aculeo ſcorpionis inflicto, cujus venenum, quod partim cauſa doloris eſt, attrahitur ab ipſo ſcorpione obtrito, & ſupra vulnus impoſito; Venenum enim quod in ſcorpione eſt, inveniens in parte vulnerata aliquid ſibi ſimile, & ab ipſo deciſum, attrahit illud, ut ſibi jungat, quod facile cedit trahenti, relicta parte vulnerata, quæ propria ejus ſedes non erat. Simili plane modo, accidit in doloris arthritici ſedatione, quæ fit ab ſpecificis, quæ adhibentur, in quibus ſi ſimilitudo ſubſtantiæ, cum cauſa doloris occurrat, ſedatur dolor; ſin minus, nequaquam.

Fomentum ad arthritidem.

quam. Et hæc ratio eſt, cur ſpiritus ſalis, tollat interdum in inſtanti dolorem arthriticum, quia cauſa doloris arthritici continens, de natura ſalium eſt, illi quandoque familiaris, quod ſibi jungit, cujus gaudens amplexu, quod in parte eſt non amplius agit in eam, quo fit ut dolor ſedetur. Quapropter in talibus ſpecificis, multa ſunt experientia comprobanda, ut ſubſtantiæ ille conſenſus tandem inveniatur: Ideo multa deſcripſimus in hoc capite, & in ordine remediorum alphabetico. Tertia claſſis dolorem ſedantium eſt narcoticorum, ideſt torporem inducentium, à *narki*, quod eſt torpedo; quæ vel partibus ſuperponuntur; vel intro ſumuntur: Eorum vis eſt, cum intro ſumuntur, ut proprietate quadam, ſpititus animales quaſi ſuſtinere cogant, ne cum impetu, ut illis mos eſt, ferantur ad organa ſenſus, ita ut pigre, & exiliter, munere ſuo fungantur, unde ſenſus torpeſcit, & ſomnus conciliatur, inter morboſum, & naturalem medius: Simili modo, cum ſupra partem aliquam externam imponuntur; ejus ſpiritus, tum inſitos, tum influentes; torpidos reddunt, & quodammodo cohibent, præcipue influentes; unde parte exiliter ſentiente, non percipitur, ut antea cauſa doloris, niſi valde diminute. Hujus generis non ſunt, quæ actuali, ut dicunt, frigiditate, torporem inducunt, aditum ſpiritibus, pororum præcluſione prohibentia, & nimis excellente ſenſibili, ſenſum quaſi corrumpentia, quod qualitatis elementaris eſt effectus, quæ ad præſtandum, quod vere narcotica intra corpus efficiunt, non aſſumuntur; potius enim irreparabili frigiditate ſtomachum afficerent, aut calore naturali fracto, aut debilitato, hydropem, aut mortem afferrent, quam externæ alicujus partis dolorem, intro ſumpta, demulcerent: Narcotica vero proprie dicta, & foris adhibita, & ſumpta intrinſecus, ſomnum conciliando, dolores, tum internos, tum externos leniunt, & interdum omnino auferunt, ſine ullo frigoris ſenſu; imo calide adhibita: Hoc autem virtute quadam ſpecifica, non autem elementari, ut credidit antiquitas & quidam neoterici. Harum omnium claſſium, quædam arthritidi calidæ propriæ ſunt, cui ſcilicet calor, & rubor junguntur; quædam vero frigidæ, & aliæ utrique conveniunt: Quæ calidæ adhibentur, hæc ſunt.

Uſus narcoticorum in doloribus arthriticis.

℞. Mi-

℞. Micæ pan. recenter è furno extracti. q. v. infunde calidam in lacte caprillo in mortario ligneo, aut marmoreo, cum tot ovorum vitellis quot cataplaſmatis conſiſtentia ferre poterit; quo enim plures, eo felicius dolor demulcetur: In qualibet ℔j. cataplaſmatis diſſolve olei roſ. ℥ij. croc. gr viij. opii, ſi opus fuerit tandumdem. fiat catapl. calide applicandum, & tertia quaque hora renovandum. Quidam oleum non probant; ſi tamen recens fuerit, non debet rejici, eſt enim paregoricum, & citam cataplaſmatis exſiccationem prohibet. Variæ narcoticorum formulæ.

vel

℞. Mucil. ſem. pſyll. & cydon. vel ſem. alth. & cydo. ana ℥ß. in aquæ ſolan. & plantag. ana ℥iiij. factæ; calide pars dolens illinatur, & linteum, vel ſtupæ ſuperponantur, nec areſcere permittatur, ſed novam ſemper impone mucilaginem tepide æſtate, & calide hyeme, donec calor, rubor, dolorque omnis ſublatus fuerit, ſumme ſtrenuum remedium in ſedanda podagra, & chiragra, ait Fernelius. Quod ſi inflammatio major eſſe videatur, adde aceti ℥j. in cubito, & genu, & coxendice, atroci exiſtente dolore, quo altius vis penetret, adjicies campho. gr. vij. Aut interdum partem fovebis aqua roſ. ſtillatitia in cujus ℔ß. campho. gr. vj. diſſolvantur.

vel

℞. Carnem cucurbitæ. q. ſ. contunde in mortario in formam pultis, & applica frigide æſtate, & tepide hyeme. Efficax remedium; ſed cavendum eſt à partis nimia refrigeratione.

vel

℞. Aquæ fon. calidæ ℔ß. ſpir. ſalis ʒß. in aquam calidam injecto ſpiritu, immerge ſtatim linteum, & applica; illico ſæpius ſiſtitur dolor.

vel

℞. Aquæ ſalſæ; calefiat, & lintea in ea madefacta, parti dolenti imponantur; pro pauperibus, & cum ſpiritus ſalis deſideratur.

vel

℞. Sperm. ranar. & ſtercor. bovis, menſe Martio collecti in novilunio. p. æqu. ex his aqua diſtilletur, quæ cum guttulis aliquot ſpir. vitrioli calide applicata, confeſtim ſedat dolorem,

ex Hartmanno; apud quem eſt etiam ſpir. ſalis armon. cum pari portione ſpir. vini miſtus, in quibus aliquid camphoræ ſolutum fuerit; his plumaceolo locus bis, terve illitus, ſtatim dolor extinguitur: Hujus mirabilem uſum, inquit, deprehendi.

vel

℞. Spir. vini ℥iiij. injice in eas croc. ſcrup. ß. ita ut flaveſcat; coletur addendo camph. ſcrup. j. opii ʒj. tutum, & efficaciſſimum eſſe ait Sennertus, remedium ex Platero; ſicut & Riverius.

vel

℞. Aquæ ſtillat. ex tota ulmaria, cum flore, & radice eſt nobile experimentum apud Moranos in uſu, ad ſedandos illico dolores arthriticos, ex Adriano Spigelio.

vel

℞. Lentic. paluſt. & flor. chamæm. ana q. ſ. decoque in lacte. adde parum fari. hord. ut fiat cataplaſma.

Oleum ſaponis utile ad ſedandum dolores podagricos.

Eſt & oleum ſaponis in utraque arthritide conveniens, Nico. Metri Itali; de quo Zacharias Brendelius; ſcribens Greg. Horſtio, ſic ait: Utor eo feliciter in doloribus arthriticis celeriter mitigandis. Et paulo inferius inquit, accidit aliquando, ut poſt uſum hujus, cuticula a cute ſeparata, puſtulæ excitarentur, quibus apertis ichor quidam flavus, ſalſus, & acris, profluxit, ad ſeptimanas aliquot; unde diu æger, ab invaſionibus podagricis immunis fuit: Deſcriptionem tamen hujus olei non docet; Ego autem exiſtimo eſſe liquorem ſaponis, de quo Hartmannus in commen. baſil. chym. Crollii, titu. arthritis. cujus hæc eſt deſcriptio.

℞. Sapon. venetum, id eſt purum, & minime adulteratum. q. v. minutim inciſo ſuperinfunde bonum vini ſpiritum, & ſemel atque iterum diſtilla: affunde denuo eundem, relinque in loco calido, & poſtea per chartam filtra; eo illine podagram, & ſenties magnum levamen, inquit. Quidam exemplo Crollii, oſſa tibiarum alicujus animalis calcinata, loco oſſium humanorum, in oleum injiciunt, ut fit oleum de lateribus quod à chymicis, & dogmaticis laudatur, ſi eo pars dolens calide liniatur, in arthritide frigida; in calida vero, addatur cuilibet unciæ hujus olei, campho. & opii ana gr. iiij.

Alii

Alii utuntur emplaſtro quod deſcribitur cap. de pleuritide, cujus experimentum vidi multoties, etiam in arthritide calida, in qua vellem cum aliquo oleo anodyno, diſſolvi in formam cerati. Arthritidi frigidæ convenit ſequens.

℞. Olei petrolei ℥ij. helleb. albi ʒj. minutim inciſam coque parum, & locum dolentem illine, & ſtatim dolor ſiſtetur, inquit Hartmannus. Sedato magna ex parte dolore, & humorum fluxu quieſcente, ſi dolor aliquis remaneat, aut tumor, cum quadam manus imponentia, ut ſæpe fit, ad reſolventia, veniendum, & emollientia, ne reliquiæ humoris indureſcant: Ex quibus quod magis eſt in promptu, fit miſtione emplaſtri de meliloto, & de mucilaginibus: Vel utendum emplaſtro Fernelii, deſcripto. metho. cap. 27. & in fine Enarrationum hujus capitis, quod potentius eſt: Balnea tamen ſulphurea, & bituminoſa, omnibus præſtant, cum anni tempeſtas eſt idonea, daturque facultas abeundi, eorum tamen loco poteſt fieri balneum arte factum, quod

Balnea bituminoſa & ſulphurea podagricis utilia.

℞. Rad. alth. ℥ij. folior. malv. origa. ſalv. ſampſu. roriſm. ebul. ana mij. flor. chamæm. & melil. ana mß. flor. geniſt pij ſem. fænugr. bac. lau. & junip. ana ℥ß. ſalis com. lib. ß. fiat decoct. ad fotum, pluribus vicibus repetendum. Quod ſi partes affectæ commode poſſint immergi, fiat balneum cum fæce boni vini, hoc decocto calefacta ut ſit tanquam lutum alicujus balnei, ejus calore ſervato, ſuppoſito, ignitabulo vaſi fæcem continenti, ut membrum diu detineatur in luto, ſeu fæce.

His nihil proficientibus, ad curam apertam Paracelſi veniendum, quam aliquando oleum ſaponis facit, de qua aliquid ſupra attigimus: Hanc ipſe. lib. 6. de morb. ex tartaro, tract. 2. deſcribit hoc modo.

℞. Merc. ſublim. aquæ fort. & arſen. ana fiat pulmentum, impone de eo ubi dolor diffunditur: Si vero univerſum membrum is occupavit, in loco ad id maxime idoneo, foramen fac, deinde impone ad eſcharram liberandam: Poſtea attractivum quod ſequitur: Ita fiet ut omnis fluxus, & ſal tartareum extrahatur, liquetur, & in aquam reſolvatur. Sordibus univerſis evacuatis, inſperge in foramen pulverem de croco mar-

tis,

tis, & conſolida. Hac arte, & vi, extrahere potes, inquit, quamcumque podagram, quæ aliis nullis remedis cedit: Contra medicinam autem hanc, nihil quidquam reniti poteſt. Attractivum autem hoc modo parabis.

Emplaſtrum attractivum Paracelſi.

℞. Minii, lythar lap. calamin. carabe magnet. ana ℔ß. omnia in pulv. ſubtiliter redacta, bulliant in olei lini ℔vj. addendo terræ ℔iij. terebenth. ℔ij. verni ℔j. coquantur donec emplaſtrum ſit punicei coloris; in quo poſtea injiciantur diſſoluta, & colata, opopan. bdell. galba. ammon. ſagap. ana ℔ß. ubi ebullierint aliquantulum, immitte ſequentia, carab. maſti. thuris, myrrhæ, magnet. aloës, ana quart j. fiat emplaſtrum.

Exiſtimo Paracelſum maximo in uſu habuiſſe hoc emplaſtrum, magna eſt enim partiariæ materiæ quantitas, nec in ſola podagra uſum eſſe: Ideo ad libitum minui poterit. Si cui hæc cura aperta hoc modo peracta, operoſa nimis videatur, dabimus in Enarrationibus faciliorem, & parvi ſumptus.

PROGNOSTICA.

Quicumque podagrici morbi fiunt, ſedata inflammatione, intra dies quadraginta, conquieſcunt. Hippo. apho. 48. ſect. 6. & lib. de judicationibus.

Dolores podagrici, vere, & autumno, potiſſimum moventur. Hippo. apho. 55. ſect. 6.

Puer podagra non laborat, ante veneris uſum. Hippo. apho. 30. ſect. 6.

Eunuchi podagra non laborant. Hippo. apho. 28. ſect. 6.

Mulier podagra non laborat, niſi menſtrua defecerint. Hippo. aphor. 29. ſect. 6.

Quartana infringit podagram.

Podagra longus eſt morbus, & moleſtus, ſed non lethalis. Hippo. lib. de affectionibus.

Podagram varices ſolvunt. Avicenna.

Qui podagram congenitam habent: ægre ab ipſa liberantur. Hippo. lib. 2. prædict.

Senes non ſanantur. ex Hippo. 2. prorrhet. Et qui ærumnoſe vivunt, & alvum ſiccam habent.

Dy-

Dyſenteria ſanat podagram: & aliæ eliquationes valde proſunt, quæ ad inferas ſedes repunt. Hippo. ibidem.

Juvenes nondum callos habentes, curari poſſunt, ſi accurate vivant, laboriſque ſint amantes, & alvum bonam habeant. Hippo. ibidem.

Qui podagrici futuri ſunt; iis à magno pedis pollice fere incipit.

Arthritis hæreditaria inſanabilis eſt.

Doloribus arthritidis obnoxii; ſi abſque cauſa manifeſta liberentur, grave malum ſæpe minatur, alio tranſlata materia.

Arthritis degenerat aliquibus in hydropem.

Arthritis vertitur interdum in colicam; & colica in arthritidem, fluxu humorum viam mutante.

Arthritis quæ ſæpius repetit, confirmata, non curatur.

Solvere nodoſam neſcit Medicina podagram.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Præibit ceteras nobilis iſtius viri enarratio; quoniam in ejus curatione, pluſquam in ceteris omnibus, mihi magis arthritidis natura, de qua dubius eram, innotuit; frequens enim eram apud illum, & quidquid toto tempore ægrotationis accidit, quæ fuit 20. annorum, licet cum quibuſdam intervallis, manifeſtum nobis apparuit: vir erat proceritatis eximiæ, jecore præcalido, rubebant enim parum genæ, & naſi extremum, cum levibus interdum puſtulis, etſi vino diluto uteretur, gaudens tamen piperatis, ſalſis, & acribus. Pro genio, cui multum indulſerat, tranſacta juventute; cum annum quadrageſimum ageret; cepit conqueri de quodam ſtomachi dolore, qui licet remediis cederet, frequenter tamen redibat, levi fluxu ventris cum accideret, conquieſcens; quod ſuſpicionem mihi attulit, hujus doloris cauſam eſſe à capitis fluxione, per intervalla in ſtomachum delabente: Duobuſque annis aut circiter elapſis, apparuere in magno pedis pollice, quædam arthritidis principia: dolor ſcilicet, cum quodam tumore, & rubore, qui cum aliquoties recurriſſet, in alios articulos ſe poſtea expan-

Podagra Viginti annorum in viro nobili, piperatis & acribus cibis gaudens.

dit: Revertentibus tamen ſuo tempore doloribus, primus inſultus ſemper fiebat in pedis pollice. Cum autem dolor arthriticus caperet, illo ſæviente liber erat à cardialgia; & illa infeſtante, à doloribus arthriticis erat immunis: Quod quibuſdam annis perſeveravit; magis tamen, ac magis, invaleſcente cauſa utriuſque affectus, fluxione ſcilicet à capite, & cardialgia, & arthritide afficiebatur. Tandem prævaluit arthritis, in qua nullum unquam levamen percepit, ex venæ ſectione, nec ſanguis corruptus apparuit, primis quibuſdam annis, nulla apparente febre, quia eo tempore, non ita ſæviebat arthritis, nec fluxio, tunc parva, ſubibat venas ut poſtea, ſanguinem corrumpens. Sed poſtquam arthritis, ſociam habuit febrem, & inſeparabilem, ſanguis maxime corruptus apparuit. Per totum tempus, quo arthritide per intervalla laboravit, bis febre continua correptus eſt: Prima levior quidem extitit, 20. dierum, cum perpetuo capitis dolore, nullis cedens remediis; ab eo tamen, & febri liberatus eſt, ſumpta purgatione, quæ habetur deſcripta lib. 1. cap. 1. de doloribus capitis; altera brevior, ſed magis violenta, & periculoſa, cum totius capitis atroci dolore, & continuo, à quibus evaſit decimo quarto, auribus factis purulentis; caput autem imbecillum evaſit, à prægreſſis, & frequentibus equitationibus ſub dio, cum imbribus, ventis, ſole, & frigore, toto juventutis tempore. Ex hoc morbo emerſus, non minus propterea arthritidi fuit obnoxius, quæ vires acquirebat eundo, præcipue hyeme; quo tempore, pluribus annis antequam moreretur, à menſe Decembri, uſque ad Maïum, lecto quolibet anno detinebatur, cum doloribus; modo levibus, & ſine febre, modo gravioribus, & febre continua, circa noctem exacerbationem magnam habente; cum velut æſtuante humore, novi fluxus concitarentur: Quam exacerbationem, novi fluxus, præcedebat frigus capitis. Cum autem petiiſſet à me, quid ſibi vellet ſenſus ille frigoris, in capite bene contecto: Reſpondi ſignum eſſe ſeroſi cujuſdam humoris, è propria ſede excuſſi, qui fluxioni parabatur, ſupra pericranium, & carne ſuperjacente cumulatus: Unde poſtea noctes, quæ illi graves futuræ erant, prædicebat; nec fallebatur, à me, & experientia edoctus. Libenter nunc peterem

à

à Sennerto, vel à quodam ex ſuis ſequacibus, quemadmodum ille in ſuo primo argumento, circa principium hujus cap. allato, petit à Fernelii ſequacibus: Qua neceſſitate, vel naturæ, vel morbi, ante graves dolorum invaſiones, fieret illud frigus in capite: ſi humor arthritidis cauſa, excidit tantum è venis; & ſatis erit mihi? Procedente arthritide, quacumque tempeſtate, etiam æſtivo tempore, fiebant inſultus arthritici, licèt magis hyeme, ut diximus: præter in ea, in qua uſus eſt diæta ſudorifica quæ incipientem jam arthritidem, menſe Decembri, in magno pedis pollice, ut ſolitum erat, non ſolum avertit, ſed & omnes alios dolores: ita ut à menſe Decembri, uſque ad principium Maii, immunis eſſet ab omni dolore arthritico. Redeuntibus poſtea doloribus volebam ut quolibet anno, talis præcavendi, & ſedandi dolores, modus renovaretur: Sed propter calidum jecoris temperamentum, à quibuſdam Medicis non eſt probatus; quod quidem parvi faciebam: Quæ enim in viro jam 55. annorum, poterat eſſe calida jecoris intemperies, cui calor externus unius horæ nocere poſſet? Senibus, inquit Hippocrates, febres non admodum fiunt acutæ, frigidum enim eſt eorum corpus. Præterea, quis calor extraneus imprimitur calido jecori, cum calidus aër non inſpiretur? Si ex perſpiratione incaleſcit, illiuſque habenda ſit ratio, omnes diebus canicularibus, ſub ſole præcipue iter facientes, incident in calidam jecoris intemperiem, & in febribus acutis, in quibus viſcera pluribus diebus inardeſcunt; in laconico vero, tantum per horam, ad ſummum, incaleſcit corpus extrinſecus. Quod ſi ejus calor alicui ſit formidabilis, propinetur à ſudoribus juſculum ex herbis refrigerantibus: Vel ſi ægroto facile ſudores moveantur, potenti hydrotico, ex his quæ hoc cap. & alibi meminimus, moveantur ſudores ſine laconico: Nam laboranti febre quartana, in qua multi ſudores effluebant, inſultus podagrici omnes fere avertebantur; ita ut ſi arthritis reditum minaretur, accedente quartanæ paroxyſmo infringetur. Hoc etiam conſideratione dignum, accidit in iſto ægrotante, quod ex multis anodynis, quibus uſus eſt, nullum unquam bis profuit; neque ex his quæ mittebantur; neque ex his quæ ipſe præſcripſi: ſpiritu enim ſalis utens, cum in utro-

Diæta ſudorifica incipientem arthritidem avertit.

Aphor. xiiij. ſect. 1.

que genu arthritide correptus eſſet; applicato ſpiritu ſalis, cum aqua fontana calida, ut ſupra dictum eſt, ſtatim dolor conquievit; primum in uno; deinde in altero. Tandem cum eſſet ſenex 63. annorum, animo autem juvenis, induto levi thorace, poſt feſtum Paſcæ, qua tempeſtate ver, in regione iſta, non ſibi conſtat, propter montium Pyrenæorum propinquitatem oborto iterum frigore, humores excrementitii, qui ſub cute, & per corporis ſuperficiem fluebant ad articulos, ad interiora propulſi, in pectus ſcilicet; nunquam amplius, niſi leviſſime, ad articulos diverterunt, vixitque annum & dimidium, lecto ſemper decumbens, cum tuſſi, & ſputis puriformibus, tanquam pthyſi laborans ab ulcere pulmonis, quouſque ab ſputis, præ debilitate intercepto ſpiritu extingueretur.

Ex hac Enarratione, dilucide apparet in hoc viro nobili, licet temperamento eſſet biliosſus, ad ſanguineum declinante, & jecore præcalido, cauſam arthritidis antecedentem in capite extitiſſe, remotam vero in jecore, eo modo quo diximus; imbecillum enim caput reddiderat, ut diximus, frequentibus equitationibus ſub dio, tempore pluvioſo, & boreali, moraque nudo capite in aulis magnatum, nec non & vigiliis.

OBSERVATIO II.

Chiragra inuſto fonticulo ſanata.

Alius vir nobillis, atroci utriuſque manus chiragra laborans; cum ad levationem omnia tentaſſet, inuſto tandem in utroque brachio fonticulo, invenit remedium, quod toto vitæ decurſu, liber à chiragra, geſtavit: Poſtea vero, quotieſcumque ira excandeſceret, in pluritidem quam vulgus in hac regione occultam vocat, incidebat; commotis ex ira, majori impetu humoribus, qui antea à capite pedetentim defluebant. A qua tandem pleuritide, ſeptima vice extinctus eſt.

Vid: cap. 2. lib. 2. Enarrat. 3.

OBSERVATIO III.

Podagra applicatione ranunculi ſanata;

Sacerdos quidam, cum ex reliquiis podagræ, per tres annos integros in lecto detineretur; non valens incedere, loco magis dolenti impoſuit ranunculum, eo modo quo lib. 1. Cap. 1. de doloribus capitis diximus, & ſanatus eſt; Quod eſt ſpecies quædam curæ, quam ex Paracelſo, apertam vocavimus,

qua

qua craſſus humor, cutem penetrare non valens, hoc modo educitur.

OBSERVATIO IV.

Vir quidem nobilis, podagra à longo tempore laborans, ſimili modo ſanatus eſt; non quidem ranunculo, ſed volubilis cujuſdam ſpecie quæ Elatine, aut Clematis altera, dicitur; ejus foliis contuſis in caliculo glandis impoſitis, & ſupra partem magis dolentem ſuperpoſitis. Quod fieri poſſet remedio, quod in me expertus ſum contra dentium dolorem, quo cutis ſine ullo penitus dolore aperitur; componitur autem hoc remedium ex calce viva, & ſapone liquido, in formam paſtæ redactis, modo pyroticorum nudæ carni applicatæ: Poſſet dum late diffunditur dolor, nullaque eſt rubedo, pluribus in partibus applicari. Et hæc eſt cura aperta, facilior quam à Paracelſo tradita, quibus unicuique uti liberum erit.

Idem effectus a Clematite.

OBSERVATIO V.

Vir quidam nobilis, arthritide jamdudum hæreditaria laborans, maximum levamen percipiebat, applicatione emplaſtri, de quo ſupra facta eſt mentio in anodynis. Tandem diarrhœa correptus, quæ videbatur eſſe ſine periculo, ſolumque rhabarbari potionem requirere, brevi tamen mortuus eſt, me neſciente, quid cauſæ eſſet. Diſſecto cadavere, mihi renuntiatum eſt, pulmoni, & jecori, corruptionis ſubſtantiæ principia quædam ineſſe; unde non amplius miratus ſum, ægrotantem levi de cauſa putata cito interiiſſe: Humor enim ſalſus, & acris, qualis eſt in arthritide, via mutata, in hæc viſcera delapſus, eorum ſubſtantiam corrumpere inceperat.

Podagricus diarrhœa correptus cur cito interiit.

OBSERVATIO VI.

Vir quidam cui nodoſa fiebat chiragra; antequam materia nodos procreans obdureſceret, imponebat cataplaſma ex caſeo antiquo, & acri, cum juſculo tibiæ porcinæ rancidæ, ad putrilaginem coctæ, quod habetur in ordine remediorum alphabetico, ex Bayrio. titu. juncturarum, nodoſ. deſumptum ex Galeno. lib. 10. de ſimpl medic. facul. quo in loco ſic ait, loquens de caſeo. Ceterum impenſe acris, inveteratuſque

Chiragra nodoſa cataplaſmate ex caſeo antiquo acri, & porcina rancida parata, curata.

que jam redditus, maceratuſque decocto ſuillæ carnis, tophos arthriticas diſcutit: At Fernelius, doloris impactam materiam, antequam in tophos abeat, digerit hoc emplaſtro, in conſil. & lib. 5. meden. cap. 27. deſcripto.

℞. Gum. pini, & picis nigræ, ana ℥ij. ceræ, & axung. vet. ana ℥j. ammo. in aceto diſſol. ℥j. hermodac thur. irid. floren. & ſulph. vivi, ana ℥ß. olei irini q. ſ. fiat emplaſtrum.

Quod ſi materia diſcuti non poſſit, melius eſt uti cura aperta cum ranunculo, quo utor feliciter, ut dictum eſt.

Si vero jam materia in tophos abiit, dummodo non ſint inveterati, hac utitur cura Hartmannus.

℞. Vitrio. rom. & alum. roch. ana ℔ß. ſalis ℥iiij. omnia in pulverem radacta, conjunctim calcinentur in vaſe terreo, movendo donec evaporando ſpiritus exhalare inceperint, quibus odore perceptis ſubſiſte à calcinatione, & refrigeſcant omnia: Hujus pulver. & fari. hord. ana q. v. miſce cum fæce vini ad inſtar pultis, de qua applica ſupra partem affectam, & tophos, in modum cataplaſm. exſiccata diſſol. denuo cum fæce vini, & iterum applica, ſic pergendo, donec primo omnis dolor ſit diſcuſſus, deinde etiam ex ipſis articulis contortis, omnes tophi abſumpti fuerint. Fit ſæpe interim, ut ſimul cutis, ubi verrucæ, & ſcrophulæ apparuerint, hoc modo aperiatur, quod formidandum non eſt, ſponte nimirum ulcera coëunt; vel cera ſaltem emplaſtri loco ſuperpoſita, ipſis articulis denuo mobilibus redditis. Quod ſi nimis inveterati ſunt nodi, dolor quidem hac cura mitigatur, ſed tamen ipſi nodi vix cedunt, niſi Chirurgia accedat potentior, quam ille deſcribit; quæ nihil aliud eſt quam cura aperta Paracelſi. Vide multa doloribus ſedandis accommodata, in ordine remediorum alphabetico deſcripta, & quædam alia.

De Iſchiade.

CAP. II.

Dolor iſchiaticus eſt ſpecies quædam arthritidis.

Cum Iſchias ſit quædam arthritidis ſpecies, multumque diſputaverimus ſuperiori cap. de ejuſmodi dolorum natura, quid-

quidpiam de iſchiadico attingentes, parum in ea immorabitur oratio noſtra; adde quod multa remedia contra arthritidem, in eo deſcripta, huc transferri poſſint: Verum tamen eſt, Iſchiadem aliis arthritidis ſpeciebus, fortiora poſtulare remedia, & calida ut plurimum, potius quam frigida, propter partis craſſitudinem, & humoris naturam à capite defluentis, ut cogitur fateri Sennertus, quamvis neget humorem illum efficere Iſchiadem, quæ vera arthritis eſt: Contra quod effugium diſputavimus præcedenti cap. monſtrantes à pituita illa tenui, licet poſtea craſſior evadat, utramque fieri iſchiadem; quarum cum eadem ſint præſidia, non multum laborandum, an dolor ſit in tendonibus, an in nervis, aut membranis circa juncturam poſitis, an in partibus vicinis, an utrobique. Pro enim humoris abundantia, ultra coxendicem ſe dolor plerumque exporrigit, modo in tendonibus natium; modo in muſculos coxæ, modo in genua, & pedes uſque, graviter aliquando excrucians. Mirandum tamen, quod dolor iſte quædam habeat peculiaria, ab aliis doloribus arthriticis: Primo quidem, quod multi arthritide, viciſſim in pluribus articulis laborantes, non infeſtentur iſchiade. Secundo quod multi ſemel tantum aut bis, toto vitæ decurſu laborent iſchiade, nullis aliis doloribus arthriticis obnoxii: Tertio quod arthritis nunquam vertatur in abſceſſum: Iſchias vero, quandoque in abſceſſum degenerat, licet notha arthritis tunc dici poſſit: Denique quod in iſchiade; ſicut in plerifque juncturarum doloribus, tumor, & rubor, non appareant: Quod intelligendum de tumore oculis perſpicuo; in profundo enim ſemper eſt aliquis tumor in parte quæ humorem excipit, qui viſu non deprehenditur, propter ejus craſſitudinem: Adde quod in partem carnoſam, latam, & profundam, humor influens, longe, lateque diffunditur, ita ut non efficiat tumorem perſpicuum; quia etiam decidit ſæpe in parva quantitate, in caput, vel caudam muſculi alicujus, unde interdum acerrimus dolor, præcipue in motu hujus muſculi; nervi, & membranæ, quæ motum non efficiunt, non ita dolent in motu, ſicut tendones, qui in illo, vel trahunt, vel cedunt trahenti, quamdam ſolutionis continui ſpeciem patientes, ex qua aliquando dolor intolerabilis, mentem interdum percellens, ut ego

ego ipſe expertus ſum, in quodam dolore iſchiadico, corpus in lecto convertere conatus. Rubor vero in iſchiade nullus apparet; non quidem iiſdem de cauſis; ſed quod non fiat, propter delabentis humoris naturam, qui frigidus eſt, potius quam calidus; licet aliquando in abſceſſum convertatur, præcipue cum fit per viam criſis; aut admiſtione alterius humoris cum ſero; de qua re ſuperiori cap. Quem quidem abſceſſum, multi exiſtimant fieri per congeſtionem, quod falſum eſt; fit enim à defluxione, quæ quia affatim non irruit, ſed pedetentim, & repetitis vicibus, longoque tempore, propter humoris frigiditatem, in abſceſſum convertitur, fieri creditur per congeſtionem; qua via nunquam fiunt magni abſceſſus, niſi caſus, aut ictus acciderit. In tenui vero parte, ut pede, manu, genu, digitis, longe aliter ſe res habet; humor enim ſtatim atque in ejuſmodi partes influit, locum diffuſioni ineptum, & parvæ capacitatis inveniens, tumorem efficit conſpicuum, cum rubedine, ſi calidus eſt, nunquam ad ſuppurationem perveniens, tum propter naturam humoris; tum propter debilem oſſeæ, nervoſæque partis calorem. In quibuſdam tamen, veteri exiſtenti arthritide, & in tophos abeunte, præcipue in manibus, fiunt paſſim abſceſſus parvi in digitis, ex materia glutinoſa, quæ tamdem indureſcit. At cum hæc omnia non recenſeantur, niſi ratione curationis, ſitque Iſchias ſpecies arthritidis, aut ſaltem circa juncturam coxendicis dolor; curanda ut ejuſmodi dolores curari ſolent: Parum vero intereſt, an ſit vera arthritis, an alia doloris ſpecies, cum ſit utriuſque eadem curatio, ſi urgeant; quæ à venæ ſectione eſt incipienda, prius injecto enemate, vel poſt, ſi dolor urgeret, è baſilica lateris dolentis, habita ratione virium in quantitate, & ex modo exſilientis ſanguinis, videntur enim aliquando vires languidæ in quibuſdam ægrotantibus, quod ex modo exeuntis ſanguinis coarguitur, optime proſilientis, & cum impetu; res ſane in praxi non ſpernenda. Quod ſi non ſufficiat prima venæ ſectio ad revellendum, aut ſi novæ materiæ fiat affluxus; iteretur venæ ſectio ex eodem brachio, aut ex parte qua fluit humor: Vidi enim dolente humero ſiniſtro affici partes inferiores lateris dextri, humore in deſcenſu rectitudinem non ſervante, propter robur quarumdam par-

Dolor iſchiaticus criticus interdum degenerat in abſceſſum.

partium; aut propter cauſæ alicujus externæ interventum. Quantum ad venæ ſectionem malleoli præcipue ejuſdem lateris dolentis, non eſt de ea cogitandum, niſi ceſſante fluxione, cujus rei ſigna alias tradidimus, & præmiſſis purgationibus, de quibus multa ſuperiori cap. Ex quibus, præ ceteris, laudo pulverem Cornachini, juſta doſi exhibitum, ut videbitur in 1. Enarratione. Rondeletius multum laudat vomitum ex decocto radicis azari, aut ſeminis, ad ℥iiij. poſt cibos pingues, & liquidos, eoſque diverſos. Univerſalibus præmiſſis, quibus univerſalis ſudorum provocatio aſcribi poteſt, tanquam unum ex præcipuis curationis inſtrumentum; ad topica veniendum, quæ & fortiora, & potius calida, quam frigida eſſe diximus; ideo valentiora, quæ cap. ſuperiori deſcribuntur, eligenda ſunt, in quorum numero, emplaſtrum cap. de pleurit. deſcriptum, plurimum valet ſedando dolori; deinde ut reliquiæ humoris abſumantur utendum emplaſtro Fernelii in fine ſuperioris cap. deſcripto. Alexander Trallianus, ſinapi cum ficubus, liberavit hominem à magnis doloribus à cauſa frigida. Quidam utuntur in iſchiade cum felici ſucceſſu, oleo ſalviæ modo chymicorum parato. Vide innumera in ordine remediorum alphabetico deſcripta titu. Iſchias. quib. ſi nihil profeceris, utere cura aperta Paracelſi, quam magis dilucide deſcribit Hartmannus. titu. arthritis: Aut utere noſtra, ex ranunculo, vel elatine, aut ex ſapone liquido cum calce viva. Ex dolore enim pertinaci, & chronico, poteris avertere abſceſſum, & dolorem ſolvere. Quod ſi abſceſſus factus eſt, agnoſces ex longitudine morbi, quem febris interdum comitatur, ægrotantem in lecto ſemper decumbere cogentis; ex calore partis, manu è regione puris ſuperpoſita, & quandoque tumore; ex corrugatione epidermidis, ſi è regione luminis partem aſpicias, manu contra lumen poſita, ne caligent oculi, inter te & lumen poſitum.

Rondeletius laudat vomitum ex decocto radicum azari, in dolore iſchiatico.

Prognostica.

Quibus longo coxendicis dolore vexatis, coxa excidit, & rurſum excidit; iis mucores inſunt. Hipp. apho. 59. ſect. 6.

Quibus à diuturno coxendicis malo vexatis, crus excidit, iis crus contabeſcit, & claudicant. Hipp. apho. 60. ſect. 6.

Iſchias graviorem præ ceteris dolorem infert, ſi pars moveatur.

Iſchias graviſſima, cum corporis impedit converſionem.

Iſchias accidit interdum poſt longum morbum, propulſa illuc materia.

Iſchias longus affectus, ſi torpor adſit, & frigus ſentiatur in parte affecta, & in vicinis.

In iſchiade, doloris mutatio ad partes inferiores bonum.

Ex iſchiade interdum hydrops.

Ex iſchiade fit aliquando abſceſſus.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Doloriſchiaticus diæta ſudorifica ſanatus.

Sacerdos quidam hujus urbis Iſchiade laborans; pluribus adhibitis remediis perſeverante malo, decrevit thermas adire, in quibus erat lutum celebre, ad plures morbos ſanandos; in quod pluries ſe immerſit; rediens non ſanatus, propter humoris alicujus, ut opinor, perſeverantem defluxum; præſcripta à collega meo diæta ſudorifica, ſanatus eſt: Multis vero poſt annis humeri dolore, per multos menſes affectus, qui interdum ad inferiora excurrebat, non probante Medico ſuo tunc temporis ordinario, diætam ſudorificam, quam proponebam, eo quod eſſet hæreſi Helmontii involutus; humore ad viſcera poſt aliquot menſes viam mutante, paſſus eſt abſceſſum, ex quo contabeſcens mortuus eſt; pure poſt mortem per anum ejecto.

OBSERVATIO II.

Iſchias pulvere Cornachini bis ſanatus.

Vir quidam atroci iſchiade laborans, jacens in lecto quaſi ſaxum, ita ut ſe plumbum evaſiſſe diceret, propter motus difficultatem, & corporis gravitatem: Præſcripta illi doſi pulveris Cornachini, quem in libello de eo conſcripto, videram iſchiadicis profuiſſe; eadem die potuit ſurgere è lecto, brevique per urbem obambulans, nulla ei facta venæ ſectione, eo quod venæ ſectionem pertimeſcebat, eſſetque ſine febri. Poſt aliquot annos, iterum incidente in iſchiadem ipſamque graviorem, cogitavimus de eodem præſidio, quod bene ceſſit, ſumpto enim pulvere, ventreque probe exonerato circa noctem potuit

tuit è lecto ſurgere, brachiis in ſedilibus ſuſtinens corpus, brevique domo egreſſus eſt.

Observatio III.

Vir quidam in hac urbe iſchiade laborans, cum pluribus fruſtra tentatis nihil proficeret, diuque lecto addictus eſſet, alium Medicum accerſivit, qui videns alterum ſuis remediis nihil profuiſſe, ſuſpicatus eſt abſceſſum ſubeſſe, nec falſus eſt; eo enim aperto materia valde putris effluxit, & ſanatus eſt. Quod quidem ſæpe accidit, medicis nihil minus cogitantibus; pus enim, inquit Hippocrates, propter ſui, aut loci craſſitudinem, non ſe prodit.

Iſhias aperto abſceſſu ſanatus.

Aphor. 41. ſect. 6.

Observatio IV.

Vir quidam ruſticus conquerebatur de dolore iſchiadico, decumbens in lecto, accerſito Chirurgo, animadverſus eſt ab eo, quidam tumor in clune; exiſtimans pus ſubeſſe, aperuit tumorem, ex qua apertione, tantum aura male olens cum ſtrepitu prorupit: Obturato vulnere, ſequenti die ægrotantem inviſens, ut inſpiceret quid rei eſſet, facta ſectione, animadvertit totum ulceris cavum eſſe nigri coloris, gangrænæ inſtar, brevique mortuus eſt æger.

Gangrena a dolore iſchiatico.

De Rheumatiſmo.

Caput III.

Rheumatiſmus ſpecies quædam fluxionis eſt, ut verbum ſonat; diciturque à quibuſdam, fluxio ab intimis viſceribus, venis ſcilicet, & arteriis, in totum corpus, aut in plura membra irruens, quam febris, ut plurimum, continua comitatur. Nunc tamen latius patet nomen rheumatiſmi, tribuiturque cuicumque fluxioni notatu dignæ, quæ unum, aut alterum, aut plura membra occupat: Videtur autem rheumatiſmus, ex vi nominis, hoc importare, ut fluxionum repetitiones ſignificet. *Reumatizo.* enim Græce, Latine eſt fluxionibus infeſtor. Ita ut rheumatiſmus in ſingulari plures fluxiones denotet; ſive ſimul

Quid proprie eſt Rheumatiſmus.

mul & ſemel; ſive ſigillatim, & brevibus intervallis fiant. Hac ratione, ſi in partes interiores feratur fluxio, rheumatiſmus etiam dicitur; licet hoc minus eſſet ſolitum, cum pars aliqua externa non afficiebatur; omnes enim fere Medicos audio, externas fluxiones rheumatiſmum potius appellare; imo & ipſam arthritidem incipientem: In primo enim inſultu, difficile eſt in quibuſdam doloribus, internoſcere utrum rheumatiſmus, an arthritis dici debeat; quare laborantium gratia, vocamus potius rheumatiſmum, licet articulos tantum adoriatur fluxio; rheumatiſmus enim, qui tantum articulos adoritur, maximam habet affinitatem cum arthritide, nec niſi temporis progreſſu agnoſcitur; cum pluries irrunt in articulos fluxiones dolorificæ; quod non fit in rheumatiſmo, qui toto vitæ quandoque decurſu, ſemel tantum infeſtat, præcipue generalis dictus; qui quidem aliis magis proprie nomen hoc ſibi vindicat: Hunc febrem continuam, varias exacerbationes habentem, ſemper concitare animadvertimus: Qui autem non ita univerſalis eſt, vidimus interdum febri vacare; prout humor calidus, vel frigidus exiſtit; particularem vero, fere ſemper ſine febri, niſi magnam partem membri occuparet, cum tumore, calore, & rubore. Quod ſignum eſt, humorem ſanguineum, aut bilioſum ſero à capite deſcendenti immiſtum eſſe, ut ſemper fit in magnis fluxionibus, præcipue autem in corpore cacochymo. Diximus enim cap. de arthritide, ſeroſum humorem, quem ipſe Sennertus, & alii, non negant à capite defluere, & quorumdam dolorum cauſam eſſe, ſanguini immiſceri in deſcenſu, eumque, & alios humores interdum ſecum rapere: Quod Sennertum arguit, dicentem hydropicorum aquas, & cachecticorum, defluere in tibias, & pedes, per poros; quaſi vero in coxis, & tibiis ſint pori ſub cute, & muſculis ſine ſanguine; ergo humor à capite, decidens in partes ſubjectas, miſcetur ſanguini, intrat in venas, alios interdum humores ſecum rapiens; interdum vero purus ab eis decidit in articulos, ut diximus cap. ſupradicto: Quod partim contra Sennertum eſt; partim etiam Fernelio contrarium. Dixi deſcendentem à capite humorem, venas ſubire, & ab eis in varias partes effluere; in rheumatiſmo ſcilicet generali; interdum in eo qui proxime

Rheumatiſmus univerſalis concitat febrem, non vero particularis.

xime illi accedit; raro autem particulari, niſi accidat quod ſupra dictum eſt. Hæc autem fiunt, quemadmodum diximus in arthritide: Neque enim exiſtimo rheumatiſmum, aliam habere originem ab arthritide diverſam, nec per alias vias humorem defluere, nec diverſo modo, de utroque affectu eſſe differendum; humor enim veram efficiens arthritidem divertit plerumque in partes interiores, ſicut & rheumatiſmus, ut videre eſt in prima, & quinta Enarratione cap. de arthritide, fereque ſemper tunc occidit: Differunt tamen in multis rheumatiſmus, & arthritis: Primo quidem quod in rheumatiſmo generali, & huic proximo, partis mittentis, & recipientis diſpoſitio, ſe habent tantum per modum tranſeuntis; unde ſemel plerumque ſolummodo infeſtant: In arthritide vero, per modum permanentis; tranſivit enim in habitum utriuſque partis diſpoſitio: Secundo, cauſa externa movet fere ſemper rheumatiſmum, ut inſolatio, ſudores refrigerati, præcipue in capite, peregrinationes ſub dio, per nives, & frigora, iracundia, commeſſationes, vigiliæ, immoderatus veneris uſus; arthritidi vero excitandæ ſufficit cauſa interna. Præterea rheumatiſmus, eſt plurium partium affectus; at vero arthritis tantum articulorum, licet Paracelſus velit, quod ubicumque oſſium eſt compages, ibi poſſit eſſe arthritis, ut in vertebris; vir enim de quo fit mentio in prima Enarratione, cap. de arthrit. cum aliquando humor divertiſſet in os, quod dicitur coxa, ſimilique modo cruciaretur ut in arthritide ſciſcitatus eſt à me, quid hoc genus doloris eſſet; reſpondi, eſſe quidem eundem humorem arthriticum, qui illuc diverterat, ſed hunc dolorem non eſſe arthriticum, eo quod non eſſet in articulis. Denique rheumatiſmus, maxime proprie dictus, licet quandoque remittat, & invaleſcat; in pleriſque tamen, poſtquam omnino deſiit, raro aut nunquam revertitur; arthritis vero, ſi ſemel corripiat, ſuos ſemper habet paroxiſmos, alias per longa, alias per brevia intervalla redeuntes, licet omnino demiſerit. Ex omnibus, de quibus mox diſſeruimus, cognita rheumatiſmi natura; ejus cum illa, quæ generaliter arthritidi aſcribitur: Diſcrepat tamen in tribus. Primo quod rheumatiſmus, frequentiores poſtulet venæ ſectiones: Nam cum in rheumatiſmo, præcipue gene-

Cauſa Rheumatiſmi non differt a cauſa arthritidis.

In quo diſcrepat cura arthritidis a cura Rheumatiſmi.

generali, & interdum in eo qui illi proxime accedit, humor abundet, & caliditas exuperet, præcipitetque cum impetu à capite in partes ſubjectas, ſub cute, per muſculos, & exiles venas, ex quibus majores ſubit, ſanguinemque ubique corrumpens, aut addens corruptioni jam factæ: æſtum ex conflictu in eo concitat, ut jam diximus cap. de arthritide, exemplo ſpiritus vitrioli, cum ſale tartari commiſtione, unde febris accenditur, quæ quidem varias habet exacerbationes præcipue circa veſperam, cum novo ſemper humoris affluxu, in partes jam affectas, dolorem remittentem innovantis, aut proxime afficiendas: Quod venæ ſectionis reïterationes poſtulat; non ſolum ut fiat revulſio, & ſanguinis æſtuantis motus impediatur, ſed ut pars fluentis materiæ, quæ horum cauſa, novo affluxu exiſtit, auferatur, quam natura, cum valida eſt, ad partes ignobiles excutit, ſanguini purificando intenta. Secundo variat curatio rheumatiſmi à generali, quæ arthritidi adhibetur, quod rheumatiſmus, de quo præcipue ſermo habetur, reſpuat omnia purgantia calida, quia in hoc rheumatiſmo, febris adeſt cum magnis exacerbationibus: Ideo pro purgante, mihi familiaris eſt ptiſana, eo modo parata ut cap. de arthritide deſcribitur; utor aliquando pulvere Cornachini in his qui alia genera purgantium deprecantur: Verum ſi febris ſit conſideratione digna, jubeo diſſolvi in carnium juſculo, herbis hepaticis refrigerantibus, cum pauco betonicæ alterato: Sin minus, in forma pilularum, aut morſuli, vel cum ſimplici juſculo, quia gratioris eſt ſaporis, ſicut & pulvis electuarii diacarthami. Semen ebuli, cum pituita prævalet, maxime convenit; aut eligat unuſquiſque purgationem, quæ magis idonea videbitur, in qua, quæ diximus cap. de arthritide veniunt conſideranda.

Rheumatiſmus non admittit purgantia calida.

Repetitis venæ ſectionibus neceſſariis, & adhibita purgatione convenienti, tota reliquæ curationis ſpes, poſita eſt in hydroticis; & urinam cientibus, ut eſt decoctum radicis lappæ majoris, cujus experimentum habetur cap. de arthritide, poſt enumerationem hydroticorum: Sic & humoris per muſculos, & ſub cute defluentis, & illius qui in venas irrepſit, habebitur ratio. Interea ut ſanguinis æſtuantis motus reprimatur, non ſpernendus apozematum refrigerantium, & aperientium uſum, ad-

Rheumatiſmus curatur potiſſime hydroticis & diureticis.

addita in qualibet ℥ß. ſalis prunellæ, aut fiant juſcula ex iiſdem ſimplicibus. Si neque his cedat rheumatiſmus; quotieſcumque æſtuantibs humoribus, novæ materiæ affluxus animadvertetur, ex febris exacerbatione, & dolorum ingraveſcentium vi majore, toties ad venæ ſectionem recurrendum, habita virium ratione, ſudorumque, & urinarum provocationi viciſſim inſiſtendum, manente ſemper alvo libera, vel naturæ vel enematum ope. Tertio differt rheumatiſmi iſtius generalis curatio, in topicis; ab ea quæ arthritidi, ſaltem frigidæ adhibetur: Cum enim in ejuſmodi rheumatiſmo, & in eo qui ei proxime accedit, calidi humores prævaleant, ſaltem in principio, latiuſque ſe humor diffundat, in parte in quam influit, quam in arthritide, cum tumore, dolore, comitante rubedine, plus minuſve; actu refrigeratibus rejectis tanquam noxiis; reſolventibus pro tumore; refrigerantibus pro calore, & rubedine, & mitigantibus pro dolore, ſimul mixtis utendum, calide hyeme, & tepide æſtate, ad quod magis urget reſpiciendo: Idcirco valde mihi placet remedium ex lenticula paluſtri, cum floribus chamæmeli, in lacte decoctis, & cum farina hordei ad modum cataplaſmatis, admotis: Vide cetera cap. de arthritide, & pro ſymptomatum varietate, elige magis idonea. Sunt etiam quædam in Enarrationibus: Et multa in ordine remediorum alphabetico deſcripta.

PROGNOSTICA.

Rheumatiſmus, affectus plerumque chronicus.

Rheumatiſmus in partes nobiles irruens, periculoſus.

Rheumatiſmus in viſcera irruens, quandoque ulcera, aut abſceſſum facit, ſi longo tempore perſeveret.

Rheumatiſmus aliis plerumque morbis ſuccedit, tranſlata ad partes ignobiles materia, ſæpiſſime autem rheumatiſmus improprie nominatur.

Sudores rheumatiſmis ſupervenientes, ſaluberrimi.

Urina multa, & craſſa in rheumatiſmo, morbum ſolvit.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

Observatio Prima.

Rheumatiſmus brachii anodynis ſanatus.

Vir quidam nobilis temperamento bilioſus, acri ingenio, & ad iram valde pronus: Cum ſexageſimum annum attigiſſet, & amplius, cepit in cubitis magnis fluxionibus tentari, cum levi rubore, magno vero exiſtente tumore, & dolore tolerabili, niſi brachia moverentur, quod tam acutum excitabat dolorem, ut ſubito clamore omnes terreret aſtantes. Pluribus vicibus hac fluxione tentato, arthritidem eſſe ſubſpicabar, quia tamen ingens erat tumor, lateque ſupra, & infra cibitum diffuſus, modo utrumque modo unum tantum occupans, nunquam ad ſuppurationem perveniens, alias præcipue articulationes non invadens, rheumatiſmus mihi potius viſa eſt fluxio, quam oppugnare tentabamus, primo venæ ſectionibus, interdum purgatione, cui raro conſentiebat: Pro anodynis, utebatur cataplaſmate ex lacte, interdum ſtercore bubulo recenti, & calido: quibus ſedata inflammatione, & magna ex parte recedente tumore, multo tempore in hoc ſtatu pars permanebat, quouſque cura aperta cum foliis ranunculi inſtitueretur, qua motus ſine dolore fiebat in poſterum, pluribuſque vicibus hac methodo, ſibi motum difficilem reſtituit.

Observatio II.

Rheumatiſmus, & ejus recidiva poſt lautum ptandium, ſanatus.

Civis quidam hujus urbis, cum ejus villicus deſeruiſſet villam, quam ab eo colendam ſuſceperat, coactus per aliquot menſes, ire pedes in illam, rei villaticæ gerendæ proviſurus: A ſole, ab aëre nocturno, à ſudoribus refrigeratis, multa paſſus, incidit in rheumatiſmum generalem, ita ut quandoque videretur omnibus membris captus: Hunc minabantur antea dolores quidam vagi, & leves, in humeris, & coxendice: Sed cum in omnibus peccaret, pluribus cauſis in unum coeuntibus, torrentem fluxionum non potuit effugere. Vocatus, à venæ ſectione, injecto enemate, curationem ſtatim incepimus, ſequenti die repetita: Deinde ptiſanam purgantem, cap. de arthritide deſcriptam præſcripſimus propinandam bis in die,

per

per totum triduum: Quibus cum morbus non cederet, iterum ad venæ ſectiones confugimus, ſecundum partium laborantium ſitum, in principio brachiorum, progreſſu temporis ex utroque malleolo: Cum autem ſemper febris urgeret continua, varias exacerbationes habens præcipue circa veſperam, & de nocte, quas ut plurimum novæ fluxiones, & dolores ſubſequebantur, apozemata refrigerantia & hepatica, cum ſale prunellæ, in plures dies præſcripſimus, ut ſanguinis fervor, & æſtus compeſceretur, nec non & putredo, qua multum ſcatebat, corrigetur. Poſt 14. omnia remittere ceperunt, videbaturque mane eſſe quandoque ſine febre, vigeſimaque die omnino liber fuit ab ipſa, & ab omni moleſto dolore, ita ut perfecte ſanus ab omnibus crederetur. Cum autem plus quam liberalius pranſus eſſet, rediit affectus magis ſæviens quam antea, conclamantibus de ſalute aſtantibus: Nos & ægrotum, & ipſos ad ſpem erigentes, ad ſupradicta auxilia confugimus; ſtabat tamen morbus contra naturam, novo quolibet fere die humoris affluxu, variis in locis dolores renovante, licet quoquoverſum fierent venæ ſectiones, prout capta membra permittebant: vulgaria etiam anodyna, partibus dolentibus adhibebantur levi cum fructu: oportuiſſet enim anodyna non admovere, ſed totum ægrotantem in anodynum immergere; quod poſtea balneo aquæ dulcis, quibuſdam paregoricis incoctis, præſtiti, commotis ab egreſſu in lecto ſudoribus, febre & doloribus, parum remittentibus. Tandem venæ ſectionum ope, & quibuſdam purgationibus per intervalla adhibitis, ſanus factus eſt perfectiſſime, intra tamen duos menſes & dimidium, à ſecunda invaſione. Miratus ſum in hoc ægrotante, à tot venæ ſectionibus repetitis; vires nunquam fuiſſe dejectas: cujus rei confirmationem memini me legiſſe in praxi Riverii, cum agitur de rheumatiſmo hujus generis.

Observatio III.

Vir quidam nobilis & juvenis, præfervida animi conſtitutione, ſicut & fere omnes, qui hoc morbi genere tentantur; poſt quaſdam peregrinationes, domi otioſus, incidit in rheumatiſmum; non quidem generalem, ſed tantum duorum brachiorum,

Juvenis Rheumatiſmo brachiorum laborans, ſanatus.

chiorum, in quibus ab humeris ad manum, magnus erat tumor, cum robore quodam, & febre continua, quotidianas, inclinante die, præcipue vero de nocte, ut illi in hoc affectu mos eſt, exacerbationes habente, in quibus dolorum ingraveſcentium major vis fiebat. Vocatus poſt decem dies in conſilium, eo quod affectus multis adhibitis auxiliis non remitteret; ſententiæ hujus fui, ut quoties novi fluxus fierent, venæ ſectione ſymptomatum remiſſio tentaretur, ut purgatio iteraretur, deinde ſudores provocarentur; pro autem dolore demulcendo, magnum linteum in aqua ſalſa calida madefactum brachiis imponeretur; quod mirabiliter dolores demulſiſſe, mihi poſtera die retulit Medicus ordinarius, ceteraque bene, ceſſiſſe, & brevi ſanatum.

Observatio IV.

Rheumatiſmus, balneo ex decocto herbarum parato ſanatus.

Vir quidam ad iram, & ad præfervidos quoſcumque animi motus valde propenſus, ſexageſimum annum attingens, ceteris ſatis feliciter exactis, incidit in rheumatiſmum generalem, non autem valde gravem, nec cum magna febri: iniquo tamen animo omnia ferens, nec remediis ore ſumendis obtemperans, magnum mihi, & Medico ordinario negotium faceſſebat, Fiebant quidem venæ ſectiones; cum autem dolores locum mutarent, viderenturque eludere hoc modo anodyna particularia, decrevimus uti balneo, ex decocto malvæ, altheæ anethi, chamæmeli, & meliloti, in quod calidum, mento tenus jubebamus ægrotantem immergi; non ſolum leniendis doloribus, ſed & ſudoribus ab egreſſu in lecto provocandis, neque enim febris obſtabat. Ex his melius habens, pedetentim ſubſiſtentibus fluxionibus ſanus factus eſt.

De Febre Quartana.

Caput IV.

Quartana febris, licet medicorum opprobrium dicatur, multum tamen in ea curanda præſtare poſſunt.

Ex duobus affectibus, qui nominatim opprobrium Medicorum vocantur, de uno plane diſſeruimus, arthritide ſcilicet; ſupereſt nunc, ut de altero, nempe quartana, verba facia-

ciamus, in cujus curatione, licet vulgus Medicos cæcutire exiſtimet, propter ſuam ignorantiam, multa tamen præſtare valent; non ſolum ad lenienda ſymptomata, & febrem abbreviandam; ſed & cocta materia, omnino profligandam, ut ſæpiſſime experientia confirmatur. Quis enim ſtatim à principio, quemlibet morbum poteſt abigere? quiſque ſua percurrit tempora; unus quidem citius, alter vero tardius, pro materiæ febrilis & ægrotantis conditione: Vulgus autem qui horum rationem non habet, exiſtimat febres quartanas primis ſtatim cedere pharmacis; quod tertiana omnium breviſſima ſæpe non facit: Quia cum concocta medicari oporteat, non autem cruda, ſitque coctio ſolius naturæ opus; artis autem, partem roborare, ut facilius coquat; humorem craſſum extenuare, ut citius coquatur; quod abit in fermenti febrilis materiam avertere, debito vivendi regimine, & quibuſdam, ut vocant, minorativis, per intervalla exhibitis; & vias per quas humor peccans educendus, fluidas reddere; hæc autem tempus requirunt, ut perficiantur in quartana, & aliis plerumque morbis; ideo in principio, eradicative, ut ita loquar, curare volenti, non cedit; imo potius exaſperatur: Qui enim in principio quartanas ſolvere putant; ut loquar de ea, quemadmodum Hippocrates de inflammationibus lib. de Helleboro. fortibus medicamentis, nihil adimunt; neque enim cedit adhuc cruda paſſio, ſed quæ morbo reſiſtunt, & ſana ſunt colliqueſcere faciunt. Præterea commoto humore, nullaque ipſius vacuatione facta, febris exaſperatur, & ex ſimplici quartana, duplex quandoque, & triplex efficitur; unde vulgus à medicamentis deterretur culpam in Medicum rejiciens. Qui vero ſpecificis quartanam ſanare nituntur, raro, aut nunquam optata conſequuntur, morbo exiſtente in principio; Si autem res bene cedat, plus noxæ, quam commodi affertur ægrotantibus; ab ejuſmodi enim ſpecificis materia febrilis non expellitur, ſed tantum ejus efferveſcentia, qua febris in quolibet paroxiſmo accenditur, impeditur, remanente quod in qualibet acceſſione abſumeretur, aut ſaltem quod coctioni ſuſcipiendæ diſponeretur; unde, ſi febris non revertatur ut fere ſemper revertitur, iterum accenſa materia; cogitur natura

Rarius in principio Quartana ſpecificis curatur.

aliam viam quærere, ut ab illo febrili fermento, non valde amico, ſe expediat. Cum autem humor ille melancholicus, craſſior tunc temporis exiſtat, & corruptione mali moris, non facile naturæ conatibus obtemperat, ut foras expellatur, ſed intus remanens, febrem lethalem continuam, eodem anno interdum excitat, aut progreſſu temporis, in tibias procumbens, tumores mali moris, vel ulcera difficilis curationis excitat: aut in partibus ſuperioribus cancrum; in hypochondriis morbum flatulentum; in cerebro, epilepſiam, melancholiam, & alios magnos morbos, à quibus æger fuiſſet immunis, juxta illud Hippocratis. A quartana correpti à magno morbo liberantur: Ideo experientia edoctus, nemini unquam conſului, ut ejuſmodi ſpecificis quartanam abigere tentaret, niſi multum progreſſa eſſet, & jam cocta materia: licet tamen, cum duplex, aut triplex eſt quartana, prius bene purgato corpore, ad ſimplicem reducere, quemadmodum nos fecimus, ut melancholicus humor ab ea quæ relinquitur, abſumatur: vel cum ſimplex quartana, tam vehementes habet paroxiſmos, ut qui febricitat, non ſit oneri ferendo, quem admodum ſenes; licet tunc aliquo ſpecifico, in parva doſi exhibito, ſemel, & bis, impetum efferveſcentis materiæ in paroxiſmis, retundere: Quocumque autem modo febris auferatur, ſecurius eſt ſemper, ſi materiam febrilem vacuantium ope, id fiat; Quibus ſi febris non cedat, animum ad id conſequendum, non oportet obfirmare, quouſque jam cocta exiſtat materia, ne accidat quod ſupra diximus; ſed febrem tanquam arcem ſitu inexpugnabilem, & valido firmatam præſidio, cogere, ut ita loquar, ad deditionem, impedito commeatu, debito vivendi regimine, & purgationibus per intervalla ſumptis, ut in me præſtiti, & quibuſdam aliis: Materia enim febris quartanæ, domicilium habet tanquam in arce, præcipue circa hypochondria, ubi putruit humor melancholicus, aut alius ad ejus naturam accedens; biennium infantium enim, & triennium quartanæ, non fiunt ab humore melancholico, ſed potius à pituita, quæ craſſitudine naturam ejus æmulatur, ut N. Piſo annotavit probatque Sennertus: Qualiſcumque autem fuerit naturæ, humor ille putris, ſe habet tanquam fermentum, contactu quæ ſibi vici-

Epid. 6. ſect. 6.

Tutius curatur Quartana evacuantibus materiam febrilem, quam ſpecificis.

na

na ſunt corrumpens, & in ſui naturam convertens, certiſque diebus, à proprietate putredinis, motum habens effervescentiæ, ut primus docuit Fernelius. lib. 4. patholo. cap. ix. de circuit. febr. intermitt. cauſa: Cujus ſententiam, veritati omnibus aliis magis conſonam eſſe, ſemper arbitratus ſum: Licet autem Sennertus omnium Doctorum ſententias enumerans, videatur ſibi aliquid ſupra Fernelium addidiſſe, nihil tamen ſupra proprietatem putredinis, niſi ſermones inveni. De hoc vero peculiari motu putredinis, quo febris intermittens recurrit, non eſt mirandum, nec quærendum, quemadmodum vulgus, quo febris ſe recipiat, & unde iterum revertatur: Multa enim in hoc mundo ſuos habent motus: Cœli motus habent proprios: Elementa quoque: Terra certo quodam tempore movetur, ad ſtirpium generationem: Sic in microcoſmo varii ſunt motus, ſe, tum humorum non ſolum, qui ſecundum naturam tum partium habent, ſed & putreſcentium, quorum motus variant, pro natura fermenti putredinis: Ideo alius eſt motus fermenti pituitæ putreſcentis, alius eſt bilis, & alius eſt melancholiæ, longo, aut brevi tempore, ſtatutos ſervantis paroxiſmos, pro viribus fermenti, materiæ copia, & qualitate: Quo enim craſſior materia, & copioſior, eo febris diuturnior, & è contra, & quo egreſſus facilior, aut difficilior: Eſt autem copioſior materia, vel à principio cumulata, quam pedetentim fermentum corrumpit, ſemel introductum, vel quia quotidie ſuppeditatur, inordinata victus ratione. Fermentum enim, quidquid in ſuo ambitu occurrit, in ſui naturam convertit: Quod ſi magis corrumpat, quam in qualibet acceſſione abſumitur, ut in principio febris, potenti exiſtente fermento, & vires acquirente eundo, augetur febris; acceſſionis tamen dies non mutatur: quia hoc non pendet à quantitate materiæ, ſed ex qualitate fermenti putredinis, quod ſive multa, ſive pauca ſit materia, eumdem ſervat motum, ut recte explicat Fernelius, exemplo motus ſanguinis in mulieribus, quibus quolibet menſe ſanguis ad exitum movetur, ſive multus, ſive paucus. Si autem in qualibet acceſſione plus materiæ putreſcentis abſumatur, quam ejus quod tranſit in alimentum fermenti, viribus ipſius imminutis, febris minuitur, eundem

Prout multa in hoc mundo ſuas habent periodos, ita & humores in noſtro corpore ſuas habent.

Longitudo vel brevitas febrium Quartanarum, magis dependet a qualitate putredinis humorum, quam a quantitate.

ſemper motum ſervans paroxyſmorum. Ex his facile intelligitur, cur fere omnes febres quartanæ ſint longæ, quædam vero breves, etiam ex autumnalibus; & cauſam circuituum earum, ſicut & aliarum intermittentium, referri potius ad qualitatem putredinis, quam ad humoris quantitatem; quod etiam de continuarum putridarum exacerbationibus exiſtimandum eſt, quæ certis quibuſdam horis fiunt, imo & diebus, ut tertianæ continuæ, & quartanæ. Non eſt tamen negandum in aliis affectibus, multos humorum motus, poſſe referri ad partis mittentis, & recipientis conditionem, quæ etiam aliquid poteſt efficere, ad circuituum anticipationem, aut cunctationem, pro varia partium, in qua putredo conſiſtit, ſenſibilitate, robore, & calore; quemadmodum accidit ex ira, victu calidiore, balneis, æſtu, & exercitatione, quæ inter cauſas anticipationis circuituum enumerantur; ſicut his contraria, cuctationis: Nunquam tamen circuituum cauſa exiſtunt; licet Galenus lib. 2. de febri, cap. 11. eam conſtituat in partis mittentis robore, cum multitudine ſuperfluitatum gravatur, aut qualitate pungitur; & ad recipientis imbecillitatem; ſicut de fluxionum, ita de febrium circuitibus philoſophatus, inter quæ eſt maxima differentia; longe enim alio modo, putreſcens humor cauſa febrium movetur, quam humor fluxiones efficiens, qui à parte mittente expellitur, quoties ejus quantitate gravatur, aut ejus qualitate pungitur: ſine quibus, aut uno ſolo, aut ambobus non fierent fluxiones: At in febribus non requiritur certa quædam quantitas, nec qualitas; ſufficit enim putredo humoris, quæ pro varia putreſcente materia, varios habet motus, ſive multa, ſive pauca; nec requiritur partis robur, ut humor expellatur: efferveſcit enim ſæpiſſime in proprio foco, nulla facta materiæ febrilis expulſione, toto paroxiſmi tempore cruda nimis exiſtente materia: Fiunt quidem, & paulo ante paroxiſmum, & in ipſo in varias partes exhalationes, unde præcedunt oſcitationes, & pandiculationes: deinde accedente febre, artuum, præcipue tibiarum, lumborum, capitis, & ſtomachi dolores, inſomnia, laborioſæ ſomniculationes, ſomni lethargici, ardor viſcerum, jactationes, vomitus in bilioſis, ventris dejectiones, deliria, & hæc, plura, vel pauciora, mitiora, vel graviora, pro

Symptomata, quæ vel antecedunt, vel in ipſa Quartana fiunt.

pro humoris febrem efficientis conditione; quo tandem evicto, ſudores ut plurimum erumpunt in fine paroxyſmi. Quod ſi nondum cocta materia, quidpiam de ea dum efferveſcit, extra focum effundatur, vel propter multitudinem à principio, vel ex inordinata in poſterum victus ratione cumulatum, aut à cauſis externis commotum, exercitatione, ira, aut à ſumptis medicamentis purgantibus: Cum indomitum maneat nondum coctione recepta, fermentique naturam retineat; aliam febrem generat, in nova ſede receptum, in qua novum poſtea, & peculiarem focum habet, unde duplex tertiana; & duplex, & triplex interdum quartana. Ex his conſtat, in curatione quartanæ, & aliarum febrium intermittentium, nullam habendam eſſe rationem partis mittentis, ſed tantum materiæ putreſcentis, circa viſcera, aut alibi; quæ vel expellenda, vel minuenda, vel mortificanda, cum nimium ſævit. Expellere materiam quartanæ in principio, dum cruda eſt, & multa, & potenti exiſtente fermento putredinis, impoſſibile eſt: Si quis autem hoc tentaverit, damnum potius inferet, quam levamentum, ut jam diximus. Fermenti materiam imminuere, commeatu impedito, debita vivendi ratione, & minorativis quibuſdam per intervalla exhibitis: hoc certe expedit, quidquid dicat vulgus, qui quartanam nulla credit expetere remedia, ſed totum negotium naturæ committendum; quæ in pluribus non erit oneri ferendo: unde quidam urgente quartana moriuntur, in febrem continuam mutata: aut hydrops, paralyſis, & alia quæ ſupra enumeravimus ſubſequuntur. Fermentum putredinis velle in principio omnino mortificare: ideſt, ejus efferveſcentiæ motum, ſeu ebullitionem impedire, nemini conſulo: Licet tamen nimiam ejus efferveſcentiam, & ebullitionem compeſcere, cum ab ea impendet periculum, ex maligna ejus anathymiaſi cerebrum occupante, ut ſæpe accidit in ſenibus. Itaque adhibitus in curatione quartanæ incipientis, reſpiciat ſtatim an corpus ſit plethoricum, injectoque enemate aperiatur baſilica dextra, ſanguineque extracto, ſi nulla animadvertatur putredo, ſubſiſtet per aliquod tempus à venæ ſectionibus, niſi peculiare aliquod ſymptoma hanc expetat: Sicut enim ex Hippocrate ſanguinis è naribus eruptiones, quartanas ægre judicant: ſic

Unde duplex vel triplex tertiana.

Lib. 2. epiſt. ſect. 3.

ſic aliæ venæ ſectiones curabunt, licet interdum inclinante morbo, ſectio ſalvatellæ bene cedat, in puncto renovationis lunæ adminiſtrata: Nunquam autem profuiſſe memini, in morbi principio: Loco ejus probarem potius, in morbi proceſſu, venæ ſectionem malleoli, ex latere in quo focus exiſtere putatur, ex partium ad ventrem attinentium caliditate majori, gravitate; dolore in paroxyſmo, vel extra paroxiſmum; hoc enim ſæpe focum indicat. Ex ejuſmodi venæ ſectione malleoli, ſæpiſſime animadverti, alias intermittentes, vel auferri, vel imminui, procedente febri, & aliis auxiliis prægreſſis facta. Cum enim omnes iſtæ febres, cauſam fere ſemper habeant circa viſcera, vel extra vaſa, vel in exilibus venis à porta deductis, recta fertur venæ ſectionis malleoli effectus, ad locum fomitis, & mineræ febris. Quacumque autem ratione adminiſtrandam eſſe per intervalla venæ ſectionem, in principio ex partibus ſuperioribus, deinde ex malleolis, præter ſententiam qua imbutus eram me docuit experientia, animadvertentem in quartanis, magnam ſanguini ineſſe putredinem; non ſolum toto tempore, quo quis ea detinetur: ſed pluribus annis ab ea vindicatus; ita ut viderim à quartana, ſanguinem in quibuſdam in priſtinum ſtatum non rediiſſe, ante ſex annos, & in aliis ante decem: Quo perſuaſus ſum, putredinis ſemina, altas in quartana agere radices in ſanguine, qui etiam ſi non ſit propria febris minera, fermento tamen ex parte, materiam ſuppeditat, ad ſubſiſtendum: Unde à ſententia digrediens, de ſanguine non extrahendo in quartana, coactus ſum fateri, venæ ſectiones conducere, ratione putredinis in ſanguine exiſtentis, ad motum, & totius maſſæ ventilationem: quæ enim moventur, & difflantur, non facile corrumpuntur, aut jam corruptis, ulterior impeditur corruptio, & quæ jam præxiſtit, facilius corrigitur. Eodem modo diſſerendum de aliis intermittentibus, in quarum curatione, non poſſum quin reprobem quorumdam methodum, qui hujus generis febres, repetitis venæ ſectionibus profligare conantur, quæ ſi aliqua de cauſa neceſſariæ videantur, nec plures in principio, nec ratione cauſæ febris adminiſtrare oportet, cum ſit extra vaſa, vel in exilibus venis, è quibus ad majores advocari non debet, venæ ſectionibus; ſed potius ad inteſtina propelli pur-

Licet inclinante febre interdum, nunquam tamen in principio prodeſt venæ ſectio.

In febribus intermittentibus potius conducunt vomitoria, purgantia & ſudorifera, quam venæ ſectiones.

purgantibus pharmacis, aut emeticis per ſtomachum, aut diaphoreticis per ſuperficiem corporis, præcipue ſi cauſa febris ſit in habitu: ducem naturam ſequentibus, morborum medicatricem, quæ ejuſmodi febres ſolet curare vomitibus, & dejectionibus, ſicut & ſudoribus, ſed longiori tempore: Quibus enim fiunt vomitus, aut dejectiones, & multo magis utrumque, his nunquam longæ ſunt febres, & rariſſime, ne dicam ullo modo, in quartanas degenerant. Hac igitur via curandæ ſunt febres intermittentes, non autem venæ ſectionibus: cum natura per hæmorrhagias, harum curationem rariſſime moliatur: quæ interdum ſi accidant, hoc fit præcipue juvenibus, ſubtili, & multo ſanguine, tempore paroxiſmi incaleſcente, præcipue in capite, in quo dolor plerumque demulcetur, ex hujuſmodi ſanguinis profuſione, manente febri: ideo venæ ſectio non eſt adminiſtranda in principio, niſi ratione accidentium: ad nimium ſcilicet calorem temperandum, ad tollendam plenitudinem, ad capitis, & artuum dolorem demulcendum, ad ſanguinis putredinem, cum adeſt, minuendam, introductoque aëre corrigendam, cum ipſa, febri principium dedit: quod agnoſcitur ex prima venæ ſectione. Ego quidem, adhibitus ad febris intermittentis curationem, ſtatim inquiro, an febri cauſa aliqua externa principium dederit, ut æſtus, ſudores refrigerati, labores, & animi motus: Tunc enim audacter, ab injecto enemate, ſi liceat, à venæ ſectione curationem incipio, in parva tamen quantitate, cum non adeſt plethora; ut ſi ſanguis purus extiterit, parum ſaltem ſit detractum. Quod ſi ſtatim à prima venæ ſectione, corruptio apparuerit, non dubito ex altero brachio ſanguinem detrahendum curare; deinde poſt tertiam acceſſionem de purgatione decernere, præcipuo febris profligando inſtrumento, niſi aliquid potioris momenti, celerius præbendæ purgationis indicium proferat: v. g. vermes, cum ſubeſſe creduntur, & in infantibus, qui fere ſemper ex ingluvie febricitant. In febribus in quibus coctio deſideratur, ut quartanis, tertianis nothis, & duplicibus tertianis, quæ fere ſemper, ex nothis fiunt, purgatio ex minorativis eſſe debet, quandiu cruda eſt materia; in tertianis vero exquiſitis, purgatio ſufficiens eſſe debet, etiam in principio, humori deturbando;

In tertianis febribus exquiſitis etiam in principio utendum purgantibus.

do; quia humor bilioſus, febris hujus cauſa, non indiget coctione, ut alii humores, fereque ſemper eſt extra vaſa, unde vel ad ſtomachum, vel ad inteſtina confluit, minera cito exhauſta: ideo ad ſummum ſeptem circuitibus, ex Hippocrate, abſolvitur, apho. 59. ſect. 4. & lib. 6. Epide. ſect. 2. In coacis tamen, ait tertianas exquiſitas judicari quinto, ſeptimo, ad ſummum nono circuitu: Et nos ſæpe vidimus tertio: Quare non glorientur, *Ces grands ſeigneurs*, ſi poſt aliquam ex venæ ſectionibus factam, abſcedat febris: non enim gratias aget illis natura de ſubſidio, quantum ad febris curationem: ſed potius illa gloriabitur, quod invitis extra rem factis venæ ſectionibus, ipſa ſola, & per vomitus, aut dejectiones, aut ambabus viis, aut ſaltem per ſudores, interdum per inſenſibilem tranſpirationem, febrem curaverit, & aliquando, ſed raro, ut diximus, per hæmorrhagiam è naribus, cum cauſa eſt in habitu corporis, vel cauſæ externæ febri principium dederunt; & hoc in juvenibus tantum. Quod ſi ſanguis in prima venæ ſectione corruptus non appareat, ſtatim de purgatione cogitandum; cauſam enim febris extra venas conſiſtere fatendum eſt, circa viſcera ſcilicet: Quod ſi in exilibus venis à porta deductis, aut altius contineretur, non minus de purgatione eſſet decernendum, cum ab eis ad ſtomachum, & inteſtina, facilis ſit oneris depoſitio: Quo tamen altius in venis à porta deductis, ineſt febris minera; eo magis continuæ vicinior, contiguitatem ſaltem habens, ut in ſubintrantibus, à quarum plurimis inſpecta urina, nunquam remittere animadverti, quamdiu cruda permanebat urina. Verum ſtatim atque perturbari inciperet, etſi nullum adhuc deponeret ſedimentum, febris quædam remiſſio contingebat, & omnimoda ſolutio apparente ſedimento, nulla facta criſi; Quod ſignum erat, febris cauſam altius in ramis venæ portæ extitiſſe; alioquin ſigna integri diſceſſus, non apparuiſſent in urinis, cum illæ tantum oſtendant quomodo ſe habeat ſanguis, qui in venis, & arteriis continetur, tanquam ejus excrementum: Ex Galeno enim excrementum cujuſque partis illius propriam diſpoſitionem oſtendit. Hujus generis tamen ſubintrantium materiam, frequenter eſſe omnino extra venas deprehendi, in quibus talis coctio urinæ non fiebat: Si enim

Lib. 1. de criſib.

enim continuarum quædam materia extra venas continetur, ut videmus in febre continua à vermibus, quæ ſola purgatione ſanatur: Quis negabit, quarumdam, & quamplurimarum ſubintrantium fomitem ſubeſſe in inteſtinis, aut in quodam receſſu circa viſcera; imo talium febrium materiam propria cyſti interdum extra venas contineri: Quare perperam in hoc arguit Fernelium Primeroſius lib. 3. tract. de febri. cap. 2. affirmans fieri non poſſe, febrem intermittentem à bile, in propria cyſti putreſcente, ſed potius fore continuam: Hoc tamen veriſſimum eſſe confirmat exemplo Fernelius, cujus teſtis locuples exiſtimandus eſt, cum propriis oculis rem inſpexerit, notatu digniſſimam, quæ libr. 4. pathol. cap. 10. de ſede febri. interm. refertur. Quod etiam in inteſtinis contigiſſe, alio poſſum confirmare exemplo, non minore fide digno, cum id nobis ipſis contigerit, Anno enim 1634. & ætatis meæ 35. nulla adhuc febre intermittente, correptus, ex nimio, & intempeſtivo ficuum eſu, incidi in febrem duplicem tertianam ſubintrantem, cum atroci in paroxiſmis, capitis, & lumborum dolore, ſomnolentia, & ſomniis laborioſis. Poſt venæ ſectiones, & purgationem, cum uſu lixivii truncorum fabarum clarificati, & in modum juſculi ſumpti, ad lumborum dolorem, quod mihi multum profuit; viſa eſt febris à die octavo deſiiſſe; ſolutio non boni ominis, voluiſſem enim die impari febrem judicatam fuiſſe: Vires parum recipiens & obambulando per cubiculum, animadverti à prandio, pulſum quotidie invaleſcere, ſine ullo frigoris ſenſu, uſque in ſequentem diem mane, tunc enim quies erat: Cum magis, ac magis, vires non recuperarem; ex aphoriſmo. Si quis à morbo cibum ſumens, &c. exiſtimavi purgationem iterum eſſe mihi neceſſariam, eaque ſumpta, in tertia, aut quarta dejectione, ſenſi aliquid, inter dejiciendum, valde lene effluxiſſe, cujus rei inſpiciendæ ſtudioſe ſollicitus, animadverti decidiſſe in latrinas, quæ forte aëri lucido erant perviæ, quidpiam luteum, & rotundum, magni ovi anſeris, nondum albumine circumveſtiti, non abſimile: Statim venit in mentem, cyſtim eſſe bile vitellina plenam, febris meæ duplicis tertianæ cauſa, qua à propria ſede deturbata, non amplius efferveſcens febris deſiderat, nunc

Fomes quarundam febrium eſt in inteſtinis.

à medicamento purgante foras deturbata. In quonam autem receſſu, condita eſſet cyſtis illa, non niſi in cæco inteſtino, poterat venire in mentem; in aliis enim hærens, materiæ prolapſum aliquatenus impediiſſet, & in prima purgatione, aut ſaltem in principio ſecundæ, fuiſſet deturbata, via non ſatis patente, & quaſi præcluſa, confertim tunc temporis, præcipitantibus humoribus excrementitiis ad egreſſum: Ab alia quoque ſede ad inteſtina devolutam, nullæ ſunt viæ, huic corpori excipiendo, ſatis patentes. His duobus exemplis, taceant qui ſolitaria meditatione, rerum cauſas ita pro genio ſuo ſe habere exiſtimant, autopſia edoctos arguentes. Præter hæc duo loca, in quibus materia febrium intermittentium exiſtit, non poſſum quin tertium concedam, habitum ſcilicet corporis: Licet autem in hanc ſententiam, per multos annos non diſceſſerim; quod poſtea rerum uſu compertum habui, perſuaſit mihi febres intermittentes, præcipue tertianas, interdum & quartanas, ſedem habere in habitu corporis: cum enim adverterem quamplurimos ex tertianis, ex laboribus, & ſudoribus refrigeratis evenire: Deinde naturam, cum valida eſt, putreſcentem in magnis vaſis humorem ad minora expellere, qui alioqui febrem continuam accendiſſet: Denique quod ſanguis, ut in ſudoribus refrigeratis, prohibita tranſpiratione, ſicut & à fluxione, in habitu corporis ſæpe corrumpatur, illæſo qui majoribus venis exiſtit, non potui quin tertium locum putreſcentis materiæ intermittentium concederem: Totus enim habitus corporis venis, & ſanguine plenus eſt, à cujus corruptione, quarumdam febrium intermittentium ſemina enaſci, nemo negaverit: Quod autem ſanguis in habitu corporis corrumpatur, illæſo in partibus interioribus exiſtente, vel corrumpi in uno latere, in altero vero minime: Id in quibuſdam fluxionibus ſæpiſſime animadverti, in quibus ſanguis multa ſcatebat putredine, facta venæ ſectione, è latere in quod fluxio impingebat; ex altero vero, ſanguine extracto, puro exiſtente. In pluribus etiam intermittentibus febribus, curationem incipiens à venæ ſectione, pluries animadvertimus, ſanguinem in primo vaſculo eſſe corruptum; in altero vero, nullo modo: Unde ſequebatur, prius jacta eſſe putredinis fundamenta, in habitu cor-

Materia febrium intermittentium interdum eſt in corporis habitu.

corporis, quæ febri intermittenti principium dederat; licet procedente affectu, ſe poſtea putredo propagaret in omnes venas, manente febris ſemine in exilibus venis, & corporis habitu. Cum igitur ex his conſtet, tres febrium intermittentium ſedes eſſe: Primam in venis à Porta, alendis viſceribus dicatis, à quibus, ut plurimum, excidit materia, circum viſcera, & extra venas putreſcens, & quandoque inteſtinis, ſecundam faciens ſedem: Quæ quidem duæ ſedes, cumulandæ febrium intermittentium materiæ, ſunt valde obnoxiæ: Quia circa culinas; maxime publicas, multæ ſordes coacervantur: In habitu vero corporis qui tertia ſedes eſt, non item. His ita ſe habentibus, ut recte febris intermittentis curatio inſtituatur, quanam in ſede putreſcens humor conſiſtat, certis quibuſdam ſignis aſſequendum, præcipue an in ventre, vel in corporis habitu; vitii enim ſedes, & naturæ motus, qua via ſint humores ducendi, indicant. Itaque ſi æſtus major in præcordiis, aut dolor paroxiſmi præſertim tempore ſentiatur, juxta illud aphoriſmi. Qua parte corporis ineſt calor, aut frigus, ibi morbus; ſi oris ſit amaritudo, nauſea, vomitus, diarrhœæ quid ſimile; ſi ſanguis in prima venæ ſectione, ſaltem, purus effluxerit, febris cauſam extra venas exiſtere ſunt argumenta; multoque magis, ſi victus intemperans præceſſerit, indicio purgantibus medicamentis, febrem potius eſſe profligandam, quam, ut multi faciunt, venæ ſectionibus. Huic methodo fere inſiſtendum, cum in venis circum viſcera perreptantibus materia ſubeſſe creditur, facilius enim hinc ad ſtomachum, vel inteſtina devolvitur, quæ in majores venas, ſanguinis miſſione repetita, attraheretur: Quare venæ ſectio tunc temporis non imperanda, niſi ratione accidentium niſi quis ex inſpectione ſanguinis, ſcire velit, utrum ejus corruptio, aut cauſa procathartica, febri principium dederit, ut mihi mos eſt: Procedente vero affectu, ratione ſolius febris, cum cauſa eſt circa viſcera, multoque magis in venis, quam extra venas, convenit venæ ſectio malleoli propter rationes quas ſupra attulimus. Si autem in prima venæ ſectione, ſanguis in primo vaſculo corruptus; in aliis vero purus animadvertatur, ceteraque ſigna corrupti humoris, circa viſcera ſtabulanti abſuerint; in habitu corporis

primum extitiſſe corruptionem, ibique febris cauſam conſiſtere, exiſtimandum eſt, præcipue ſi cauſæ externæ ſuperius allatæ tantum præceſſerint: Ideo poſt leves, ex utroque brachio venæ ſectiones, ne putredo ad interiora attrahatur, levi purgatione facta pugnandum ſudorificis quæ per loca conferentia vitioſos humores educent, nulla habita ratione, de urinarum cruditate; cum enim pluribus intermittentibus, coctionis ſigna non appareant, toto morbi decurſu, quarum ſcilicet cauſa eſt extra venas, multaſque viderim duplices tertianas, deſinentes ſine urinarum coctione, nihil certi ab earum inſpectione, ſperandum puto, niſi in quibuſdam ſubintrantibus, quarum materia, altius in vena porta, aut ejus ramis ſedem habet, de quibus ſupra diſſeruimus. Eodem prorſus modo de febre quartana ſtatuendum puto, cum quandoque deſerat ſectione ſalvatellæ, licet autem ut plurimum ſedem habeat circa viſcera, in meſenterio, pancreate, & eorum venis, quomodo venæ ſectione ſalvatellæ curaretur, ſi ejus materia non eſſet aliquando in venis, per habitum corporis perreptantibus à quibus hac venæ ſectione, facile jam cocta diſſipatur; hanc autem venæ ſectionem, prima non reſpondente, ex altera manu, in alia lunæ renovatione iterandam curarem, incertus de latere, in quo præcipua eſt morbi ſedes; imo ex pedum ſalvatella, qua ſecta ſe multum profuiſſe narrat Zacutus. lib. 4. prax. hiſtor. cap. 26. obſerv. 2. Idem Zacutus. lib. 3. praxis miran. obſerv. 32. ſcribit multoties cum felici ſucceſſu, ſe in quartana, aliis non cedente auxiliis, baſilicam ſiniſtram ſecuiſſe in plenilunio, aut ſalvatellam, in iis quorum vires non erant ita robuſtæ. Quod experientia comprobatum, licet uſu recepto, tantum ſalvatella ſiniſtra aperiatur, & in puncto quo luna ad initia recurrit non eſt tamen ſpernendum, neque ita lateri ſiniſtro addictus ſis propter lienis ſitum, quem vulgus Medicorum, melancholiæ credit receptaculum, ut ad dextrum nunquam deflectas: Quartana enim non fit tantum ab humore melancholico, ſed & à pituitoſo, & bilioſo, cum craſſitie, & corruptione, ejus naturam æmulantur; ubicumque igitur ſedes tertianæ eſt, & quotidianæ, ibi & quartanæ eſſe poteſt, quod probatur ex converſione febris tertianæ, & quotidianæ, in quartanam.

Si Materia febrilis eſt in habitu corporis, poſt levem venæ ſectionem, & purgationem, ea ſudoriferis exterminanda.

tanam. Sed de febris quartanæ curatione, fuſius in Enarrationibus.

PROGNOSTICA.

Æſtivæ quartanæ plerumque breves, autumnales vero longæ præcipue quæ hyemem attingunt. Hipp. aphor. 25. ſec. 2.

A quartana correpti, non valde convulſionibus corripiuntur; ſi autem prius corripiantur, ſuperveniente quartana liberantur. Hippoc. aphor. 70. ſect. 5.

Quartanas febres, ſanguinis eruptiones è naribus, ægrè judicant. Hipp. lib. 6. epide. ſect. 2.

A quartana correpti à magno morbo non corripiuntur; ſi vero prius corripiantur, & superveniat quartana, vindicantur. Hipp. epid. 6. ſect. 6.

Quartanæ conditio, ex eorum ordine eſt, quorum difficile eſt à principio judicare, quo tempore finietur. Hippoc. 3. progn.

Autumno maxime homines à quartanis corripiuntur. Hipp. lib. de natu. humana; & apho. 2. ſect. 3.

A vigeſimo quinto anno, uſque ad quadrageſimum quintum, maxime à quartana homines corripiuntur; quicumque autem extra hoc tempus corripiuntur, ſcire oportet non fore diuturnas, niſi aliquid gravius infeſtaverit. Hipp. lib. de natu. hum.

Hibernæ febres quartanæ, nunquam in acutas tranſeunt. Hippo. in coac.

Quartana longiſſima, minimeque ex ſe periculoſa, Galen. lib. 1. de arte curat. ad Glauconem cap. 8.

Quartanæ raro ab initio incipiunt, ſed præcedentibus morbis magna ex parte ſuperveniunt inordinate. Galen. lib. de typis.

Quartana exquiſita, rara eſt.

Quartana ex humore melancholico, minus moleſta, quam quæ ex atra bile, licet longior.

Quartana, ex lienis, aut alterius alicujus viſceris affectu facile convertitur in hydropem.

Quar-

Quartana ſi vere non ſolvatur, aut poſt ſeptem menſes, annua fit, & quandoque longior.

Quartana interdum breviſſima, etiam autumnalis.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Febris quartana, quibus remediis ſanata.

Mulier quædam nutrix quondam domi meæ, atrociter habita toto autumno à quartana; ſtatim atque è lecto ſurgere potuit, Adura in hanc urbem diſceſſit, rogans, ut ſi quid arte Medica valerem, ipſi præſtare non recuſarem: Juſſi eſſe bono animo, quidquid arte didiciſſem adhibiturum promittens; cum autem per aliquot dies quieviſſet, eſſentque univerſalia Aduræ adminiſtrata, præcipue venæ ſectiones; de ſolis antidotis, contra febrem quartanam cogitandum putavi, præmiſſa purgatione ex lapide lazuli, loco lapidis armeni, qui ab Alexandro Tralliano maxime laudatur in affectibus melancholicis, difficile tamen invenitur; ideo ejus loco tale compoſui pharmacum.

℞. Decoc. ſplenit. q. ſ. infun. folior. ſen. mund. ℥ß. in colat. diſſol. lapid. cyanei loti ſcrup. j. ſcammo. vapore ſulphur. caſtigati gr. vj. fiat potio, die ante acceſſionem mane ſumenda; qua ſumpta, decies venter dejecit.

Poſtero die quatuor horis ante acceſſionem, juſſi propinandam antidotum, quam non ſatis laudare poteſt Hartmannus in quartana.

℞. Aquæ febrif. aut ejus loco, decocti ℥iiij. alumi crud. ſcrup. j. miſce, capiat quatuor horis ante acceſſionem, & probe cooperta expectet ſudorem, aut ſaltem febrem.

Sumpta hac antidoto, febris quidem multum cunctata eſt; ſed tandem invadens, multis aliis præcedentibus violentior extitit, vale dicens. Cum autem viderem nutricem à febre quidem liberam; ſed eadem ut antea, corporis gravitate affectam, eamdem ventris inflationem perſeverare, cibos non magis appetere, omniaque ut ante febris diſceſſum, permanere in eodem ſtatu, pœnituit me eam abegiſſe: quoniam veriſimile erat,

repetitis acceſſionibus, proprii fomitis materiam, calore febrili abſumptam iri: Juſſi tamen bene ſperare, promittens me exacta Quadrageſima, ad profligandas has febris reliquias, pharmaca poſt feſtum Paſchæ daturum. Poſt Dominicam in albis, cum me accingerem, ad id quod promiſeram præſtandum, rediit febris quartana, quater in paroxiſmis ſuum ordinem ſervans; à quibus tantum accepit levamenti, ut nihil amplius deſiderari poſſet; ventris enim moles receſſit, corporis gravitas multum levata eſt, ciborum appetitio revertere incepit, omnia denique ſanitatis munia brevi potuit obire. Quis hac Enarratione edoctus, conſulet ante tempus quartanam abigendam eſſe, præcipue ſpecificis, quæ febris materiam non expellunt, ſed tantum ebullitionem impediunt, qua in quolibet paroxiſmo, ex parte imminuta, tandem abſumeretur; ut autem quæ dico confirmentur.

OBSERVATIO II.

Febris quartana hauſtu cyathi propriæ urinæ ſanata.

PRætor quidam rerum criminalium in Montemarſana, quartana laborans, multis fruſtra tentatis auxiliis, accepit à quodam, ſe liberatum iri, ſi rigore febris incipiente, cyathum propriæ urinæ calentis hauriret, quo peracto non amplius rediit febris: Æſtate vero ſequenti, (licet à quartana liberati, longo tempore ſani permaneant,) correptus eſt febre acuta, in qua ex maligna anathymiaſi, in delirium ecſtaticum incidit, & circa undecimum mortuus: quod non eveniſſe affirmabam aſtantibus, ſi quartana ante tempus, non fuiſſet abacta, proter jam dictas rationes.

OBSERVATIO III.

Febris quartana alumine ſanata.

Quidam rure habitans diu quartana vexatus, licet veris tempore multum remiſiſſet, paroxiſmi tamen tempore, atroci capitis dolore divellebatur. Imperata venæ ſectione, & lapide lazuli loto corpore purgato; dedi poſtea antidotum ex alumine; ut ſupra docui, & ſanatus eſt: Quam quidem antidotum, non damno in totius morbi declinatione, vel in principio datam in parva doſi. v. g. ſcrup. ß. cum ſymptomata periculum minantur, propter febris violentiam, ut ejus impetus parum retundatur.

OBSERVATIO IV.

Febris quartana auctoris, qua ratione curata.

Tandem corrupuit me quartana, annum agens 45. poſt quam febris duplex tertiana diſceſſiſſet, pedetentim ſe in apertum proferens. Cum autem tunc temporis in ea eſſem ſententia, ſanguinis miſſionem non convenire febribus intermittentibus, niſi ratione accidentium, nullaque eſſent quæ illam ſuaderent, præcipue jam facta bis, aut ter, in febre duplici tertiana quæ præceſſerat; decrevi à purgante communi melanagogo, curationem ordiri, à quo quibuſdam diebus elapſis, volui experiri, ptiſana purgante, ex elleboro nigro facta, utrum febris difficilis eſſet eradicationis, an tempori committenda, ſumptis per intervalla purgationibus, quolibet ſcilicet menſe. Licet autem Meſue lib. 2. de ſimpli. purgan. cap. 30. de utraque ſpecie ellebori, dicat album terribilia ſymptomata minari, nigrum vero corpus incolume, & velut juvenile tueri: Ex illius tamen ptiſanæ hauſtu, quidquid mali elleboro albo tribuitur, præter convulſionem, omnia acciderunt mihi, ex ſola nigri infuſione, ſpiritus ſcilicet anguſtia, moleſtæ jactationes, cerebri perturbatio, ita ut viderer mihi per vitrum aſpicere, vomitus laborioſus, ſæpe irritus, dejectiones paucæ: Neſcio qualis eſſet illa elleborus, nihilominus ſtatui, nunquam tali modo exhibiturum, extracto enim feliciter uſus fueram, ſine ullo ex enumeratis ſymptomatibus: Febris tamen decem horarum ſpacio cunctata eſt, ita ut crederem me ab ea eſſe immunem: Sed præcoce gaudio irritata fortuna, rediit febris, brevior tamen: Cum enim antea tres eſſent horæ frigoris, ſex autem caloris, una erat tantum frigoris, & tres caloris, aſſumpta ellebori infuſione. Quoniam autem decreveram, poſt reditum febris à gravi illa ex ellebori purgatione, curationem tempori, & naturæ committere, ſumpto quolibet menſe, purgante melanagogo ſatis potenti: Permanſit febris mea in eodem ſtatu, unius horæ frigoris, & trium caloris, uſque ad principium Decembris, quo tempore conſcendenti equum per duos dies, rediit febris ut in principio, ad tres horas frigoris, & ſex caloris: Sed cum purgandi tempus ſtatutum adveniſſet, ſumpto purgante medicamento, rediit febris ad horam unam frigoris, & tres caloris: Cum equum conſcenderem ægrotis per oppida inviſendis,

ſendis, augebatur ſebris ut antea, donec ſumpto medicamento, in priſtinum ſtatum reduceretur: Quod quidem probe vacuans corpus, non ſolum hoc præſtabat, ſed errata in victu commiſſa corrigebat: conſtabat enim mihi fames, & de febris fermento aliquid auferebat, aut ſaltem de commeatu. Hoc modo vitium ab aſſumptis cibis corrigebatur, & corporis gravitas à paſtu, & pedum inflatio levabantur. Certe ſi quolibet menſe, non uſus eſſem purgante pharmaco, credo me nunquam à quartana incolumem evaſiſſe, ſine reliquiis. Hac methodo, cum febre caloris trium horarum, & unius frigoris, niſi equum conſcenderem, perveni ad tempus Quadrageſimæ, in qua febris dimiſit per 12. dies, poſtea reverſa eſt: Cum autem menſis Maïus adveniſſet, ſemperque prædicaſſem, nec mihi, nec aliis, quos curandos ſuſcepiſſem de febre quartana, illam menſem Maïum non prætergreſſuram, tunc res mea agebatur: Ne igitur mihi eſſet dedecori, ſi febris menſem Maïum ſuperaſſet, decrevi omnino abigere, meoque more ſumpto medicamento purgante, ſtatim atque rigor incipiebat urbe egrediens, quadrantis itinere, paſſu minime lento pergrediebar, quouſque totum corpus incaluiſſet; tum vero ſubſiſtens, digito in guttur immiſſo, facile, & ſine labore, bilem flavam, & porraceam vomebam: deinde domum rediens, lectum ingrediebar, expectando ſudorem: Quo quinquies, aut ſexies iterato, ſequenti paroxiſmo hauſi incipiente rigore, quatuordecim grana piperis nigri integra, ex minus corrugatis, in cyatho vini albi generoſi, expectando calorem in lecto; quod ſecunda vice febrem abegit, nec amplius eſt reverſa, nihil poſt ſe relinquens, niſi longam ab omnium febrium genere immunitatem qua nunc adhuc fruor, hæc tranſcribens, ætate 68. annorum. Nullo ante menſem Maïum volui uti ſpecifico, ad febrem profligandam, propter ea quæ contingerant nutrici, de qua in prima Enarratione agitur; & propter id quod accidit Prætori Montiſmarſani, qui ſolus non fuit: Duo enim, qui etiam à quartana, præmatura ejus profligatione curati erant, eodem anno perierunt. Elegi etiam potius ex pipere ſpecificum cum vino hauſtum, quia grati erat ſaporis.

OBSERVATIO V.

Quartana febris quatuordecim granis piperis ſanata.

Domina quædam hujus urbis, rogavit me, ut ſi quid haberem febri quartanæ profligandæ docerem, pro villicæ filia, quæ ante quindecim menſes ea laborabat: Neſcio quæ remedia per id tempus adhibuiſſet, juſſi tamen ut purgato corpore, ſumeret 14. grana piperis in primo febrilis frigoris ſenſu, quæ illa contudit, cum vino albo ſumens, hocque peracto non amplius rediit febris. Scio etiam plurimos, hoc ſumpto ſpecifico, à febre quartana fuiſſe immunes, præcipue cum febris multum proceſſit: Utrum autem melius ſit piper contundere, an vero integrum ſumere; dicendum eſt melius eſſe integrum ſumere, cum humoris incaleſcentia timetur, ut nondum bene cocta materia & in juvenibus; contuſum vero cum febris multum, proceſſerit, & in ſenibus: Poſſumus tamen non infimæ plebis hominibus, piper nebulis involvere, & deinde vini cyathum propinare.

OBSERVATIO VI.

Febris quartana doſi pulveris Cornachini, & aluminis ſanata.

Domina quædam habitans in oppido, quod fluvius Adurenſis alluit, Granade dicto, ſex milliariis ab hac urbe diſtante, miſit ad me ſervum, ut illam inviſerem: Ingrediens cubiculum inveni eam ex quartana lecto decumbentem, licet juvenis, ex ea quocumque modo liberari cupiebat, à vulgi opinione recedens, qui Medicos in quartana cæcutire exiſtimat: Libenter propterea, curandam ſuſcepi, incipiens à vino emetico, quia incipiente paroxiſmo, ſemper erat vomendi deſiderium, quo in poſterum liberata eſt, non autem febri. Ut omnia recte fierent, ſecundum Hippocratis aphoriſmum, materiam febrilem eſſe ad exitum præparandam, viaſque aperiendas operæ pretium duxi: Qua de cauſa, præſcripſi apozemata mane ſumenda, per ſex dies continuos, quibus elapſis, miſi ad illam vulgarem doſim pulveris Cornachini, rigore incipiente ſumendam, qua venter nihil dejecit; cujus rei eventum non miratus ſum; quamplurimis enim rigoris tempore, natura in anguſtum redacta, & arcendo frigori occupata, medicamentum non reducit, ut loquuntur, in actum; ideo ab eo tempore, ſoleo, ut res ſecurius, & melius cedat, exhibere purgan-

gantia in tali caſu, quatuor horis ante febris invaſionem: Quapropter miſi iterum eamdem doſim pulveris Cornachini, ex gra. xij. ſcammonii, viij. ſtybii detonati, & 4. criſtalli tartari, horis quatuor ante febris invaſionem ſumendam, qua venter ſexdecies exoneratus eſt. Poſt hanc evacuationem ſatis largam, conſului ut ſpecifico aluminis uteretur, de quo ſupra, quibus non omnino cedens febris, monui ut iterum pulvere Cornachini uteretur, cui ut antea dejectionibus probe reſpondentibus, febris omnino abſceſſit, perfecteque ſanata eſt circa feſtum Nativitas Chriſti, à dimidio menſis Octobris, ſine ullis ab ejuſmodi febris reliquis, à multis annis benevalens.

OBSERVATIO VII.

Vir quidam nobilis, à febre quartana, quæ in duplicem abierat diu conflictatus, rogavit ut eum viſerem: Veniens domum ſuam in ditione ſua ædificatam, promiſi me unam ablaturum, aliam vero relinquendam eſſe, ut fermentum humoris melancholi abſumeretur, ne contingeret illi, quemadmodum iis de quibus ſupra menimus. Cum autem alias, eum duplici tertiana laborantem, pulvere Cornachini ſanitati reſtituiſſem, in quartana, non minoris virtutis medicamentum mutare nolui; adde quod facile ſumatur; pridie igitur febris ſumpto purgante, rigore incipiente, primæ, & ſecundæ febris, juſſi parandum ſacculum ſupra ſtomachum imponendum. *Idem effectus ab eodem pulvere Cornachini,*

℞. Rad. urticæ, & lapathi acut. ana ℥j. ſalis com. mj. contundantur probe in mortario, & ſacculus quadratæ figuræ, & utrinque ſemipedali impleatur; ita tamen ut deprimi poſſit, & calide incipiente rigore, ſupra ſtomachum toto paroxiſmi tempore contineatur.

Quo remedio ab una ex quartanis liberatus eſt, ut promiſeram, altera remanente, propter cauſam jam dictam.

OBSERVATIO VIII.

Mulier quædam nobilis, Aduræ à paucis diebus quartana laborans, accerſendum me curavit, ut arcendæ febri aliquid præſcriberem: Quia jam ſenex erat, pedetentim febrem minuere volens, ex Alexandro Tralliano, hanc pilularum maſſam conficiendam curavi, de qua ſumpta ʒj. non amplius febris reverſa eſt. *Quartana, pilulis ex lapide laſuli paratis, ſanata.*

℞. Lap. arme, aut ejus loco, lapid. lazuli loti ℥ij. diagri ſcrup. j. epithy. & hieræ picræ, ana ſcrp. ß. agar. & cariophyl. ana gr. viij. cum melle deſpumato, fiat maſſa pilul. doſis à ſcrup. ij. ad ℥j. & ℥iß. v. Ordinem remediorum alphabet. tit. Quartana.

OBSERVATIO IX.

Quartana, aranea nuce incluſa, ſanata.

Sacerdos quidam, in quartana profliganda, multis remediis tentatis, edoctus à quodam, ut araneam in nuce includeret, & tempore paroxiſmi ſupra ſplenem imponeret, tertia vice iteraro ſpecifico ſanatus eſt. Vide remediorum ordinem alphabeticum.

De Morbillis, & Variolis.

CAPUT V.

Variolæ & morbilli ſæpe magni, momenti ſunt, & interdum peſtis inſtar infantes invadentes.

Inter morbos, de quibus hoc obſervationum opere egimus, morbillos, & variolas non recenſere, inculpata non eſſet prætermiſſio: Affectus quippe magni momenti, per certa quædam annorum intervalla recurrentes, interdum tanquam peſtis ſpeciatim infantum, præcipue variolæ, quæ morbillis multo ſunt perículoſiores, & magis moleſtæ. Licet autem amborum affectuum ſimilia ſint quædam principia, febris ſcilicet ſynochi invaſio, deinde puſtularum eruptio, tertio, quarto, & ad ſummum, in variolis, quinto die; graviora ceteris paribus, ſunt variolarum ſymptomata: Febris quidem in utriſque valida, ſi materia multa, ſi pauca & boni moris, contrarium. Qui enim non videntur febricitare, præſertim in variolis, quamvis febricitent, ſi malum aliquod ſignum non appareat, ut frequens vomitus, delirium, carus, extremitates frigidæ, tormina, multa jactatio; paucam, & benignam eſſe materiam ſignificat; ſi vero aliquod ſignum ex his, multoque magis ſi plura; quo graviora, eo majorem malignitatem ſubeſſe oſtendunt, fereque ſemper, aut nigræ variolæ, aut papulæ lividæ, nigræ, rubræ, ſimul erumpunt cum variolis, quarum eruptio, citius, aut tardius fit, pro naturæ viribus, & materiæ

riæ conditione: Quædam erumpere incipiunt in fine ſecundi, ſed rarius; quædam tertio, quod frequenter accidit; quædam vero quarto, interdum quinto, ſed rariſſime. In ipſo eruptionis principio, difficile eſt interdum agnoſcere, utrum à variolis, an à morbillis ſit quiſpiam laboraturus: Variolæ tamen in ipſo exitu acutæ micant, ſi ſint boni moris; morbilli vero non item, magis tamen cum intenſo rubore erumpunt; licet etiam rubor in multis, cum variolæ grandeſcunt, appareat, quæ inter bonas non recenſentur, ſi faſtigiatæ non evadant; quaſdam morbillos diceres in principio, donec faſtigientur, tunc enim quæ primæ egreſſæ ſunt, grandioribus factis, certam ſui exhibent notitiam; morbilli vero parvi manent velut cutis aſperiates, oculos, & guttur, proprietate quadam infeſtantes, non autem variolæ, niſi multæ oriantur in palpebris, & ad cutem non omnibus expulſis, natura non exiſtente valida, & materia tractabili quædam in gutture exoriantur, raucedinem accretione invehentes, ſpirandi interdum, aut deglutiendi difficultatem, ad quæ ſepe mors; in ipſo autem oculo, ſufficit una in pupilla erumpens, ut viſus fiat nulla arte inevitabilis deperditio. Præterea in variolis, eſt tumor ingens partium, ſi multus eſt eorum numerus, quia fiunt ex craſſiori materia, ideo in ſuppurationem tranſeunt; diutius durant quam morbilli, & in cruſtas abeunt, quæ ſi nigreſcant, aut tumor cito evaneſcat, res eſt in maximo diſcrimine: Morbilli propter ſubtiliorem materiam reſolvuntur, ſicut rubedo eryſipelatis, quam ſociam habent; unde Rubiola, Rougeole. Vulgus tamen Maſſiliæ, diſtinguit rubiolam, à morbilis, hos vocantes Senepion, & illam Rougeole, in qua non ſunt puſtulæ, ſed magnæ tantum areæ, in modum eryſipelatis rubentes; memini enim adhuc juvenis, me vidiſſe infantem rubiola, ut dicebant, laborantem, ideſt, *de la pure & ſimple Rougeole*, cujus facies variis in locis rubebat, ſine puſtulis; quia ejus materia ſubtilior eſt illa, à qua fiunt morbilli, in quorum eruptione, ſubtilior rubiolam facit, craſſior vero morbillos; rarius tamen accidit ut fiat rubiola ſine puſtulis, niſi in regionibus calidis: Ideo in hac regione, & urbe, quæ caput Vaſconiæ cognominatur, nequidem mentio fit, de pura rubiola ſine puſtulis, nec ego me-

Tempus eruptionis variolarum.

Morbilli oculos & guttur præcipue infeſtant.

Variolæ & morbilli fuerunt antiquis ignoti, & de iis primum ſcripſerunt Arabes.

memini me vidiſſe, ſed tantum morbillos, quos vocant Sarrampin. Hi affectus Antiquis ignoti fuere; nullus enim invenitur, qui de eorum natura, & curatione, diſſeruerit, præter Arabes, quorum tempore apparuiſſe credendum eſt: De morbo enim tam communi, & epidemico ſæpius graſſante, non tacuiſſet antiquitas, Arabibus deſcribendum relinquens: Tot enim ſunt morbillis, & adhuc magis variolis particularia, ut talibus viris impoſſibile fuiſſet, in ſuorum exanthematum deſcriptione, ea ſilentio prætermittere. Primo quidem morbilli, cum intenſa rubedine, unde nomen Rubiolæ eis inditum eſt, non ſolum in facie, & per totum corpus erumpunt, ſed & intra corpus, oculos, & guttur, proprietate quadam, ut diximus, præcipue infeſtant, cum tuſſicula. Secundo morbilli, & variolæ, in facie potiſſimum ſedes habent, & infantes præcipue adoriuntur, raro provectos ætate, rariſſime ſenes. Præterea variolæ ex vulgi opinione, novem dies habent accretionis, quia non omnes una erumpunt; longo tempore durant, peſtis infantium dicuntur; ad ſuppurationem deveniunt, tanquam apoſtemata, cum facie, & reliquarum partium tumore non mediocri, quorum materia ita craſſeſcit, ut in cruſtas abeant variolæ, ipſeque viderim in pedibus inſtar lentis exſiccatas, ſub cute evelli. Denique in variolis, facici color naturalis, ipſis omnino ſanatis, per plures menſes ad priſtinum ſtatum non redit; & interdum ita maculis, tanquam cicatricibus deturpata facies, ut toto vitæ decurſu fœdata, remaneat. Pauci etiam variolas effugiunt, multi morbillos, præcipue qui mature multis tentantur variolis. Adde etiam quod morbilli, & variolæ, pro præcipuo affectu habentur, morbique totius nomen ſibi vendicant, febriſque cauſa ſunt, quæ inter ſymptomaticas referri debet, ut ex inflammatione, & apoſtemate; ſunt enim, præcipue variolæ, apoſtemata, ad ſuppurationem perveniunt, ideoque morbus; non autem Antiquorum exantemata & etiam ectymata, quæ pro ſymptomatibus conſiderantur. Videant nunc, qui tantopere ſe torquent, in afferendis locis Hippocratis, Galeni, & Ætii, ſi talia ſimul, exantematibus, quæ ab illis deſcribuntur acciderint, ea præcipue quæ de variolis attulimus: Nec fingat Zacutus variolas die 8. 11. 12. imo &

Variolæ non ſunt antiquorum examthemata.

& 20. erupiſſe, ut eludat Mercurialis reſponſum, ad ea quæ de Sileni papulis afferuntur, quas affirmat non fuiſſe variolas, eo quod octavo die tantum erupiſſent; variolarum autem exitus fiat in fine ſecundi, tertio, & quarto, ut plurimum; & interdum quinto. Ego quidem neſcio, an Zacutus viderit unquam veras variolas, vigeſima die tantum erupiſſe; unum tamen ſcio, me nunquam vidiſſe tardius quinto erupiſſe, & hoc etiam rariſſime, eumque exiſtimo, ſi viderit quæ ſcribit, ex eo fuiſſe deceptum, quod febris aliqua, interdum corripiat in principio, quæ non eſt ex variolis, quam poſtea cauſæ ſuperiores, in morbum populariter graſſantem convertunt, ut fit tempore peſtis, in quo omnis morbus, ut vulgo dicitur, peſtis eſt, cauſa ſuperiori, morbum ex vulgata putredine, in peſtilentem convertente. Hoc pacto, animadvertimus graſſantibus variolis quoſdam infantes febre continua à vermibus, aut alia de cauſa laborantes, imo ex febri intermittente, quibus poſt tres aut quatuor dies, febre invaleſcente aut ex intermittente facta continua, variolæ tertio, aut quarto die erumpebant, à febris mutatione. Vel dicendum Zacuto, ſi ipſe viderit, tantum vigeſimo die variolas erupiſſe, tales non fuiſſe veras, ſed pſeudo variolas. Sunt enim quædam papulæ, non multum à variolis diſcrepantes, ut plurimum tamen latiores quas multi in exitu, & accretione, variolas eſſe putant, quia vero multo citius ſolvuntur quam variolæ; quod non ſint periculoſæ, nec veſtigia relinquant, ab errore vindicantur: Hujus generis fuiſſe Sileni papulas. 1. epidem. commen. 3. Et Simonis 6. epidem. comen. 2. exiſtimandum eſt, ut ex ipſis Hippocratis locis, & Galeni commentariis facile dijudicari poteſt, collatione facta cum his, quæ variolis accidunt. Hæ pſeudo variolæ, in cauſa ſunt, cur multi bis variolis tentari credantur: Non tamen negandum bis quempiam laborare poſſe variolis, cum prima vice, paucæ erumpunt, totius materiæ coinquinatæ, à ſanguine materno, vacuandæ, & partibus purificandis impares, propter ſyderis conſtitutionem reſpectu partium diſpoſitionem, non ita validam, unde plus materiæ ſuppeditari non poteſt, reliqua in alio ſyderis recurſu remanente. Injuriam itaque Antiquis me facere exiſtimarem, aſſerere eos variolas,

Eſſe aliquos, qui bis variolis laborant, & quare.

& morbillos agnoviſſe, totque ſingularia, præcipue variolis, intacta reliquiſſe. Quaſi vero ipſis Arabibus minus ſolliciti, & ſtudioſi, in morbis hujuſce naturæ deſcribendis: Neque valet quod à quibuſdam dicitur, Græciam tanquam regionem temperatam, leviter his morbis obnoxiam fuiſſe; ubique enim Græcia temperata non eſt, ſciuntque Hippocratis, & Galeni ſcripta legentes, eos varias regiones peragraſſe, non ſolum temperatas, ſed frigidas, & calidas: Quare non eſt idonea hæc excuſatio. Fuere igitur Arabes qui primi de variolis, & morbillis ſcripſerunt, novo affectui, & communi, cauſam generalem, ut par erat, tribuentes, ſanguinem ſcilicet maternum, quo nutritur infans in utero, quem improprie menſtruum vocant, cum prægnantibus non fiat, niſi raro, menſtrua purgatio: Cum autem in mulieribus fere omnibus, fiat geſtationis tempore, circa venas uteri excrementorum proventus, propter purgationis menſtruæ defectum, iis præcipue quæ impuro ſunt corpore, quouſque in partu, excernantur; licet quæ nutriuntur, facultate innata, ſuccum ſibi magis familiarem, & puriorem attrahant, ejus tamen defectu, impurus allicitur; ideo in utero materno, ultimis præcipue menſibus geſtationis, in quibus fœtus majori indiget alimento, ſi ſanguis ſit impurus, major cumulatur futura materia variolarum; ſi purus, minor, eſt enim fere impoſſibile, quin impedita menſtruali purgatione, ſanguis peccet aliquo modo in venis uteri, paucis tamen, aut nullis tunc variolis tentantur infantes, ſecundum attracti ſanguinis naturam, qui poſtea cauſa materialis eſt variolarum & morbillorum. Nam cum fere omnes, potiſſimum in infantia, aut pueritia, rarius in adoleſcentia, & rariſſime in alia ætate, variolis tententur; licet non item morbillis, cauſa materialis aliqua erat conſtituenda, quæ in omnibus repiriretur, ſanguis ſcilicet maternus, in utero à fœtu attractus, qui cum diverſo labis ſit gradu, pro varia ejus impuritate; quibuſdam paucæ, aliis multæ, variolæ erumpunt; quibuſdam tardius, aliis citius, materia eorum movetur; quidam leviter afficiuntur, alii graviter, ex quibus multi de medio tolluntur, ad quod multum facit cœleſtis influxus indole maligna, putredine, in quibuſdam conſtitutionibus, materiam corrumpens; qui quidem

Cauſa morbillorum & variolarum ſecundum Arabes.

dem influxus, cauſa prima efficiens eſt morbillorum, & variolarum. Si enim à mundi exordio, hoc morbi genus non extiterit, ſed tantum Medicorum Arabum ætate, ſolius cauſæ hujus efficientis defectui eſt tribuendum, ex nova aſtrorum conjunctione orta, proprietatem habentis talem in partibus ſolidis materiam, à ſanguine materno deſumptam commovere; & corrumpere: Quia autem influxus ille, ex novo ſyderum aſpectu genitus, qui nondum fuerat, non ſemper eadem vi pollet; ideo hujus morbi recurſus varii ſunt, modo graviores, infantibus præcipue, quia cauſa meterialis, non longe abeſt à ſuæ generationis principio, quæ progreſſu temporis, à partibus ſolidis attracta, & in earum ſubſtantiam converſa, altius inſidet, fortiori indigens influxu ut commoveatur, quod ratio eſt, cur ætate provecti, rarius variolis, & morbillis corripiantur: Neque hoc mirum videri debet, ut quod in partis ſolidæ ſubſtantiam converſum eſt, poſſit ab ea, vi ſyderum influxus ſecerni, & effervere, ut quædam quaſi fiat diſpumatio; pars enim ſolida, accepto incremento in utero ex ſanguine materno, licet quod ex ſolo ſemine delineatum erat, purum eſſet, ex eo poſtea quod aſſumptum eſt, ſubdita facta eſt ejuſmodi deſpumationi, quæ & in variolis, & in morbillis, ex eadem partis ſubſtantia exoritur: Aſſerendi enim ut Riolanus, materiam variolarum excerni tanquam humorem à partibus ſolidis, morbillorum autem ab humido radicali illis inſito, per modum exhalationis, rationem non video; licet enim morbillorum materia ſubtilioris ſit naturæ, variolarum autem craſſioris, non minus proptera ab eodem fonte exurgere putandum, quod enim expurgatur in parte ſolida, ejus eſt humidum radicale, meliuſque expurgatur à variolis quam à morbillis; qui enim magna variolarum abundantia, ante morbillos expurgantur, rariſſime, aut nunquam, morbillis tentantur. Neque mirandum eſt corporis cœleſtis influxum, in peculiarem partis alicujus ſubſtantiam, licet per totum diffuſam, proprietate quadam agere, reliquis intactis; hoc enim igni conceſſum eſt, ut patet in deſtillatione, in qua mixti ſubſtantia aquoſa, per totum diffuſa, oleo, & ſale relictis aſcendit, niſi perſeverante igne urgeantur. Hoc pacto ſyderis influxus, cui data eſt proprietas,

ſubſtantiam à materno ſanguine impuro deſumptam, & jam in partis ſubſtantiam mutatam, commovere, & corrumpere, agit in eam aliis intactis; ut autem commota eſt, naturæ gravis, inſurgit illa ad excretionem ſpritibuſque iratis; febris accenditur, fitque ejus quædam materiæ deſpumatio, febre perſeverante, quouſque partibus interioribus rite expurgatis quieſcat, quod optimum ſignum eſt, eoque magis, quo citius deſinit: Si autem ut erumpunt papulæ, febris pedetentim non remittat, ſaltem die ſeptimo ab eruptione ultimarum; quo variolæ erunt pejores, eo magis erit periculi, præcipue in regionibus calidis: Hoc enim oſtendit partes internas, ab ejuſmodi illuvie, non bene eſſe expurgatas, quam poſtea natura in ventrem deponit, quod raro bonum eſt; melius hujus reliquias propelli ad articulos, licet oſſa de ſede dimoveat, laxato ligamento, & interdum mutilet.

Si febris non remittit poſt puſtularum eruptionem, malum.

PROGNOSTICA.

Morbilli, & variolæ, morbi ſunt epidemici, gravius, aut levius graſſantes, pro cœleſtis influxus conditione, cauſam moventis.

Morbilli, & variolæ, morbi ſunt acuti.

Signa præcedentia variolas, & morbillos, æquivoca ſunt, & incerta valde, niſi cum populariter graſſantur.

Quo citius erumpunt variolæ, cum acumine ſplendente, eo melius.

Variolæ poſt elevationem ſubſidentes peſſimæ; magis autem ſi partium tumor etiam evaneſcat, mortem enim ſignificat.

Variolæ faſtigiatæ, rotundæ albicantes, molles, disjunctæ, bonæ; depreſſæ vero, foveam in medio habentes, malæ; pejores autem, ſi in fovea aliquid nigri appareat.

Omnino nigræ lethales, deinde lividæ, virides.

Febris quæ tendentibus ad ſtatum variolis, pedetentim non minuitur, mala; pejor autem quo ulterius proceſſerit.

Fluxus ventris in principio, ſi erumpentibus variolis ceſſet, bonum; ſi autem perſeveravit, malum: Pejor autem qui in ſtatu, aut declinatione ſupervenit.

Delirium, lethargus, carus, extremitates frigidæ, frequens vomitus, malignum quid ſignificant.

Ver-

Vermes ſæpiſſime ſubeſſe cum variolis animadvertuntur, ex quibus interdum mors, quæ à variolis accidiſſe putatur.

Quæ vomitorio modo procedunt, febre non apparente, malignas variolas portendunt.

Enarrationes de quibuſdam Ægrotis.

OBSERVATIO PRIMA.

Puer quidam Maſſiliæ decem annorum, quo tempore immaniter graſſabantur variolæ, febre continua correptus quia frater ejus major natu, laborabat variolis, ſtatim & ab adſtantibus, & à Medico eis laborare, reputatus eſt: Neſcio quænam illi remedia adhibebantur, nondum enim eram Medicus; Memini tamen me vidiſſe ægrotum, huc, illuc, in lecto membra, & corpus projicientem, cum vociferationibus, & querelis, à torminibus, dieque ſeptimo, expiraſſe. Tunc temporis vetitum erat, communi Medicorum hujus regionis decreto, ne in variolis ſanguis extraheretur, quod venæ ſectio in venenis non conveniret, cujus naturæ variolæ putabantur. Sed dato quod variolæ, in quibuſdam conſtitutionipro re peſtifera habeantur; alia eſt ratio veneni in corpore geniti, & alia extrinſecus advenientis, ut à morſu venenato, & in venenis propinatis, in quibus nullo modo fieri debet venæ ſectio: At in his qui in corpore gignuntur, poteſt quibuſdam de cauſis, phlebotomia adminiſtrari, quia ad interiora major non poteſt fieri venæ ſectione retractio: Unde & in carbunculis, & in exanthematibus, quæ Purpura dicuntur, & nunc in variolis, & morbillis, adminiſtratur ab omnibus venæ ſectio, qua naturæ motus juvatur, febris violentia, & alia accidentia mitigantur, & plenitudo gravans, ſi qua ſit, aufertur. Imo quidam, præcipue Pariſiis, trimeſtribus infantibus, non verentur, in ſuſpicione variolarum, ſanguinem extrahere, quod multi in hac ætate non probant, ſtante tamen Arabum ſententia, magis videtur venæ ſectio iis convenire, qui minus diſtant à nativitate: Quia quo magis infans proximus eſt ſuæ nativitati, eo magis ſupereſt de ſanguine materno in ejus venis, ideoque magis neceſſaria venæ ſectio, quam adultis: Unde non mi- An venæ ſectio in variolis adminiſtranda, necne?

ror quod refertur à Riolano. lib. 6. antropol. cap. 5. de vaſ. umbilicalibus, his verbis Experientia obſervatum eſt, cum nato infanti ſecatur umbilicus, & è venis ſinitur ſanguis copioſus effluere, prout vires ſuadent, & tolerant, illum puellum poſtea variolis paucis, rariſque, & ſalubribus tentari: Quod non ſolum Arabum ſententiam confirmat, ſed recenter natis, venæ ſectionem magis convenire, quam adultis: Et quo quis provectior eſt ætate, eo minus; ideoque quamplurimis, inutilem eſſe ratione morbi. Nam ſi ſecundum Arabum ſententiam, &plurimos recentiores, ſanguis maternus qui ad fœtus nutritionem, quandiu in utero detinetur, abſumitur, cauſa eſt morbillorum, & variolarum, cum omnis in partium nutritionem faceſſivit, inutilis erit venæ ſectio, niſi ratione quorumdam accidentium, eoque magis quo quis provectior erit ætate: Oportet tamen nos, ut fertur communi adagio, exemplo anſerum in aquam demergere; ideſt venam ſecare, alii faciunt, dum ſuſpicio eſt de exortu variolarum, & morbillorum; alioquin ſi æger moriatur, culpa rejicietur in venæ ſectionis defectum, inſcitiæque, aut negligentiæ accuſabitur Medicus. Ego quidem ingenue fateor, me in quantum potui, venæ ſectione abſtinuiſſe, niſi in valde plethoricis infantibus, cauſam aliquam quærens ne fieret; nec quidquam novi auxilii in ea inveniſſe: Quin potius, majorem longe numerum aliquando vidiſſe defunctorum, quibus venæ ſectio adminiſtrata fuerat, quam quibus non fuerat: Variolæ enim non fiunt à ſanguinis ebullitione, niſi in recenter natis, in adultis autem ſi ſanguis efferveſcat, hoc eſt per accidens, ratione ſcilicet febris, quæ eſt à natura, ad excretionem ſe accingente, vel à materiæ variolarum ebullitione, à proprio ſydere commotæ, quod ut magis eluceat.

OBSERVATIO II.

Purulenta ſcabies, variolis erumpentibus ſanata, his vero deſinentibus, reverſa.

Filiola mea ætate trium annorum, ſcabie purulenta, & cruſtoſa laborans, & tempore quo variolæ graſſabantur, febre continua corripitur, ſine moleſto aliquo ſymptomate. Tertio die variolis erumpentibus, ſcabies quaſi majori cedens, eis locum dedit, nec toto tempore variolarum ullibi apparuit: Omnibus ſecundum votum ſe habentibus, totum negotium naturæ commiſi, nulla facta venæ ſectione, nec alio utens remedio;

bene

bene enim proceſſerunt variolæ, albæ, faſtigiatæ, rotundæ, molles. Perfecte ſanata ſine veſtigiis, cum à ſcabie immunis crederetur, rediit ſcabies ut antea; cujus rei proceſſum miratus, quomodo bene erumpentibus variolis, bene procedentibus, & ad votum ſanatis, ſanguis à putredine ſcabioſa non eſſet vindicatus: Arbitratus ſum variolarum materiam, nullo modo ſedem habere in ſanguine; vidi quippe in pluribus, ſanguinem extractum ratione variolarum, purum exiſtere, ideo ſententiam Arabum, aliis veritati magis conſentaneam ſemper arbitratus ſum.

OBSERVATIO III.

Puer quidam annorum 5. variolis graſſari incipientibus, febre continua, cum fluxu ventris corripitur, exiſtimans ſubeſſe vermes, qui ſæpiſſime cum variolis miſcentur, ſtatim propinandam curavi potionem contra vermes, ex infuſione rhabarbari & ſemine contra, in aqua portulacæ diſſolutis, deinde ſcrup. j. pulv. rhabarbari; ejecit quidem vermes; ſed fluxu ventris perſeverante, erumpere ceperunt variolæ, quæ ſatis erant boni moris, manens tamen diarrhœa, metum mortis incutiebat, ut fere ſolet evenire in noſtra regione Maſſilienſi; in hac vero non item. Sedato tandem fluxu ventris ſanatus eſt puer ſine reliquiis, quæ tunc erant juncturarum abſceſſus.

Variolæ, quibus conjuncta Diarrhœa.

OBSERVATIO IV.

Aduræ juvenis quidam 14. annorum, incidit in ſomnum profundum cum extremorum perfrigeratione: ſubiit ſtatim animum malignum quidpiam ineſſe, præcipue à vermibus: Cum nullus eſſet rumor de variolis, inſiſtimus in remediis contra vermes, & cardiacis. Tertio advertimus erumpentes variolas, cum pluribus exanthematibus rubris lividis, & nigris, poſt quorum eruptionem expergefactus, omnibus ſuperatis ſanatus eſt perfectiſſime.

Eruptio variolarum poſt ſomnum profundum.

OBSERVATIO V.

Puer quidam in hac urbe, graſſantibus variolis cepit ægrotare, cum febre mediocri, omnia videbantur eſſe in tuto, niſi quod ſtomachus nihil ferre poterat, nec juſcula, nec potiones ſubdorificas, quin ſtatim rejiceret, hoc modo eludens auxilia. Tandem animadverſæ ſunt 3. die variolæ quædam, dein-

Mors a variolis nigris.

deinde multæ quæ repletæ ſunt omnes humore nigro, videbantur ampullæ atramento plenæ, quibus viſis de ſalute conclamatum eſt, licet ad loquelam non videretur ægrotare, dieque undecimo paſſus convulſionem muſculorum capitis mortuus eſt.

Observatio VI.

Variolæ depreſſæ, uſu aquæ & ſalis Card. bened. iterum elevatæ.

Puellæ quædam Maſſiliæ biennis cum variolæ erupiſſent, nec eſſent probe faſtigiatæ, ſed depreſſæ manerent, quod in illa regione peſſimum ſignum eſt: Vocatus ut occurrerem ejuſmodi depreſſioni, præſcripſi ℥ij. aquæ card. benedic. cum gra. iij. ſalis ejuſdem: Mirabile dictu! omnes variolæ, poſt duas, aut tres horas, elevatæ ſunt; ſed poſtero die, cum iterum depreſſas animadverterem, eadem repetita potione, elevatæ ſunt; & iterum poſtea depreſſæ, tertio propinata potione ſeptimo die, iterum tertio elevatæ ſunt variolæ, vim antidoti mirantibus multis. Sequentibus diebus, curæ reliquum naturæ commiſi, quæ tandem prævaluit, licet variolæ non eſſent probe faſtigiatæ: Cum autem filiola non videretur mihi perfecte ſanata; exiſtimans aliquid de materia variolarum, circa viſcera remanſiſſe, præſcripſi gr. iiij. ſalis abſynthii per aliquot dies, cum lacte ſumenda ex cochleari, hora una, aut altera, antequam mammam ſugeret; à cujus uſu, dejecit materiam pluribus vicibus, ſimilem puri, & perfecte ſanata eſt. Re ipſa, ſalis, & aquæ cardui benedicti virtute comprobata, ſæpius uſus ſum, ſemper cum felici ſucceſſu, immiſcens in adultis ſcrup. j. aut ʒß. confectionis alchermes: At in hac regione, ubi carduus benedictus, non eſt ſuæ ſpontis herba, ita debilis virtus inveni, licet gr. xij. in proprio liquore ſtillatitio ſoluta præberem, ut coactus ſim aliis uti ſudorificis, præcipue aqua ulmariæ ad ℥iiij. cum ſalis ejuſdem gr. vj. aut viij. & gr. ij. ambaris griſei, aut ʒß. confectionis alchermes. Lapidi bezoardico non fidendum, niſi certa experientia comprobatus fuerit; quia nullius eſt virtutis, ſi ut aiunt, quo tempore paſcitur animal in planitiebus, ab ejus ſtomacho eruatur, quia herba quæ virtutem lapidi bezoardico impertitur, tantum alitur in montibus. Quantum ad præparationem decocti lentium, nunquam illi fidem adhibui, nihil ex ejus uſu videns magni momenti, malui ſudorificis cardiacis inſiſtere, & pro potu ordinario uti cornu cervi decocto:

Ne

Ne autem veſtigia à variolis relinquantur, unguenda eſt facies in ipſa eruptione uſque ad novem dies, oleo amygdalarum dulcium recenti calido, hyeme præcipue, aut adipe caponis liquefacta, vel oleo in quo multa folia malvæ incoxeris, ſicut & pomata aliqua recenti; hæc enim cutis faciem emolliendo, efficiunt ut tumentibus, & creſcentibus variolis, facilius cedat, minorque in carne fiat fovea: Poſtquam vero cruſtæ deciderunt, optimum eſt unguere faciem ſpermate ceti. Remedia quæ oculis adhibentur, non ſolum inutilia exiſtimo, ſed plerumque noxia, ſi repercutiant; quod ſi palpebræ ita tumeant, ut aperiri non poſſint, manibus diductæ, abluantur oculi mane, & ſero, decocto aliquo detergente, ut eſt decoctum hordei ad crepaturam cocti, cum melle roſaceo; inevitabilis enim eſt viſus amiſſio; ſi variola aliqua in pupilla oriatur. Nares etiam in infantibus aſpiciendæ, ne coaleſcant, in raucedine vero, quæ denotat variolas circa laryngem erupiſſe, ſyrupus granatorum in principio, deinde mororum conveniunt. Quod ſi deglutiendi difficultas acceſſerit, utere ſequenti looch, quod morituris etiam prodeſſe vidimus.

℞. Dianuci ℥j. vel loco ejus, aquæ nucum ſtillat. ʒij. ſyrup. conſer. nucum ℥vj. ſal. gem. gr. vj. vel viij. ſale diſſol. deglutiatur per vices lentiſſime.

OBSERVATIO VII.

Adoleſcens quidam octodecim annorum, tempore quo variolæ graſſabantur, febre continua, & acuta correptus, de atroci, & horrendo lumborum dolore ſtatim conqueſtus eſt, nullis cedente remediis; paulo poſt incidit in lethargum: Dum auxii de cauſa ſymptomatum laborabamus, erumpere ceperunt variolæ, cum multis exanthematibus nigris, & alterius coloris; ad ſe tamen non redibat, nec à longo tempore, mentis compos factus eſt, etiam ſanatis variolis; quibus pedetentim erumpentibus factum eſt ulcus in medio lumborum, vertebra apparente carne denudata, ac ſi pyrotico fuiſſet abſumpta, denarii rotunditate: Non mirum, ſi in illa regione tam atroci dolore torqueretur; ego quidem fateor nunquam toto vitæ decurſu vidiſſe, nec legiſſe, nec audiviſſe ægrotantem, qui cum talibus ſymptomatibus omnino incolumis evaſerit, ſine reliquiis.

Variolæ cum ulcere lumborum, & Lethargo, ſanatæ.

Nnn OB-

OBSERVATIONUM NICOLAI CHESNEAU MASSILIENSIS. DOCTORIS MEDICI.

LIBER QVINTVS.

Qui eſt de miſcellaneis.

Observatio Prima.

De dubia valde, & controverſa Iſchuriæ cauſa.

VIr quidam 50. annorum, vicinus hujus urbis; trium dierum itinere, tempore hyemis peregre proficiſcens, cum domum reverteretur, correptus eſt iſchuria, quæ illum in proxima urbe morari coëgit, curantem ſibi enemata injici à quodam Pharmacopœo, qui etiam propinavit illi apozemata diuretica, quibus exonerata veſica, diſceſſit in hanc urbem, à cognato excipiendus, apud quem iterum revertente iſchuria, lecto decubuit: vocato Medico hujus ordinario, nihilque per tres dies proficiente, duo alii Medici, quorum ſenior eram, adhibiti ſunt in conſilium, inter quos habita conſultatione, Medicus ordinarius, aſſerebat ægrotantis affectum, facilis eſſe cognitionis, iſchuriam ſcilicet, cujus cauſa non in veſica, quoniam in ejus

ejus regione, neque dolor, neque tumor deprehendebatur; quod ſignum erat lotium non deſcendere per ureteres, ex obſtructione lapidis in renibus; ideo procurandum ut potionibus, ſemicupiis, enematibus & topicis expelleretur, cui Junior aſſenſus eſt: Ego vero affirmabam, affectum non eſſe tam facilis cognitionis, ut putabatur, nec proprie iſchuriam eſſe, cauſa non exiſtente in veſica. Quia autem ægrotus dolorem quemdam perceperat, in principio morbi, circa renem ſiniſtrum, aliaſque lapillum ejecerat, putabant alii Medici, factam fuiſſe à lapide obſtructionem in rene; ſed cum duo ſint renes, à ſano facta fuiſſet urinæ tranſcolatio: Ad quod Medicus ordinarius reſpondit ex Hollerio, uno rene affecto, alterum coaffici; quod tamen Hollerius nullibi ſcripſit: Imo ſcholia cap. de calculo, habetur uno rene clauſo, per alium reddi poſſe urinam, ut fere ſemper accidit; licet, Riolanus, monitus à Foreſto, dicat non ſemel obſervaſſe, uno rene obſtructo, alterum inutilem eſſe; quod antea Duretus ſcripſerat in coac. mihi pag. 539. Sed morbi progreſſus, aliud in corpore ægrotantis extitiſſe oſtendet. Cum autem intentum noſtrum, eſſet urinarum provocatio, non ſumus in hac diſceptatione immorati, præmiſſoque bolo ex caſſia, terebinthina, & criſtallo tartari, præſcriptum eſt ſemicupium; in cujus ingreſſu hauſit ægrotans julep diureticum, à quibus minxit nocte pluribus vicibus, non tamen in magna quantitate, nullo præcedente, nec præſente dolore in renibus, & veſica. Febris fere ſemper aderat, præcipue circa veſperam, cum quadam cataphora; ita ut interdum lethargicus videretur. Duobus conſecutis diebus, nulla facta urinæ excretione, iterum ſemicupio uſus eſt, & potu diureticæ potionis in ingreſſu, quibus viæ patefactæ ſunt urinis, mediocri tamen quantitate, perſeverante comate, quod Medicus ordinarius ſuppreſſis urinis referebat ſero ad caput aſcendente: Ego vero quia in venæ ſectione parum ſeri ſemper animadverteram, multotieſque minxiſſet ægrotus, non tantam ſeri quantitatem, in venis ſubeſſe affirmabam, ut ad caput aſcenderet, comatis cauſa ſufficiens; me vero potius timere, ne in peregrinatione ſumma hyeme facta, caput eſſet refrigeratum, principiumque affectus ſoporiferi extitiſſet; ideo aliis

Lib. 2. antrop. 6. cap. 20. pag. 144. Coac. 45. lib. de excre. cap. iij.

partibus non neglectis, capiti eſſe proſpiciendum, admotis cucurbitulis cum ſcarrificatione, ſupra humeros, & decocto pulegii in aqua, & aceto facto, verticem raſum fovendum; purgationes enim per intervalla fiebant, & quotidie enemata injiciebantur, ut ſerum per ventrem educeretur; cetera vero Medico ordinario pervicaciter non probante, neglecta ſunt: Interim cum frequenter ægrotus ſurgere è lecto, modo ventrem exoneraturus, alias ut illi lectus componeretur, nec ſibi à frigore, tempeſtate hyemis, provideret, cum cerebrum multa ſcateret pituita, ut conſtabat ex comate, fluxio in latus ſiniſtrum impegit, & pulmones, ex qua dolor punctorius, cum tuſſi, & febris exacerbatione, metum, parum verſatis in pulſu, incutiebat pleuritidis; ſed cum is non eſſet durus, aſſerui novum iſtum affectum, veram non eſſe pleuritidem, ſed notham, cum fluxione in pulmones, qui affectus compoſitus eſt, de quo lib. 2. cap. 2. ex quo populariter graſſante hoc anno, in quibuſdam oppidis, multi moriebantur: Statim itaque vena cubiti ſiniſtri ſecta eſt ægrotanti, fotibuſque parti dolenti admotis, cepit die 4. cocta ſpuere, fuitque poſt ſeptimum liber à recenti malo; non autem ab eadem cauſa, iſchuriam per intervalla inducente. Cum autem urina tribus diebus fuiſſet ſuppreſſa, nullo juvante auxilio, expetivit ægrotans, ut Pharmacopœus, à cujus prima vice exhibito apozemate, vocaretur; antequam autem veniſſet, cum relatum eſſet ægrotanti, me habere arcanum expellendo calculo, & provocandæ urinæ potentiſſimum, rogavit ut præſcriberem, cujus talis erat deſcriptio.

℞. Margar. & coral. rub. præpar. ana ʒj. inf. per. 24. horas in ſucco limon. deinde Acc. rad. petroſ. mj. ſyſimbr. aquat mß. bulliant omnia in aquæ flum. & vini albi. ℔iß. lento igne, ad conſumptionem tertiæ partis, pro tribus doſibus, ſero, media nocte, & aurora.

Ebibitis his potionibus, abunde minxit, nec opus fuit remediis Pharmacopœi, ab eoque die nulla amplius facta eſt urinæ ſuppreſſio: Verum poſt biduum, multum ſanguinis cum urina excretum eſt, ſedimentum nigrum, ut fere fit, poſtea deponente, nullo antecedente, nec præſente dolore, quod nobis mirum

mirum videbatur; die autem elapſo, non amplius ſanguinolentæ, nec crudæ in colore, ut antea, fuerunt urinæ, ſed boni coloris, nec à pluribus diebus comatoſus erat ægrotus; à febre tamen liber non erat, poſituſque in ſecuro ab omnibus videbatur: Quatuor autem, aut quinque diebus elapſis in hoc ſtatu, cepit conqueri ægrotus de dolore circa aurem; appoſita eſt lana ſuccida, oleo chamæmelini imbuta, tumorque pedetentim accreſcens, parotidem detexit, cum febris incremento; topica attrahentia impoſita ſunt, quibus nihil proficientibus, pyrotico tumor apertus eſt, quæ omnia mortem circa ſeptimum, ab exortu parotidis, avertere non potuerunt. Circa hujus affectus ſymptomata, pertinaciter diſputatum eſt toto morbi decurſu, de cauſa ſuppreſſionis urinæ comatis, & parotidis. Medicus ordinarius ſemper obfirmatus manſit, obſtructionem renis à lapide urinæ ſuppreſſionis cauſam primo extitiſſe, deinde ſero ad caput aſcendente, coma excitatum fuiſſe, & ex eadem materia retro aures propulſa, parotidem. Junior fluctuabat in ſtatuenda ſententia. Ego vero contra, aſſerebam ſuppreſſionem urinæ, nullo modo accidere poſſe, ab obſtructione facta à lapide, qui ut hoc efficiat, oportet ut principium ſaltem ureteris introeat, eum omnino obſtruendo, quod non fit ſine dolore: Cum autem urinæ ſuppreſſio, fieret in iſto ægrotante per vices, ſine ullo doloris ſenſu; quomodo recederet lapis in renem, & iterum in ureterem protruderetur ſine dolore, non poteram animo concipere; nec quomodo apozemata diuretica, tam ſæpe urinas moviſſent, quibus potius lapidem expellentibus, quam retrahentibus, aut deſcendiſſet lapis in veſicam, cum doloribus nephriticis, aut magis ab eis infixus eſſet lapis. Adde quod ex altero rene facta fuiſſet urinæ tranſcolatio, quidquid dicant Foreſtus, Duretus, & Riolanus. Fateor quidem in urinæ ſuppreſſione inventum fuiſſe, diſſecto cadavere, lapillum renem unum obturantem, altero plane ſalvo, nec ullam ab eo factam fuiſſe ſeri attractionem, ſed hoc non accidet ex ſola unius obſtructione alteri affectu communicato, conſortii lege; obſtructio enim non communicatur parti, in qua nihil obſtruens exiſtit, ſed alius debet eſſe morbus communis utrique reni, ut eſt facultatis attractricis defectus, quæ in ægrotante iſto non

erat abolita, ſed tantum debilitata, unde per vices, non deſcendebat urina ad veſicam, feriante utroque rene, quouſque facultas obdormiens excitaretur remediis, præcipue ultimo, à quo non amplius reſtitit urina. Adde quod natura duos renes ſingens, non egit fruſtra, quod factum fuiſſet, ſi uno rene obſtructo, alter eſſet inutilis; contrarium enim oſtenditur Obſerv. ſeu Enarratio. 2. cap. ix. lib. 3. de quodam ſacerdote, & Enarratione ultima obſervat. 29. hujus lib. de quadam muliere, & in aliis pluribus animadverſum eſt. Dicendum eſt igitur, naturam duos renes conſtruxiſſe, ut uno affecto, alter ſufficeret: Nam plures viſi ſunt, à prima in utero conformatione, unum tantum renem habentes, qui diu vixerunt; quod recenti memoria ab anno & dimidio, compertum eſt in quodam Dynaſte, qui uno rene carens à natura, vixit cum altero plus quam ſexaginta annos, moriens ex affectu veſicæ inaudito, ut habetur obſerv. 30. hujus lib. Coma vero hujus ægrotantis, non fiebat ex ſero retento ad caput aſcendente, cum viderimus quamplurimos, ex ſuppreſſione urinæ morientes, ſine ullo comate. Deinde quod in venæ ſectionibus, ſanguis ejus ſero non abundaret. Dicendum potius ex refrigeratione in itinere non ſolum capitis, ſed regionis renum, coma eſſe invectum, & urinæ ſuppreſſionem, ipſis renibus debilitatis, unde nulla fiebat interdum ſeri attractio, niſi diureticis exhibitis, natura ſollicitata ad opus ſuum rediret. De parotide ſimiliter dicendum, eadem de cauſa cerebrum humore pituitoſo infarctum, illam in emunctorio deponere voluiſſe, ſed majori parte in ipſa remanente, ſpiritus animales fuiſſe obrutos, unde mors inſperata. Quod autem me magis angebat, cauſæ erat mictionis ſanguinis dignotio, quæ ceſſante urinæ ſuppreſſione, accidit duobus, aut tribus diebus continuis. Ego quidem in hac multum laborans, exiſtimo ſanguinis mictionem hanc, factam fuiſſe à quadam anoſtomoſi, ruptionis enim venæ, nulla cauſa præceſſerat; nec tam facile deſiiſſet, ſicut & à vena exeſa: Sanguinem per carunculas renis exudaſſe non eſt veriſimile; neque enim trium dierum fuiſſet affectus: Omnia tamen, me acutioribus in judicando, æſtimanda relinquo.

Ob-

OBSERVATIO II.

De dolore lumborum cum febre acuta, & aliis periculoſis ſymptomatibus.

Mercator quidam hujus urbis, vir laborioſus, & quacumque anni tempeſtate, paratus peregrinationibus, incidit in febrem continuam, validam quidem ex pulſu, & periculoſam ſpecie, ratione ſymptomatum, quibus comitabatur, dolore ſcilicet capitis, ſed lumborum valde moleſto, & intolerabili, cum urinis valde rubris, nigritie linguæ, ſingultu, inſomniis & pulſu intermittente, in paucis interdum ictibus alias in multis. Vocatus tanquam Medicus ordinarius; ſtatim ab injecto enemate, & venæ ſectione baſilicæ dextri lateris, curationem auſpicati ſumus; poſtridie vero mane, alterius lateris, quibus nihil proficientibus, præcipue ad dolorem lumborum, tanquam ægrotanti omnium moleſtiſſimum, ipſi & cognatis obtemperans, eo quod alias lapillum è renibus ejeciſſet; præſcripſi, licet febris valida eſſet, ſemicupium, tanquam dolori nephritico leniendo aptiſſimum, quo quidem levabatur à dolore, ſed ab illo iterum urgebatur: Qua de cauſa, vocati ſunt alii duo urbis Medici, ut iniretur conſultatio, in qua primus, & junior, dolorem lumborum nephriticum eſſe exiſtimabat, cum aliorum affectuum complicatione, ſalutem ægroti deſperans. Alter lumborum dolorem eſſe à renis inflammatione, ex febris magnitudine, ſingultu, linguæ nigritie & pulſu intermittente, cum urinarum ſaturata rubedine, aſſerebat: Ego vero omnino negabam, dolorem lumborum eſſe à renis inflammatione; dolor enim pulſatilis non erat, nec ardor magis hac parte quam aliis ſentiebatur, multaque ſigna ab Authoribus de inflamatione renum deſcripta non aderant. Quod autem me magis ab hac ſententia abducebat, virium erat motricis etiam facultatis conſtantia; ſurgebat enim ægrotus interdum ex lecto, ſtans, & obambulans ſolus per cubiculum; hoc autem non ſemel tantum vidimus, ſed pluries, toto morbi decurſu; ex quo perſuaſus ſum, morbum non ita eſſe periculoſum, atque putabatur, & ut præ ſe ferebant ſuperius enumerata ſymptomata. Meam itaque ſententiam eſſe, dolorem illum lumborum, vel à calculo renum originem ducere, vel ab humore à capite in lumbos præcipitante; hoc autem magis, licet ægrotus nephritidi alias fuiſſet obnoxius. Nigredinem

lin-

linguæ, leves interdum habere cauſas, nec tantopere pertimeſcendam. Singultum, ſi aliquid ſubeſſet in renibus, conſortii lege poſſe accidere, loco vomitus; vel ab acribus humoribus, aut ſtomacho qualitate oculta infenſis, & in ejus ſuperiori orificio infarctis; aut à quodam vapore maligno, quod non erat veriſimile. Pulſum intermittentem in homine quinquagenario, levi de cauſa fieri, quia facultates languidæ, ex Galeno, à partis occaſionibus offenduntur. Factis ex utroque cubito venæ ſectionibus ſumpſerat ægrotus quarta morbi die medicamentum purgans propter ſingultum, quo die circa veſperam facta eſt conſultatio, in qua Medicus, qui dolorem lumborum ab inflammatione renum fieri putabat, venæ ſectionem malleoli dextri, factis ſuperiorum partium evacuationibus, maxime profuturam aſſerebat, etiam à quacumque alia cauſa, nec obſtare purgationem mane ſumptam, quoniam parum venter dejeciſſet: Videns ego aſtantes, & ægrotantem levaminis ſpe ad hoc inclinare, venæ ſectionem ex malleolo, mane ſequenti à me decretam, veſpertinis horis, & de nocte, quo tempore fiebat conſultatio, faciendam conceſſi; alias enim cubiti vena mane ſecta cuidam ægrotanti, circa horam tertiam veſpertinam, medicamentum purgans exhibendum, ſingultus cauſa, nec infeliciter curaveram. Secta igitur malleoli vena illico, ſanguis optime effluxit, vaſculo expiendus, non ceſſit tamen dolor lumborum: Exacta autem ſeptima die ſingultus remittere cepit, & lingua nigritiem deponere, perſeverante adhuc renum dolore, febre valida, & pulſus intermiſſione, cum dolore capitis, & urinis valde rubris, nullum deponentibus ſedimentum; Quibus de cauſis præſcripta ſunt cardiaca, cucurbitulæ ſcapulis admotæ cum ſcarrificatione, & apozematibus uſus eſt hepaticis, & refrigerantibus; vena interim malleoli ſiniſtri aperta eſt, febreque ſemper valida perſeverante, iterum ad brachia ventum eſt, non tam ratione doloris capitis, quam humoris à capite in lumbos, ut credebam, irruentis; tunc enim non mihi ſuſpicio erat amplius, de dolore à calculo; quamvis Medicus, de quo ſupra, pertinaciter ſuam tueretur opinionem, renes ſcilicet eſſe inflammatos, meque brevi purulentas viſurum urinas aſſerens; quod cum negarem, finis, inquit, coro-

Lib. 2. de præcog. ex pulſu.

coronabit opus, maxime reſpondi, nec unquam pus videbis in ægrotantis urinis. Elapſis quibuſdam diebus, apparuit poſt 14. in urinis, ſemper valde rubris, ſedimentum filis ſtuparum minutim inciſis, & ſibi invicem incumbentibus non abſimile, quod videns Medicus ille, parum in dignoſcendis urinis verſatus, reſpice, inquit, quaſi ovans, pus in urinis; quaſi vero reſpondi, quam multum abeſt hæc hypoſtaſis à pure; non vides multis in locis eſſe aëri perviam, multaque corpora ſibi incumbentia, filis ſtuparum minutim inciſis ſimilia: Neſcis, dixi illi, quid ſibi velit hæc hypoſtaſis; ſignificat in ægrotante, ſi ſanitati reſtitui debeat, longam fore invaletudinem, ut videram alias in quadam conſtitutione epidemica, de qua obſerv. 3. epide. conſtitutionis hujus lib. Cum autem ægrotantis quidam amicus, audiviſſet ſententias noſtras diſſentientes, & de natura morbi, & de prognoſi, conſuluit illi, ut hunc Medicum, ſoluta ejus opera dimitteret, quod placuit. Cura itaque hominis tertio morituri, ut ille prædicabat Medicus, mihi ſoli demandata, nihil minus quam de renis alicujus inflammatione cogitans, operæ pretium duxi, ſanguinis corruptionem, iteratis per epicraſim venæ ſectionibus, & uſu ſyrupi de cichoreo cum rhabarbaro corrigere; ad dolorem autem renum, qui per intervalla repetebat, quem tunc à fluxione originem habere exiſtimabam, quibuſdam purgationibus, & ſudorem moventibus uſus ſum, qui etiam ultro interdum profluebat; quibus tandem è lecto omnino ſurrexit; cum tamen pulſus quadam præter naturam agitatione, ſine ulla autem intermiſſione, quæ inter formidanda ſymptomata, ultimum abſceſſit: Cum autem non eſſet cibi cupiditas,purgationem iterum eſſe neceſſariam arbitratus ſum, qua exhibita, & iterum facta venæ ſectione, eo quod eſſent adhuc urinæ valde rubræ, cetera naturæ commiſimus; ab eoque tempore cepit per urbem obambulare, tribus menſibus à prima morbi invaſione. Cum autem mihi poſt aliquod tempus occurriſſet viribus non bene recuperatis, & facie pallida ad citrinum inclinante, pulſum ejus explorans, febricitantem inveni, qua de cauſa ſciſcitatus ſum, num vellet uti quibuſdam infuſionibus rhabarbari, factis in aqua cichorei; reſpondit, etiam: Præſcripſi itaque in hunc modum.

 ℞. Rha-

℞. Rhabar. ʒij. infun. in aquæ cicho. ℔j. capiat ℥iiij. quolibet mane per ſex dies continuos jejuno ventriculo, à ciboque abſtineat per tres horas, renovando infuſionem cum prima abſumpta fuerit.

Ab uſu hujus infuſionis, pedetentim auriginoſa facies & febris remiſerunt, perfecteque ſanatus eſt, nullo excreto lapide, nec pure; conquerens tamen interdum de lumborum dolore, quod afluxione in lumbos à capite, mihi magis confirmavit illum exiſtere.

OBSERVATIO III.

De abſceſſu poſt partum facto in dextro hypochondrio, feliciter à natura ſanato.

Mulier quædam, poſt aliquot dies à partu, cepit dolere, cum febre in dextro hypochondrio, parte ſuperiori. Vocatus in oppidum in quo decumbebat, pulſu explorato, & parte dolente, certiorque factus de his quæ poſt partum fieri ſolent: videns nihil impedire, quominus ſanguis ex eodem latere detraheretur; injecto enemate venam tundendam curavi, deinde partem fovere decocto ex carminantibus, & diſcutientibus, immixtis quibuſdam emollientibus, facta qualibet vice inunctione ex dialthea. Quia autem non bene mihi conſtabat, an dolor eſſet à quadam fluxione à capite, an ex quadam putrefacti humoris congerie, in inteſtinis facta, conſului ut medicamentum purgans propinaretur, ex benignioribus, & nihil ad partem affectam attrahentibus, iiſque peractis diſceſſi, præcipiens ut ſi à purgatione dolor non remitteret, me certiorem facerent. Cum Medicus loci ordinarius, & ægrotantis conſobrinus, qui abſens fuerat, rediiſſet; & alter Medicus qui in urbe proxima Medicinam factitabat, veniſſet in oppidum, eſſetque ægrotantis avunculus, ſprevit maritus, me monere de doloris perſeverantia, ſed vocatis Medicis, uxoris ſuæ cognatis in conſilium, conjunctis ſententiis ſtatutum eſt ab eis, dolorem hunc eſſe ab utero, perperamque à me venam fuiſſe ſectam, multaque præſcribentes in hunc finem, per tres menſes, præcipue ſemicupia, nihil profuerunt: Nec mirum, egregii enim Medici, & in anatome valde periti, dolorem in parte ſuperiori hypochondrii, cum febre, utero tribuebant, eo quod ægrotans antea peperiſſet. Tandem à

tribus

tribus menſibus, quibus de ægrotante nihil audiveram, occurrit mihi ejus mariti conſobrinus, à quo poſt mutuas ſalutiones ſtatim ſciſcitatus ſum, quid actum eſſet de cognata, & quomodo ſe haberet: Reſpondit ſemper ægrotare ab illo dolore hypochondrii, ſupradictoſque Medicos aſſeruiſſe hunc eſſe à matrice, improbantes venæ ſectionem à me factam: Quo audito, rogavi ut renuntiaret eis, ipſoſmet in errore verſari, & ſi quid in hypochondrio exiſteret, eſſe potius abſceſſum: Ille rediens hæc retulit. Paucis poſt diebus, ſedenti ægrotæ in ſella foricaria, ex conatu egerendi rupto abſceſſu, totum pus vomitu rejectum eſt, & perfecte ſanata. Cum autem poſt aliquod tempus junior ex prædictis Medicis, conveniſſet mecum in domo nobilis cujuſdam viri loquens de hac ægrotante, petivit à me qua ratione ductus, & affirmaſſem in ejus hypochondrio abſceſſum factum eſſe: Reſpondi ex longitudine ægrotationis, cum febris aſſiduitate, & doloris locum non mutantis perſeverantia; Quæ omnia mihi ab ægrotante confirmata ſunt, videnti eam in quodam oppido hujus urbis vicino, quam de felici eventu congratulabar, tanquam per miraculum ſanatam: Sed cum miracula rara ſint, bis in ægrotante fieri non potuerunt; Anno enim elapſo, & paulo amplius, eodem dolore redeunte, & diu perſeverante in eadem ſede, abſceſſus iterum factus eſt ab eadem cauſa, fluxione ſcilicet, ut opinor, à capite; qui vel non ruptus, vel materia purulenta exitum non habuit, in extremis redactam mulierem inviſere rogatus ſum, quam macie confectam inveniens, perſeverante adhuc febre, de omnibus quæ præceſſerant edoctus à marito, aſſerui abſceſſum iterum factum fuiſſe in eadem parte, à quo natura, ut antea, ſe extricare non potuerat; nunc vero ſanitati recuperandæ locum nullo modo ſupereſſe. Oportuiſſet hanc mulierem à ſanato primo abſceſſu, ſumptis per intervalla purgationibus, & aliis auxiliis fluxionem avertiſſe.

Observatio IV.

Viri cujuſdam nobilis uxor, ætate 25. annorum incidit in febrem quintanam, quæ tres dies præſtat integros: Febris typum animadvertenti, ſubit animum ſententia Hippocratis. 1. epi- *De Febre quintana ſimplici, & duplici. Senten. 8.*

epidem. comm. 3. dicentis. Quintana omnium peſſima eſt; nempe & ante tabem; & jam tabidis ſuperveniens, interficit: more tamen quartanæ curata, non exceſſit tertium paroxiſmum. Tribus poſt annis, ejus filius primogenitus, ſeptem, aut circiter annorum, incidit, in eamdem febrim, quæ etiam fuit breviſſima. Hæc eadem mulier, poſt. 4. aut 5. annos incidit in febrem quæ prima die corripuit cum frigore, deſinens eadem die ad infebricitationem, more intermittentium. Secunda die ſimili modo invaſit, & remiſit; ita ut putaretur duplex tertiana. Tertia autem die nulla exiſtente febre, nec quarta, eam omnino dimiſiſſe creditum eſt: Quinta vero die, revertens febris ſimili modo ut antea, & etiam ſexta; deinde duos dies præſtante integros, & nonâ revertente, mirati ſunt vir, & uxor ægrotans, ſciſcitantes à me quale genus febrium iſtud eſſet, quod duobus conſecutis diebus invadens cum rigore, & deſinens, duos poſtea dies præſtaret integros. Ego quidem, licet tale genus febrium nunquam mihi occurriſſet videre; duplicem tamen quintanam eſſe agnovi: Quod cum maritus & ægrotans, verbis aſſequi non poſſent, quibuſdam notis ſignavi in terram, primo ſimplicem quintanam; hoc modo.

Febris quintana ſimplex I I I I I I I I I. (asterisks over the 1st, 5th and 9th strokes)

Deinde juſſi ut febrem ſimplicem duplicaret; hoc modo.

Febris quintana duplex I I I I I I I I I I. (two asterisks each over the 1st–2nd, 5th–6th and 9th–10th strokes)

Et ita invenit uterque febrim quæ duobus conſecutis diebus corripit; deinde duos dies præſtat integros, eſſe duplicem quintanam. Quæ quidem febris, breviſſima fuit; & ſine periculo; tabes enim neque conſequuta eſt, nec ipſa ægrota à decem annis tabida exiſtit, neque ejus filius; ſicut nec uxor mea tabida fuit poſt quintanam ſimplicem, quæ duobus, aut tribus paroxiſmis expletis, deſiit: Quare miror Hippocratem abſolute, & ſine diſtinctione, hæc ſcripſiſſe; & multo magis Galenum, in hujus ſententiæ explanatione, tam obſcure mentem ſuam aperire: Imo lib. 2. de criſibus aſſerere febres quintanas, per tertium accendi; quod apud Medicos proprium eſt tertianis, quæ tertio quoque die repetunt, & quartanæ quarto quoque die,

die, ſic & quintanæ quinto: Qua ratione, nunquam ut ipſe ait, duæ quintanæ tertiana putabuntur. Quapropter valde dubito an Galenus duplicem viderit quintanam: Credo autem Hippocratem vidiſſe quintanas, quæ ante tabem, & jam tabidis ſupervenientes interficiebant; alioquin hoc non ſcripſiſſet, hoc tamen in conſtitutione quadam epidemica contigiſſe.

OBSERVATIO V.

Filius cujuſdam civis hujus urbis ætate 12. annorum febri continua, & acutiſſima correptus: illi quæ morbi violentia poſtulabat, dolor præcipue capitis graviſſimus, ſtatim adminiſtravimus, quouſque ſeptima die inviſenti, nulla facta excretione à feber liber viſus eſt. Cum oporteat ex Galeno, ſolutoria ſigna præcedere; ejuſmodi febris dimiſſio, oſtendebat aliquid in capite relictum eſſe, domitum tamen à natura, licet foras non excretum, ideo circiter poſt biduum apparuit in medio genæ dextræ, nigrido quædam lentis magnæ rotunditate, quæ ſequenti die duplo major fuit, & ita deinceps, quouſque magnam genæ partem occuparet, foris, & intus circa dentes, & gingivas, ad os uſque, nullis cedens ſcarrificationibus, nec auxiliis contra gangrænam idoneis; ſubito tamen reſtitit, nobis nihil tale cogitantibus. Ex quo, perſuaſus ſum febrem continuam, à maligno quodam humore, & peſtifero extitiſſe, qui ſeptima die, vi naturæ à parte nobili excuſſus fuerat; omne autem quod in maxilla tali materia imbutum erat, oportuiſſe in corruptionem abire, reliquis facili negotio ſervatis. Evaſit tandem juvenis, & genæ caro aliquomodo renata eſt, ſed valde tenui remanente, oportuit labia, quæ ſeparata erant, acu transfigere, & filo involuto juncta continere, quouſque coaleſcerent.

De febre continua per gangrænam in genas & gingivas terminata.

Lib. 1. de dieb. decr.

OBSERVATIO VI.

Mulier quædam, Celebris cauſidici hujus urbis uxor ſenſit dolorem acutum à capite deſcendentem in collum, deinde ſupra mammam, deinde inferius, quouſque ad latus umbilici deviens, conſiſteret: Non amplius progrediente humore, volæ manus inſtar, quidquid ab eo imbutum erat, in gangrænam abiit, nullum faceſſens negotium ad cohibendum, & iis quæ

De humore peſtifero à capite deſcendente. cum dolore, qui tandem in ventre conſiſtens, partem corrupit.

quæ ad gangrænam curandam adhibendum facile cedens, totaque nigredo cum carne abſcedente, brevi curata; non multum enim penetraverat corruptio. In muliere iſta febrem non inveni, ut in juvene ſuperioris enarrationis; fortaſſe quia ſtatim atque genitus in capite, deorſum excuſſus viciſſim eſt à partibus, uſque ad vicinitatem umbilici, in qua moram faciens partem corrupit, tota abſcedente carne, quæ imbuta erat humore illo peſtifero. Tanta eſt interdum in corpore noſtro, geniti humoris malignitas, ut certet de peſtifera qualitate cum venenis exterioribus.

OBSERVATIO VII.

De ſanatione ulceris, quod uvulam, & totum naſum depaſtum fuerat.

Mulier quædam nobilis, Maſſiliæ habitans, cepit fluxione quadam à capite in guttur, laborare; ſtatim communia adhibita ſunt auxilia, venæ ſectio, purgatio, gargariſmi, & reliqua quæ in hunc affectum præſcribi ſolent; quibus non cedente fluxione, diæta exſiccans, & ſudorifica venit in ſubſidium, cui affectus quodammodo ceſſit, ſed poſtea reverſus eſt. Fluxio acris erat, & moleſta, qua tandem invitis auxiliis, exulcerata eſt uvula. Videntibus Medicis & affectus pertinaciam, ſubiit eorum animos, ſuſpicio quædam de lue venerea: Cum autum mulier eſſet honeſta, & vulgi opinione, nulli niſi marito addicta, hac de re interrogatus, reſpondit ille ſe bene valere; alias tamen virulenta gonorrhœa laboraſſe, confeſſus eſt, à qua curatus nihil mali ab eo tempore perceperat, eo tamen tempore uxorem cognoviſſe: Ex quo omnibus fuit in confeſſo, aliquid de virulentia uxori communicatum eſſe. Cum enim venenum luis venereæ ex parte domitum eſt, morbo ſemicurato; inficit ut plurimum, quidem virulentia relicta, ſigna tamen obſcura ſunt, & aliorum morborum ſimilia, nec niſi pertinacia mali in curando agnoſcitur. Credendum enim eſt virum iſtum, cum ſe gonorrhœa laborantem adverteret, quædam adhibuiſſe remedia; moræ autem exercendæ veneri impatientem, cum uxore coïviſſe, nondum perfecte ſanatum, eoque modo luem ex parte illi communicaſſe; ideo prima fronte agnitu difficilem: Quod non fit, cum lues iſta corpus ingreditur cum omnibus ſuis adjunctis, tunc enim propriis facile ſe prodit.

dit ſignis. Cognita pertinaciæ morbi cauſa, à Medicis, à Chirurgis Maſſilienſibus, multa adhibita ſunt remedia, ut radicitus morbus evelleretur, à quibus fieri non potuit, quin uvula ulcere tota depaſceretur, quod etiam naſum aggreſſum eſt. Nullus erat morborum deſperatorum curator, in urbem veniens, qui promiſſa perfecta curatione, pecuniam non acciperet; unus quidem 20. nummos; alter vero triginta, & alii amplius: Nullus tamen potuit impedire, quin naſo accideret quod uvulæ. Res deploranda in muliere formoſa, & liberali corporis præſtantia: Cum autem nullus valeret ulcus ad cicatricem perducere, audita fama ægrotans fratris mei Chirurgi Maſſilienſis, in curandis variis morbis ab aliis depoſitis, illum accerſendum curavit. Ille inſpecto ulcere, & omnibus quæ acta erant rite perpenſis, affectum mihi communicavit, petens an mercurium dulcem, qui tunc mihi valde erat in uſu in gonorrhœa curanda, probarem ægrotanti per plures vices exhibendum, deinde aqua mercuriali, quæ fit ex ſublimato cum aqua calcis calcinato, ulcus bis aut ter intingeret; ad quæ annuens, ter purgato ægrotante mercurio dulci, inſcia tamen, eo quod à mercurialibus eſſet maxime averſa; aqua mercuriali perfecte ſanatum eſt ulcus.

Observatio VIII.

De alia ſanatione ulceris, jam naſi pinnam corrodentis.

Exemplo hujus obſervationis, rediens Aduram, vocatus à quadam muliere, cui jam ab ulcere depaſta fuerat uvula, dextra naris pinna exedi incipiente, ſimili modo ulcus in dies accreſcens ſanavimus. A marito lues venerea commicata fuerat, qua male ſanata, quaſdam in capite remanſiſſe reliquias credendum eſt: Cerebrum enim cum ſit craſſum, ſemel lue illa occupatum difficilius aliis partibus, ab ea ſe extricare poteſt, & ſi quid reliquum in corpore, à curatione remanſerit, in capite potius quam alibi exiſtere experientia comprobavimus. Ex duabus his obſervationibus diſcant mariti fidem conjugalem uxoribus datam ſervare, ſaltem earum habita ratione, ſi nulla religione contineri poſſint.

OBSERVATIO IX.

De notho empyemate, ſeu pectoris hydrope cujuſdam primiparæ.

Vocatus in conſilium, pro uxore primipara Conſiliarii cujuſdam hujus urbis, quam die ante partum jam febricitantem, male procedentibus lochiis, febris ipſo die partus, cum rigore major invaſerat. Die quarta febre perſeverante, & fluxu ventris ſuperveniente, vocatus Medicus, pulſu explorato, ſciſcitatus eſt, an primipara bene purgaretur, cui reſponſum eſt, etiam ei imponendo, ne fieret venæ ſectio malleoli, quæ à quibuſdam annis, puerperæ cuidam funeſta extiterat, ipſa movente eadem die, alia ut opinor de cauſa exiſtente in utero; ægrotaverat enim geſtationis tempore, & fœtum mortuum pepererat. Medicus ſola habita ratione fluxus ventris, præſcripſit tantum enemata, & amygdalata, ad ſomnum de nocte conciliandum; quamvis liceat puerperas fluxu ventris laborantes, purgare quarta die à partu, cum infuſione rhabarbari, & pulvere ejuſdem diſſoluto. Cum autem febris perſeveraret ſatis valida, cum exacerbatione ſerotinis horis, ſocrus ægrotantis aperuit Medico, lochia à partu non bene proceſſiſſe, qui videns naturam, quinta die per hæmorrhagiam tentaſſe evacuationem, ſed parvam, exortaque eſſe in brachiis juxta manum eryſipelata œdematoſa, cum doloribus in latere ſiniſtro, verſus iſchium, & coxam; ſtatim venam malleoli ſecandam eſſe aſſeruit, cui rei facto renixu à parentibus, rogavit Medicus calumniæ vitandæ gratia, ut hac de re conſilium iniretur, meque die nona à partu accerſendum curavit: Ego veniens, certiorque factus de his quæ præceſſerant, febre exiſtente valida, huic remedio ſtatim manus dedi, exprobrans parentibus, quod lochiorum retentionem tacuiſſet, ne fieret venæ ſectio malleoli, jam à principio omnino neceſſaria, cujus defectu humorum facta anadrome, fluxio ſanguinis è naribus tentata erat à natura, eryſipelata brachiorum, & dolores in latere ſiniſtro contigerant; ad quos, omnium conſenſu, multum fecerat lactis affluxus, emplaſtri applicatione impeditus. Facta malleoli dextri venæ ſectione, eadem ipſa hora, juſſi urinas, quæ nondum inſpectæ fuerant, ſervari die ſequenti, & præcipue undecima, quæ 14. index eſt; ut ex eis, aliquid de futuro morbi eventu judicari poſſet: Decimo quidem boni coloris erant, ſed ſine ſe-

ſedimento; undecima vero turbatæ apparuerunt, laudabile pedetentim deponentes ſedimentum, quod nos ad ſpem futuræ criſis 14. animum erigebat; febris tamen eadem, & eryſipelata, & dolores. Duodecima ſimilis in omnibus undecimæ, niſi quod aliis ſymptomatibus acceſſit deglutiendi difficultas, ex humoris deſcenſu, vel affluxu, rubedinem quamdam parientis; Sed die decima & tertia urinæ mutatæ ſunt, non amplius turbatæ, nec ſedimentum deponentes, boni tamen coloris. Gargariſmus præſcriptus eſt ad temperandam gutturis inflammationem: Quia autem brachia tumebant adhuc ab eryſipelate, venæ ſectio alterius malleoli facta eſt, crebroque enemata injiciebantur. Die decima quarta nihil novi accidit, febri, & omnibus ut antea permanentibus: Ægrota autem bene ſe habebat ad ea quæ offerebantur, nec videbatur peſſime ægrotare; ita ut abſceſſus timeretur à Medico ordinario. Quia autem decima ſeptima urinæ iterum turbatæ erant, laudabilem ut antea deponentes hypoſtaſim, & multam, ſuſpicio de abſceſſu adempta eſt, juxta doctrinam Hippocratis. Quibus ſpes eſt abſceſſus, &c. Cum eryſipelata receſſiſſent, manente tamen tumore, præcipue in brachio ſiniſtro, qui venæ ſectionem ex eo faciendam impediebat, alterius vena ſecta eſt, è qua ſanguis non valde putridus effluxit, colore ſcilicet inter album, & rubrum. Ægrotæ ab urinarum 17. reſtitutione, ſalus die vigeſima ſperabatur; manente præcipue urina eadem decima octava, & decima nona: Vigeſima vero nihil molita eſt natura, omnibus in eodem ſtatu permanentibus; unde recordatus ſum ſententiæ Hippocratis. Judicatoria non judicantia, partim lethalia ſunt, partim difficilis judicationis. Quod ſcilicet non procedant ex loco, in quo eſt præcipua morbi cauſa. Exiſtimabam morbum fore longum, eo quod nullum adeſſet peſſimum ſignum; tumor enim brachii ſiniſtri receſſerat, quod bonum omen putabatur, ſed falſo, ut videbitur. Die 21. omnia eadem: Die autem vigeſima ſecunda, non item; conqueſta eſt enim ægrotans, de dolore lateris ſiniſtri punctorio, uſque ad diaphragma pertinente, quaſi ſurſum delatis humoribus, qui dolorem iſchii, & coxæ efficiebant, ſeu potius novo in latus deſcendente, & ibi hærente, relictis inferioribus ſedibus.

Aphor. 54. ſect. 4.

Lib. 2. de morb. popular.

Ppp Febri

Febri ut antea perſeverante, & ex novi iſtius ſymptomatis acceſſione, placuit cognatis tertium urbis Medicum vocare, ut inter nos haberetur conſultatio: In qua ſtatutum quidem eſt, lochiorum retentionem, omnium quæ ſupervenerant cauſam extitiſſe primariam; deinde lactis affluentis repercuſſionem, humorum circa pectus oberrantium, congeriei dediſſe occaſionem: Qualis autem eſſet novi iſtius affectus epigeneſis, non congruebant ſententiæ: Nam Medicus ordinarius, affirmabat tunc, eſſe pleuritidem, quia parum ſanguinis in ſputis apparebat: Idem aſſerebat alter Medicus. Ego vero non exquiſitam pleuritidem; ſed fluxionem à capite in pulmones, & circa muſculos pectoris externos; qui quidem morbus, ut oſtendimus lib. 2. cap. 2. dicitur à vulgo pleuritis occulta, in qua nulla eſt inflammatio ſyſtrophica occulta; licet autem quidpiam ſanguinis in ſputis animadverteretur; hoc non eſſe ſignum pleuritidis, ex pathognomonicis, cum illa eſſe poſſit ſine talibus ſputis, magiſque hoc ſignum proprium ſit morbis pulmonum, ut patet ex Hippocrate, lib. 2. progn. cap. 9. ſente. 2. & lib. 2. coac. cap. 16. coac. 16. Quibus in locis ait bonum eſſe, cum in principio morborum pulmonis, ſputum flavum apparet, non multo permixtum ſanguine: Quod etiam de pleuritide ſemper intelligendum putavi; ſicut & de morbis pulmonum, quod ab eo dicitur de pleuritide, cum in ea dolores mites ſunt in principio, deinde quinta, aut ſexta exacerbantur. Adde quod pulſus non erat durus, nec reſpiratio frequens, & exigua, ut in tali inflammatione ſolet fieri, multaque jam eſſent ſputa in ipſo morbi principio, quod non fit in ſolitaria, & exquiſita pleuritide. Accedit etiam quod ægrota, talibus per ſanitatem eſſet doloribus punctoriis obnoxia. Inter has tamen diſceptationes, ad venæ ſectionem eſſe veniendum, omnes uno conſenſu ſtetitimus; non autem ex qua vena eſſet extrahendus ſanguis. Junior vocatus nuper Medicus, ex malleolo lateris dolentis contendebat ſanguinem eſſe extrahendum, eo quod lochiorum retentio omnium cauſa crederetur potiſſima, dolorque ſe ad inferiora proferret. Medicus ordinarius dubius eſſe videbatur, avocatus ab hac ſententia, quod lactis affluxu impedito, humores circa pectus oberrantes, illuc propulſi fuerant, dolorem pun-

ctorium inferentes. Ego tertius, & cauſæ velut diremptor, aſſerebam præteritorum jam à longo tempore, nullam habendam eſſe rationem, ſed tantum effectuum præſentium, qui his de cauſis ſupervenerant, & ſtabiles erant; ideo venam cubiti lateris dolentis eſſe ſecandam, multoque magis ſtante ſententia Sennerti, volentis contra Galenum, ſanguinem qui cum ſputis in pleuritide rejicitur non tranſſudare à pleura; ſed magis conſentaneum eſſe, effundi è vaſis, quæ nutrimentum afferunt aſperæ arteriæ, & partibus illis, quæ ſuperiores pulmonis partes lateri annectunt; ipſis hiantibus, ob copiam ſanguinis in pleuram ruentis, ut jam cap. de pleuri. diximus. Sanguis itaque nullo refragante, è vena cubiti extractus eſt ad ℥vj. qui ſicut & alias, non valde putridus extitit. Interea procedente ſputo, bechica præſcripta ſunt, & fotus parti dolenti, cum inunctionibus. Exacta die quarta hujus novæ affectionis propinata ſunt die quinta ſudorifica, & ſequentibus diebus, quibus parum moti ſunt ſudores, niſi prima die, in qua madefacta eſt ſubucula. Cucurbitulas cum ſcarrificatione ſcapulis imponendas conſulebam, deinde veſicatorium paulo infra 7. colli vertebram, ut humor quem à capite in pulmones defluere credebam, & qui circa pectoris ſuperficiem oberrabat, revulſus educeretur: Sed cum hoc non eſſet aliorum Medicorum ſententia, non ſum auditus, quod non ægre tulit ægrotans, propter remediorum moleſtiam; ſputa ſatis multa, poſt quartum diem, ad perfectam coctionem tendentia, major tamen quam antea ſpirandi difficultas, quæ ejecto aliquo ſputo levabatur: Poſt ſeptimum vero, ita interdum augebatur, ut in orthopnœam deduceret, quæ ſæpiſſime quieſcebat poſt vomitum ſponte factum, ex liquidis, & quibuſdam glutinoſis. Pulſus ſemper bonus, niſi cum urgeret orthopnæa, quæ nos ad venæ ſectionem cogebat venire; licet Medicus ordinarius ſpeciem quamdam ſuffocationis matricis putaret: Ideo peregre proficiſcens, præſcripſit ſua ſponte, emplaſtrum de ſulphure ad lateris dolorem punctorium, & emplaſtrum pro matrice cum gr. j. moſchi in parte inferiori, imo ventri imponendum, ut vapores ab utero aſcendentes prohiberentur. Quod non erat mea ſententia, ſed potius novam fluxionem in pulmones impingentem, jam infarctos, iſtius

Lib. 2. pract. par. 2. cap. 1. quæſt. 3.

orthopnœæ repetentis cauſam exiſtere: Quæ quidem orthopnœa, ſæpius animadverſa eſt accidere, cum ægrotans ſurgens è lecto, vel dejiciendi cauſa, vel lecti componendi, ſe poſtea in eum reciperet: Quod nobis multum faceſſivit negotium timoris plenum, tam de præſenti ſuffocatione, quam de futuro morbi eventu. Totum refugium in periculo ſuffocationis, poſitum erat in venæ ſectione, quæ ſæpius eſt adminiſtrata: Cum autem fieret ſemper quotidie, aliquis hujus orthopnœæ recurſus, reſque ægrotantis videretur plena aleæ, miſſus eſt nuntius ad Medicum ordinarium, cui ægrota multum confidebat, eratque illi quadam affinitate conjunctus, qui veniens aſſeruit, propter ingentem illam, ut opinor, ſpirandi difficultatem per intervalla repetentem, factum eſſe abſceſſum in parte carnoſa diaphragmatis, & in vicinio: Quaſi pleuritis, ſi magna ſit inflammatio, & quam antea crediderat, magnam inducere non poſſet ſpirandi difficultatem, ſicut & diaphragmatis inflammatio, licet præcipuum credatur reſpirationis inſtrumentum: Verum utriuſque affectionis ſymptomata, permanentia magis deprehenduntur, nec tam frequenter habent repetitionis viciſſitudines, ſicut iſtius ægrotantis orthophœa. Adde quod ſigna inflammati diaphragmatis, quæ ab Authoribus deſcribuntur, non præceſſerant, quæ Medicus ille parum tenebat; licet gloriaretur; ſe digito abſceſſus locum deſignaturum: Atque ita aſtantes, & ægrotantem, ſua imbutos opinione reliquit, reverſus unde venerat, ne quidem collegis convocatis, imperans ne quidpiam faciendum permitterent, uſque ad decimum quartum; quo tempore abſceſſum ruptum iri affirmabat. Mihi poſtea venienti, hora ſolita domum ægrotantis, ſtatim renuntiata eſt diagnoſis de abſceſſu, quam irriſi, miratus quod Medicus ille tam lynceos haberet oculos. Junior autem Medicus, abſceſſum quidem factum eſſe concedebat, non tamen in diaphragmate, & recte, quia hujus inflammationis ſigna non præceſſerant, ſed morbum veram fuiſſe pleuritidem, quæ in abſceſſum abierat: Quod etiam negabam, non viſis à me ſignis veræ pleuritidis; pulſus enim durus non fuerat, nec ſpirandi difficultas in principio ſolito major, quæ in pleuritide coctu difficili, & in abſceſſum præcipue convertenda fieri ſolent;

quod

quod de pulſu vibrato, ſeu duro, Galenus docet lib. 4. de cauſ. pulſu. Dolor in latere non fuerat ſtabilis, magiſque die octavo in altero latere urgebat, quod vagos humores, potius quam inflammationem facientes demonſtrabat. Præterea febris mutationes non habuerat, quæ major dum pus conficitur; minor autem pure confecto. Cum autem fluxus ventris, qui fuerat ab initio paulo poſt partum, reverſus eſſet in hac affectus epigeneſi; ſpretis quæ Medicus ordinarius prohibuerat, vocato altero Medico, ad decernendam purgatiunculam, eo quod vermis ejectus eſſet, eſſentque excrementa valde flava, & fœtida, præſcripſimus infuſionem ſcrup. iiij. rhabarbari cum ℥ß. ſyrupi mei magiſtralis, nolens alter Medicus pulverem rhabarbari, ne aſtrictione retinerentur ſputa, quod nullius apud me erat momenti: Hac tamen potione venter pro ratione non dejecit; vermis autem poſtridie circa veſperam dejectus eſt. Cum autem me præſente, orta eſſet inſignis illa ſpirandi difficultas, quæ ægram in lecto ſedere cogebat, ancillæ à tergo innixam; ego qui ſemper negaveram aliquid ab utero aſcendere, in hac morbi nova epigeneſi, videns odorem theriacæ levamen afferre ægrotanti, ingraveſcente ſpirandi difficultate; inclinans dubius in aliorum ſententiam præſcripſi loco venæ ſectionis alias adminiſtratæ, quædam hyſtericæ ſuffocationis compeſcendæ idonea, mihi rerum uſu probata, quibus nihil profecimus, alia ſcilicet ejus exiſtente cauſa, ut infra videbimus. Interea, cum orthopnœa illa, ſæpius quam antea urgeret, difficiliorque eſſet ſolita reſpiratio, cauſa, ut credebam, invaleſcente in pulmonibus novæ fluxionis appulſu; Reſcriptum eſt ad Medicum ordinarium, ut ægrotantis voluntati obſequeretur: Qui veniens, me ab urbe abſente, affirmavit abſceſſum eſſe ruptum; eo quod tunc ſputa probe cocta, puri ſimilia viderentur, præſcriptiſque ſyrupis ad ea promovenda, & potionis cardiacæ uſum, altero Medico ad id decernendum non vocato, diſceſſit iterum unde venerat, ægrotam, & parentes ad ſpem erigens futuræ ſanitatis. Mihi circa veſperam redeunti, jam in via renuntiatur, ruptum eſſe abſceſſum, ægrotantem pus excreare, quo audito, ſtupui, mihi creditu difficile, propter ſigna ſuperius allata, abſceſſum genitum fuiſſe, omnia tamen autopſiæ remittens,

Hipp. aph. 57. ſect. 2.

ſtatim atque equo deſilii, veni ægrotantem inviſurus, cujus ingredienti cubiculum, illico renuntiatur mihi ab aſtantibus, abſceſſum eſſe ruptum, offerturque orbis ſtanneus, multis conſpurcatus ſputis; quæ quidem, prima fronte, pus videbantur. Cum autem ſcirem ægrotantem multum antea ſpuiſſe, quamvis non ita puriformia; petivi ſtylum ligneum, ut facerem periculum de pituita valde putri, quæ eſt glutinoſa, à vero pure quod nullo modo glutinoſum eſt, nec ſtylo adhæret per medium ducto: Videns autem ſputorum glutinoſitatem, quæ ſtylo ſuſpenſa hærebant, negavi ſputa verum pus eſſe, ſed tantum materiam puriformem ex pituita glutinoſa valde putri, qualis ſæpe animadvertitur, in rheuma probe coctum ſpuentibus à pulmonibus eductum: Ideo aſſerui nec ullum fuiſſe abſceſſum, multoque minus ruptum; quod juniori Medico & Chirurgo perſuadere non poteram. Interea cum omnia expenderem, incidit ægrotans in gravem illam orthopnœam; ita ut ſuffocatam iri crederem, maritoque conſulerem accerſendum ſacerdotem; parum tamen remittente orthopnœa diſceſſi, ſemper animo volutans, quænam eſſet illius cauſa, quouſque de nocte hora 8. vocatus, inviſerem iterum ægrotantem, difficulter quidem ſpirantem, ſed non ſedentem ut in orthopnœa, cum valido, & celeri pulſu; quod aſtantibus referens mirabar, parumque in cubiculo moratus, cum Pharmacopœo diſcedens, ſtatim à limine oſtii revocati ſumus, rogati ut iterum ingrederemur, alvi dejectiones inſpecturi, perſeverabat enim adhuc, ſed parum alvi fluxus: Subducto vaſe foricario, dictum eſt nihil dejeciſſe, petenteque ægrota ut converteretur, ſtatim clamatum eſt à miniſtra illam vita fungi; quibuſdam vinum petentibus; aliis ſacerdotem: Ego aperiens lecti ſiparium, agnovi ex facie, & oculis actum eſſe de ægrotante, iiſque non opus eſſe dicens abii, brevique mortua eſt ægrotans, me animo ſuſpenſum relinquens, quid de abſceſſu putato eſſet ſtatuendum, & quænam tam ſubitæ mortis, cum tali pulſu cauſa fuiſſet, His itaque ignotis manentibus, ut in his quæ docentur in arte eſſem ſtabilitus; quibus novum affectum, nec pleuritidem extitiſſe; multoque minus diaphragmatis inflammationem; nec abſceſſum factum eſſe perſuaſus fueram, ut ſupra demonſtravimus;

Ab-

Abſente Medico ordinario, ego, & alter Medicus, cum Chirurgo, laboravimus, ut defunctæ ægrotantis aperto cadavere res innoteſceret, malens autopſia potius argui & rubore ſuffundi, quam in præceptis Medicinæ multum ad artis opera conducentibus, incertum manere. Diſſecto igitur cadavere, inventa eſt in ſiniſtra pectoris cavitate, in qua abſceſſus putabatur, magna aquæ quantitas, parte pleuræ corrupta cui pulmo hærebat, & in fruſtula abeunte, facileque eadem de cauſa, pericardium corruptum, & perforatum eſt, ſalva parte diaphragmatis, in qua abſceſſus putabatur, ſicut & pleuræ. Tunc ſatis habui hæc vidiſſe, confirmatus in arte, quare ægrotans non poſſet cubare in latus affectum; Quare dum pus putatum confici imaginabatur, major non fuiſſet febris, nec minor confecto pure, ut docet Hippocrates: Quare etiam rupto abſceſſu fictitio, ſymptomata non remiſiſſent, ſed febris eadem, & dolor lateris, majorque ſperandi difficultas. Miror tamen quomodo ægrotans cum in latus ſanum cubaret, onus ſibi non perciperet ineſſe, hoc docente Hippocrate; nec ſonitum ſubeuntis aquæ audiret, cum ſurgebat è lecto, aut in eum ſe recipiens. De cauſa autem ſubitæ mortis ut aliquid dicam; exiſtimo diſrupto corruptione, ut pleura, pericardio, aquas intraſſe, & diaſtole impedita, ſpiritus ſuffocatos eſſe, à pulmonibus enim cum tali pulſu, & aliis longiorem vitam promittentibus, mors tam ſubita non extitiſſet.

Aphor. 47. ſectio 2.

Prognoſ. 2. cap. 10. ſententia ultima.

Observatio X.

Juvenis quidam in hac urbe, dolore capitis laborans cum febre, factis tandem auribus purulentis, maxime levatus eſt; neſcio tamen, quibus de cauſis reſtitiſſet puris effluxus, ejus autem retentione exaſperata ſunt omnia, cum capitis, & faciei tumore ingenti; ita ut in maximum vitæ diſcrimen ægrotans adduceretur: Multis incaſſum adhibitis remediis, vocatus eſt urbis Chirurgus Empyricus, qui literas nequidem agnoſcebat; deſperatis tamen morbis curandis, à pluribus adhibebatur: Ille cepæ coctæ expreſſum ſuccum, miſcuit cum baſilicone, & eo calide in auribus indito, apertæ ſunt aures, pureque exeunte, mortis periculo defunctus eſt juvenis, & perfecte ſanatus.

Capitis affectus cum febre, auribus factis purulentis levatus; poſtea vero ſubſiſtente pure, magnum vitæ deſcrimen allatum eſſe, quomodo autem iterum apertæ ſunt.

Ob-

OBSERVATIO XI.

De morbi à vermibus curatione ſtupenda.

Puerulus Chirurgi hujus urbis, ætate 7. annorum, aut circiter, incidit in febem continuam acutam: Inviſens eum ſecunda morbi die, inveni jam à patre venam ſectam fuiſſe, quam tertia die, propter febris magnitudinem, iterum aperiendam juſſi. Cum autem in infantibus, mihi ſemper ſuſpicio eſſet de vermibus; etiam ſi in iſto, nulla ſigna de his animadverterem, nullum enim erat delirium, nullus affectus comatoſus, nullus in ventre dolor, nulla diarrhœæ ſpecies, nulla nauſea, nec vomitus, nulla in ſomno ſubita expergefactio, neque ulla pulſus inæqualitas, beneque ſe haberet ad ea quæ offerebantur: Tamen non fidebam quin vermes ſubeſſent; in re itaque dubia, ſecuriorem partem ſequutus, tale purgans placuit exhibere medicamentum.

℞. Aquæ port. q. ſ. pro una doſi, infun. in ea folior. ſenn. mund. ʒij. ſem. cont. & rhab. ana ʒj. forti expre. diſſol. rhab. pulver. ſcrup. j. ſyrupi de flori perſic. ℥ß. fiat potio.

Hauſto medicamento, neſcio cujus culpa, vomitu paulo poſt rejectum eſt, ſemel tantum, parumque dejiciens; qua de cauſa, enema ex lacte circa veſperam injiciendum curavi, ut ſi vermes aliquot, in inferioribus inteſtinis deturbati eſſent à medicamento, enemate educerentur, nulli tamen dejecti ſunt; licet die ante purgationem, ſemen contra à patre propinatum eſſet: Quapropter die ſexta, iterum facta eſt venæ ſectio, ut ſi criſis die ſeptima futura eſſet, omnia parata invenirentur; nullaque eo die facta excretione, decrevi octavo eamdem propinare purgationem, ut ſemper ratio haberetur contra vermes, cum nihil natura moliretur, urina exiſtente boni coloris, cum quodam ſedimento: Hauſto medicamento, alvus ter tantum dejecit, ſine vermibus: Die vero nona, unum tandem vomitu rejecit, unde ex lacte, cum vitellis ovorum, injiciendum curavi enema, ut qui deorſum propulſi erant, foras educerentur, qui fuere numero duo, quibus inſpectis, maxima mihi ſpes recuperandæ valetudinis affulſit: Timebam tamen de eventu, eo quod febris eſſet valida, nec ullam moliretur natura coctionem, nec excretionem, ne quidem ſymptomaticam: Quare cum mihi eſſet ſuſpicio, totum morbum

bum eſſe à vermium ſcaturigine in cæco infarcta, præſcripſi in decimum diem mercurium dulcem, cum vehiculo, in hunc modum.

℞. Merc. dulc. gr. vij. diagrid. vapo. ſulphu. caſtigati, gr. iij. capiat mane cum ſyrupo de flore perſicorum.

Sumpſit quidem puer optime pharmacum ex cochleari; venter autem nihil dejecit: Ideo circa veſperam, enema ex lacte, & vitellis ovorum, ut ſupra, injiciendum curavi, cum quo quatuor vermes dejecit, unum autem vomitu. Ab eo tempore, pulſus ex pleno factus eſt gracilis; æqualis tamen ſemper. Die undecima nihil novi actum eſt, niſi vermium dejectio, quæ in diem uſque decimum nonum perſeveravit, & ultra, propinato per intervalla mercurio dulci, ad gr. vj. cum ſcrup. j. confectionis de hyacinto, enemate ut ſupra, poſt 12. horas injecto, quo ſemper vermes dejiciebantur; modo tres, modo quatuor; interdum ſex. A decimo nono cibi faſtidium, quod antea non erat, in dies augebatur, quod magnum parentibus faceſſebat negotium, neſcientibus quibus nutriretur; quare juſſi lac præbendum cum mentha decoctum, quæ lactis coagulationem impedit, & vermibus adverſatur, de quo parum ſorbebat. A die 20. qualibet nocte multum delirabat in febris exacerbatione, nihil dormiens; de die tamen febre remittente dormiebat. Credens ex hoc delirio adhuc ſubeſſe vermes; licet plus ſexaginta ejeciſſet, conſului propter faſtidium, ut puer uteretur aqua pro potu, in qua argentum vivum decoctum eſſet, ℥ij. ſcilicet, in menſura aquæ Pariſienſi. Poſtera die ab hoc potu quindecim vermes dejecit. Die 21. elapſa hoc videns, decrevi iterum purgante medicamento ventrem ſubducere, paulo autem fortiori quam antea præſcripto, ut tota vermium ſcaturgo deturbaretur, quod in hunc modum compoſui.

℞. Aquæ portul. q. ſ. infu. folior. ſenn. mund. ʒiij. ſem. cont. & rhabar. ana ʒj. in forti expreſſ. diſſolv. pulv. elect. diacartha. ſcrup. j. rhab. pulv. ſcrup. ß. ſyrupi magiſt. noſtri, ʒij. fiat potio.

Hoc medicamento, quod pro natura pueri videbatur paulo fortius, ter tantum alvus dejecit cum quibuſdam vermibus. Inte-

terea cibi faſtidium, & multo magis remediorum, quæ per os ſumere oportebat, ingens erat; quod in uſu lactis ut antea, perſeverare cogebat, ſicut & aliquando in potu, decoctionis argenti vivi. Alvus quæ ante 17. ſemper aſtricta fuerat, liquida interdum fiebat: Quod autem mihi magis metum incutiebat, tumor erat ventris, de quo nihil mihi antea dictum fuerat, neſcienti an puero fuiſſet ordinarius; & macies corporis ſtupenda, quæ in febribus intermittentibus, quæ vacant periculo, brevi ſanitatem futuram ſignificat; in morbis autem, quibus anceps eſt exitus, vel ſalutem, vel mortem; magis vero mortem, quia ſæpius facultatis imbecillitatem ſignificat: Puerulus itaque magis, ac magis, evadens macilentus, cum delirio nocturno, clamoribus pleno, ciborum maximo faſtidio, febri cum pulſus maxima gracilitate, non tamen debilis, ſemper vermes aliquot dejecit, donec ad vigeſimum nonum pervenienti, propter cujuſdam diarrhϾ ſpeciem, per intervalla repetentem, rhabarb. ℥j. infuſionem, in aqua portulacæ factam exhiberem, cum ℥ß. pulveris ejuſdem in diſſolutione, à qua meliuſcule habentem, inveni die 35. panem cum butyro manducantem; licet febris aliqua remaneret, qua pedetentim, & aliis ſymptomatibus ceſſantibus, præter omnium ſpem ſanatus eſt. Credendum eſt in hoc puero, cœcum inteſtinum vermibus, & putredine, omnino fuiſſe infarctum, à quo tandem pedententim quidam eruebantur vi antidotorum; alibi enim tantus vermium numerus eſſe non potuiſſet, quin primis purgationibus eſſent deturbati; horrendus enim fuit eorum numerus, quem centum & ſexaginta exceſſiſſe, aſſeruit mihi pater ægrotantis pueruli.

OBSERVATIO XII.

De lue venerea cum fiſtula in pectore, felici caſu ſanata.

Adoleſcens quidam lue venera laborans, congreſſus ſingulari certamine, accepit vulnus in pectore, ex quo male curato, remanſit fiſtula, cum oſſis carie pus effundens, ex quibus ſumma erat corporis macies; ortaque lis erat gravis in Curia Aquiſextanenſi, à quo affectu mors ſubſequeretur. Adverſarius acriter cauſam ſuam defendebat, aſſerens, ægrotum à lue venerea, potius quam à vulnere moriturum, Ægrotus vero è con-

contra. Cum autem viderent parentes oppidi. Chirurgorum inſcitiam, fiſtulamque non poſſe ſanari, ut omnium erat ſententia, niſi prius lues venerea curaretur, conſuluerunt ægrotanti venire Maſſiliam, domumque matronæ illius ſe recipere, de qua alibi facta eſt mentio, cujus fama in lue venerea curanda, jam à longo tempore percrebuerat: Illa arduum quidpiam advertens, fratrem meum Chirurgum peritiſſimum accerſivit, qui Medicum adhibere voluit in conſilium: Multum inter eos diſputatum eſt de via, & methodo curandi juvenem. Matrona nonniſi inunctione hydrargiri, & ſudorificis vulgaribus utebatur: Medicus vero hanc ægrotum poſſe ſuſtinere curam negabat, cum tali corporis extenuatione, ſed ad curam palliativam, ut vocant primum eſſe veniendum, vireſque interea eſſe reficiendas. Probabat quidem frater Medici ſententiam; ſed hac methodo, optatum finem adipiſci non poſſe affirmabat. Quare recedente Medico, decrevit cum Matrona, hydrargyri unctionem experiri, quæ felici caſu, tantum movit ſudorem ut ægrotus quinque aut ſex ſubuculas madefaceret, perfecteque à lue venerea hoc modo ſanaretur. Deinde aperta fiſtula, & oſſis carie abſcedente, integræ ſanitati eſt reſtitutus. Eum macie confectum videram ante ſanationem; poſtea vero carnoſum, & obeſum aſpexi.

Observatio XIII.

Dolor ventris à fluxione, propter aborſum, ab ab utero putatus, & ejus ſanatio.

Mulier quædam nobilis hujus urbis, cum in prima geſtatione uteri aborſum paſſa eſſet, correpta eſt poſt 15. dies ventris dolore, colico ſimili. Mulierculæ, ut illis mos eſt, præcipue propter aborſum, dolorem eſſe ab utero affirmaverunt, ſicut & ægrotans ipſa, quod fieri poſſe non negabam. Cum autem mulier eſſet bene purgata pro ratione aborſus, nec febris adeſſet, fieretque doloris recurſus; aſſerui me dubitare, an à fluxione quadam dolor potius exiſteret, quam ab utero. Præſente dolore enemata carminantia, & fotum ventris præſcripſi; venæ ſectio è brachio lateris magis dolentis, etiam adminiſtrata eſt, quibus dolor omnino levatus eſt: Denuo autem vocatus revertente dolore, pertinaciter negavi dolorem eſſe ab utero, ſed à fluxione potius humoris acris. Cum autem nox

 jam

jam adeſſet, præſcripſi doſim ex laudano meo, quod ſoleo exhibere in doloribus colicis, qua ſumpta quievit hac nocte; iterum reverſi ſunt dolores, qui ad ſupradicta enemata, & fotus confugere nos coëgerunt, quibus dolor ſedatus eſt: Unde ut ejus cauſa mihi melius innoteſceret quæſivi ab ægrotante, num per ſanitatem eſſet alicui fluxioni obnoxia? Reſpondit, illi ſæpiſſime emungendas eſſe nares, & excreandum, nunc vero omnia eſſe ſicca; ex quo agnovi quæ tunc foris lucebant, intus ſordere, iſtiuſque doloris recurſum fuiſſe à capitis fluxione: Ideo juſſi tribus diebus continuis, applicandas ſerotinis horis cucurbitulas, ſine ſcarrificatione; ne autem etiam humor, qui circa veſperam dolorem renovabat, moraretur in inteſtinis, quia antea ſyrupo magiſtrali non multum fuerat purgata, juſſi ut hora ante prandium ʒß. pilularum aggregativar. devoraret, hac enim purgantis forma gaudebat, quibus ſufficienter alvo exonerata, non amplius reverſus eſt dolor.

OBSERVATIO XIV.

Dolor ventris pertinax & acutus, qui colica pictonica videbatur.

Nobilis quidam juvenis, incidit in dolorem acerbiſſimum imi ventris, dextro præcipue latere, curato per viginti dies, fotibus, enematibus, purgationibus, à Medico urbis Aquenſis, in qua tunc degebat, dolor non ceſſit, neque brachii venæ ſectioni. Ipſe tanquam depoſitus, venit domum ſuam, hujus urbis valde proximam ſuoque accerſito Pharmacopœo, multa injecta ſunt enemata carminantia, & ex lacte, quibus nihil proficiens Pharmacopœus, conſuluit ut ſe in urbem geſtandum curaret, conſultationis ineundæ gratia, & melius omnia ſuo commodo faciendi: In quam cum veniſſet, rogatus ſum circa veſpertinas horas illum inviſere, pulſumque exploranti, ſatis mihi validus apparebat, ſine frequentia, ab aliqua tamen febre non videbatur immunis: Verum his omnibus lecto non detinebatur, niſi aliquando cum dolor præter modum urgebat: De omnibus quæ acta erant interrogavi, præcipue an caſu, an violento motu equi corpus agitaſſet, an unquam è renibus lapillos ejeciſſet, quæ omnia cum negaſſet, eſſetque dolor acerrimus, ita ut ventrem novacula ſibi aperiendum rogaret: Juſſi bono animo ſtare, me ſine apertione ventris

tris dolorem mitigaturum, quouſque mane conſilio inter me, & alios Medicos habito, de potioribus remediis decerneretur: Præſcripſi itaque enema, quod in colica ab humore acri, & bilioſo, à Quercetano deſcribitur, deinde doſim laudani ita compoſiti. Habetur cap. de colic. dol.

℞. Opii. præpar. modo ſæpe jam dicto, gr. iß. caſto. ſcrup. j. confect. de hyacin. ſcrup. ß. fiat morſulus, capiat hora ſomni.

Noctem ab his ſatis quietam habuit; mane autem habita trium Medicorum conſultatione, ſtatutum eſt urgente dolore ſtandum in his quæ acta erant; in præſenti vero conſulebat Medicus junior, apertionem venæ malleoli lateris dolentis: Alter vero Medicus præmittendam eſſe purgationem volebat: Ego autem venæ ſectionem malleoli, purgationi longe præſtare aſſerui; propterea quod eſſent multæ purgationes propinatæ ſine fructu; venæ autem ſectio malleoli nondum adminiſtrata: Quam in ſententiam coactus abire, qui purgationi inſiſtebat, ſtatim facta eſt venæ ſectio; hiiſque tribus remediis, non amplius ut antea urgente dolore, brevi perfectæ ſanitati eſt reſtitutus. Hic affectus colica pictonica mihi videbatur, de qua cap. de colico dolore.

Observatio XV.

Virgo quædam hujus urbis 25. annorum, incidit in febrem continuam, cum dolore punctorio: Morbus pleuritis putatus à Pharmacopœo, qui accerſitus fuerat, ſtatim venæ ſectioni occaſionem præbuit, Perſeverante dolore, & febri, vocatus ſum ſecunda die, aſtantibuſque, & ægrotante interrogatis, pulſuque explorato, affirmavi morbum non eſſe veram pleuritidem; erat enim parvus, & celer, ſine duritie. Cum autem ægrotantis vires eſſent ita dejectæ, ac ſi per menſem ægrotaſſet, timebam de eventu, gravem, & occultam, ut more vulgi loquar, dubitans eſſe pleuritidem; iterum tamen, propter lateris dolorem, venæ ſectionem imperavi, ex eodem latere faciendam, deinde partem fovendam, imponendo deſuper à fotu, lanam ſuccidam, dialthea liquato imbutam, quod multo magis præſtat ſimplici unctione, ſerotinis autem horis, Pleuritis putatus morbus, à vermibus exiſtens.

juſſi cucurbitulas cum ſcarrificatione ſcapulis affigendas. Per noctem oborta ſudatiuncula arripui occaſionem, naturæ motum ſequens, provocandi ſudorem: Injecto itaque enemate die quinta tale ſudorificum, mihi familiare in iſta, in qua carduus benedictus, nullius eſt virtutis, propter ea quæ alibi ſcripſimus.

℞. Salſæpar. minutiſſime inci. ℥ij. infunde in aquæ ulmar, ℥vj. per ſex horas, unica ebullitione facta, diſſol. ſal. ejuſdem ulmar. gr. vj. confect. alcher. ſcrup. j. fiat potio.

Hoc ſudorifico ſubucula omnino madefacta eſt, pulſus tamen ut antea, dolor vero locum mutabat. Videns autem ægrotantem die quinta non ſpuere pro ratione morbi putati, & diei; ſuborta quadam lipothymia, præſcripſi cardiaca, dubitans ſubeſſe vermes, qui & inſomnii, & aliorum ſupradictorum ſymptomatum, periculo non vacantium, cauſa exiſterent: Ideoque parentes interrogavi, num vermibus eſſet ægrotans obnoxia, qui reſponderunt, nequaquam: Tamen quia omnia illa ſymptomata, non videbantur morbo reſpondere, dedi ad majorem præcautionem, mercurii dulcis gr. x. cum pauco ſyrupi de flore perſicorum, expectando poſt ſeptimum purgans medicamentum experiri; quo die facto pulſu magno, molli & frequenti, bonum expectabam judicium; ſudorem quidem attulit pulſus ille, ſed omnia remanſerunt prædicta ſymptomata, cum pulſu parvo, & frequenti, interdum lipothymia, cum inſomniis. Cum autem ex mercurio dulci venter nihil dejeciſſet, juſſi more meo, enema injiciendum ex lacte, ut ſi vermis aliquis eſſet ad inferiora deturbatus, foras, ut ſæpe fit, educeretur; quod ita contigit, uno verme cum enemate dejecto, ex quo ſatis habui, ut quieto, & tranquillo eſſem animo, in pugnantium ſignorum varietate; quibuſdam minantibus mortem, aliis vero ſalutem, ab eoque tempore, cepi parentum animos ad ſpem erigere: Ideo alios aſſerens ſubeſſe vermes, decrevi octavo die purgationem exhibere, quam peregre proficiſcens, ad ægrotum inviſendum, deſcriptam reliqui ægrotæ propinandam. Die autem octavo, cum prædicta ſymptomata ingraveſcerent; cum aliqua ſpirandi difficultate, Pharmacopœus Doctoris ſibi partes aſſumens, & me plus ſapere cogitans, loco pur-

purgationis, venam aperiendam curavit, quod poſt biduum veniens, moleſte ferebam, propter vermium putredinem, quæ mora, interdum malignitatem acquirit, & de medio tollit; dolor enim lateris omnino abſceſſerat, parum tuſſiebat, & raro ſpuebat. Die ſequenti non critico, decimo ſcilicet, nullius ſymptomatis contraindicantis habita ratione, propinandam juſſi purgationem, qua multi vermes dejecti ſunt, integri, & putridi, ab eoque tempore melius habens, ſanata eſt.

OBSERVATIO XVI.

Rheumatiſmus dolor nephriticus putatus.

Dominus de quo cap. de rheum. Enarrat. 2. facta eſt mentio, poſt quatuor, aut quinque annos, iterum incidit in eumdem affectum, minori tamen cum violentia, niſi quod dolor imi ventris, vergens ad latus dextrum valde urgeret; qui quidem in primo non fuerat, ita ut à Pharmacopœo nephriticus putaretur, ægroto ad hoc conſentiente. Vocatus, nolui ſtatim in eorum deſcendere ſententiam, recordatus rheumatiſmi generalis, quo à quibuſdam annis laboraverat ægrotus: Ideo ſciſcitatus ſum ab ægroto utrum dolorem aliquem in aliis partibus perciperet; reſpondit toto oſſe ſacro, & in genu, interdum & in coxa; quo audito, negavi dolorem imi ventris eſſe à calculo, ſed à fluxione humorum, in his partibus conſidentium, præcipue in muſculis abdominis. Quapropter venam ex eodem latere, juſſi ſtatim ſecandam in brachio, enemata enim injecta fuerant. Secunda die, ex altero brachio ſanguis extractus eſt, ventrique fotus admoti; deinde conſului ut ſudores moventibus uteretur, poſtquam ptiſana purgans, quæ ſequitur, propinata fuiſſet.

℞. Rad. cichor. ℥ß. rad. aco. ʒij. hermod. ʒj. folio. ſenn. mund. ℥j. turb. jalap. ana ʒij. folior. beto mß. infu. omnia in vini albi oligophori ℔j. mane colat. facta, detur media pars; altero vero circa horam tertiam, ſi prima, venter non brobe dejiciat. Prima doſis ter tantum ventrem movit: Altero pluſquam octodecies, & ſanatus eſt perfectiſſime.

OBSERVATIO XVII.

Aphonia, & principum cerebri Functionum læſio à verminbus.

Puer quidam 13. annorum, Præfecti in cauſis capitalibus hujus urbis filius, incidit bene valens, de repetente in aphoniam,

niam, læſis etiam principibus cerebri facultatibus. Vocatus ſciſcitantibus ſtatim parentibus, quid hoc rei eſſet; reſpondi ingens eſſe malum, cerebro per ſe affecto, & valde periculoſum; levius autem, ſi per conſenſum à putredine vermium: Sedebat enim in lecto, oculis apertis, quaſi faſcinatus. Operæ pretium duxi in curatione, cauſam facilioris amotionis auferre; quod ſi non bene mihi cederet, ad aliam veniendum. Propinandum itaque juſſi mercurii dulcis gr. xij. cum iij. diagridii vapore ſulphuris caſtigati, à quo facta dejectione quorumdam vermium, ſurrexit poſtera die.

OBSERVATIO XVIII.

Ileos à tumore circa ilion, tandem lethalis, licet venter interdum adjutus dejiceret.

Domina quædam annorum quadraginta, incidit in ileon vulgo, miſerere dictum, in quo nihil infra dejicitur; auxiliis tamen à Medico adhibitis, venter interdum dejiciebat. Cum autem à multis diebus alvus reſtitiſſet, Empyricus quidam vocatus, calida entera vervecis recenter extracta, ventri impoſuit, quorum calore ſpecifico adjutis inteſtinis, dejectio facta eſt; poſtea vero ad huc reſtitit alvus, ita ut à tribus Medicis habita conſultatione, vinum emeticum propinandum eſſe, conjunctis ſententiis ſtatueretur, quo venter ſubductus eſt; poſtea tamen ut antea reſtitit: tandemque macie confecta obiit. Diſſecto cadavere, tumor in latere dextro juxta ilion inventus referente Chirurgo.

OBSERVATIO XIX.

Tumor in una natium, recedente febre augeſcens, & deſinente febre recedens, ejuſque cura.

Filiolæ Conſulis hujus urbis, poſt quaſdam febres, ortus eſt in una natium, magnitudine aurantii, tumor: Vocato Medico ejus ordinario, multa præſcripta ſunt; quibus cum nihil ptoficeret, habita eſt conſultatio cum quatuor hujus urbis Chirurgis, præſide Medico ordinario, quorum variæ erant, ſententiæ; quidquid tamen præſcriptum eſt, nihil profuit, manſitque puella cum tumore per aliquot menſes, matre ægre ferente, & ſollicita ſanationis procurandæ filiolæ ſuæ primogeniæ, & formoſæ. Vocatum me cujuſdam mulieris conſilio, rogavit illa, ut cum Chirurgis in prima conſultatione adhibitis, placeret ſermonem habere, de modo curandi filiolam; quod mihi pergratum eſſe affirmavi. Interea de omnibus inqui-

quirens, quæ ad tumoris cauſæ notitiam conferre videbantur, habita eſt poſtridie mecum, & Chirurgis conſultatio; in qua, ut ſupra dixi, variæ erant eorum ſententiæ. Quidam, tumorem eſſe affirmabat. Alius eſſe de genere glandularum, eumque ferro amputandum. Tertius cancrum dicebat. Ultimus ſecundi ſententiæ adhærebat. Ego vero nec ſcyrrhum eſſe, multoque minus cancrum, nec ferro amputandum, ſed cauſam foventem advertendam, & ſupra tumorem, emolliens cum attenuante medicamentum deſuper eſſe imponendum: Dixerat enim mihi mater, filiolam per intervalla corripi febre, & tunc temporis augeri tumorem: Cum vero febris dimitteret; paulatim minui, nec ita magnum eſſe. Ex hac relatione, cogitans apud me, quomodo febris tumorem augeret, rationem non inveniebam, ſed oportere cauſam aliquam, & febrem, & tumoris augmentum facere, quod nonniſi à fluxione exiſtere, poterat venire in mentem: Ideo aſſerui fluxionem à capite, ſenſim in hanc partem delabi, febremque tunc temporis accendi, & tumorem à materia fluente augeri. Imperavi itaque pyroticum puellæ collo inurendum: deinde ut per intervalla fierent purgationes cum meo ſyrupo, infantibus maxime proprio, purgat enim in parva quantitate, & ex cochleari ſumptus: Supra autem tumorem, præſcripſi linimentum, quo alias uſus fueram in diſſolvenda glandula, in collo mihi enata, ovi magnitudine, ex nimio caſtanearum uſu.

℞. Salis ligni quercus in cineres converſi ʒij. butyri recentis ℥iij. fiat linimentum, quo mane, & ſero, tumor ungatur, ſuperponendo emplaſtrum de mucilaginibus: Qua curandi ratione, tumor omnino receſſit, nec febris, quæ repetere ſolebat, reverſa eſt.

OBSERVATIO XX.

Sacerdos quidam, & Curio, ægrotans febri continua, cum fluxu ventris, accerſivit Medicum ſibi ordinarium, qui remediis morbo neceſſariis adhibitis; præcipue rhabarbari potione, propter fluxum ventris, rebus tamen in pejus ruentibus, culpabatur, qua de cauſa placuit cognatis, duos in conſilium Medicos adhibere, quorum unus eram. Veniens in cubiculum

Diarrhœa, quæ videbatur maligna ex pravis ſymptomatibus, tamen ſanata.

lum ægrotantis, perpendens ante conſultationem, ut ſolet fieri, omnia quæ ad morbi cognitionem ſpectabant: Primo quidem quo ad pulſum, inveni parvum, & intermittentem, in tribus, & quatuor pulſationibus: Lingua erat nigra; ſingultus aderat, perſeverante adhuc fluxu ventris: Satis autem bene ſe habebat ad loquelam, ad corporis motus, & ad ea quæ offerebantur. Ego ex mea ſententia, aſſerui parentibus, iterum ad purgationem eſſe veniendum; licet prima immerito culpata eſſet. Inter conſultandum, ſenior Medicus, & ordinarius, venæ ſectionem proponebat, fotus ventris, & ſtomachi cum uſu opiatæ roborantis. Junior autem purgationem venæ ſectioni præſtare affirmabat, ex infuſione rhabarbari, & pulvere ejuſdem; nulla tamen data ratione. Ego ut jam parentibus mentem meam aperueram, aſſerui purgationem potius eſſe præmittendam; eo quod fluxus ventris, ſi cum febre incipiat, aut ſuperveniat ſine levamine, oſtendit, vel eſſe cauſæ febrem efficientis complicationem, cum cauſa diarrhœæ, vel fermentum putredinis, à quo pendet fluxus ventris, intus ſemper remanere; quod quidem ſi augeatur, febris invaleſcit, interdum cum pravis ſymptomatibus, præcipue ſi materia malignam qualitatem acquirat, ut forte factum in iſto ægrotante, in quo pulſus eſt parvus & intermittens, lingua nigra, & ſingultus, quæ juncta maximum minantur periculum: Quæ audiens ſenior Medicus, & ordinarius; libenter, inquit, aſſentior veſtræ ſententiæ, non auſus quidpiam de ſecunda purgatione proponere, quamvis neceſſaria, propter primæ calumniatores. Conjunctis itaque ſententiis ſtatutum eſt purgandum ægrotantem modo jam dicto; epithemata cordi applicanda, & ut opiata roborando cordi idonea frequenter uteretur: quibus præter omnium ſpem evaſit ex morbo.

OBSERVATIO XXI.

Lethalis deglutiendi difficultas, à chloroſi, & pica neglecta.

Mulier quædam, uxor cujuſdam ex præcipuis civibus hujus urbis tribus aut quatuor annis à defuncto marito, cepit eſſe in deliciis, cupiens iterum nubere: Cum autem ille, à quo à multo tempore ſe adamari putabat, præter ejus ſpem duxiſſet uxorem, ægre ferens animo, licet verbis, & vultu, contem-

temptum ſimularet, intra tamen aliquod tempus, cultu neglecto, & prava utens vivendi ratione, cepit virginum morbo laborare, cum dolore ſtomachi, & pica, gaudens cibis crematis, & carbonibus, licet eſſet 30. annorum, & amplius. Sub eo tempore, occurrente mihi per urbem eunti, facie pravi coloris; quæſivi ab illa quid rei eſſet, eram enim Medicus ejus ordinarius. Reſpondit, ſe non multum ægrotare, habere tamen opus cura, qua uti ſolebam in chloroſi; nunc autem non licere, quouſque negotia quædam compoſuiſſet: Monui ne principium ægrotationis ſperneret, ſibique omnibus neglectis conſuleret, alioquin idem illi, ut matri contigerat eventurum. Victu pravo ſemper utenti, nullaque adhibenti remedia, perſeverabat pica, & dolor ſtomachi; nihilominus, rediit ſatis bonus faciei color, nec perpetuus erat ut antea, ſtomachi dolor, ſæpe tamen cibos aſſumptos evomebat. Cum autem procraſtinaret in dies, tempus adhibendi remedia, licet monita; incidit tandem in deglutiendi difficultatem, ita ut in prima deglutitione, cibos cogeretur evomere, nondum ad ſtomachum devolutos. Credebam in principio cauſam, eſſe œſophagi quamdam in parte inferiori ſiccitatem, quæ cibo deſcendenti cedere ſtatim non poterat, ut videram in quodam homine, cui interdum in prima deglutione, hærebat cibus in medio œſophagi; ita ut cogeretur præ anguſtia, aquam, aut vinum quam citiſſime haurire, buccellæ deturbandæ neceſſitate. Poſtea videns in hac ægrotante, aſſiduum laborem in devorando, paralyſim verebar, omnibuſque hoc affectu interrituram prædicabam: Nunquam ceſſabat à pauci vini meri, aut aquæ vitæ deglutitione, quibus ſolis delectabatur: Tandem in quadam cœna, in qua eram de numero diſcumbentium, vocatæ; credenti ſe ſplendido apparatu, genio ſuo ſatisfacturam, reſtitit cibus in prima deglutitione, ita ut cogeretur à cœna ſurgere, & in ſeceſſu cibum evomere; deinde ad menſam iterum redeunti, tertio hoc illi contigit, unde relictis diſcumbentibus, domum ſe recepit, accerſendum me jubens poſtera die, eamque in lecto decumbentem inveni, cum febricula, conquerentem ſolida ſe deglutire non poſſe; & ex liquidis, tantum vinum in parva quantitate; Juſcula nullo modo, niſi parum de illo quod vocatur re-

ſtaurans: Reliqua omnia vomitu rejiciebat; paulo tamen antea, de ſyrupo meo hauſerat ex cochleari, licet maxima cum difficultate, quo alvus parum ſubducta fuerat. Semper in pejus ruens; die quarto, de dolore capitis conquerebatur, & nocte ſequenti, facta eſt fluxio in latus ſiniſtrum, dolorem punctorium invehens tanquam ex pleuritide notha, unde venam ſibi tundendam rogavit, me non ſatis probante, videbam quippe ad mortem properare, quæ die 9. contigit à convivio.

OBSERVATIO XXII.

A nephritide, lapidem interdum in veſicam delapſum, ibi per octo dies, & amplius remanere, nullis ſe ſignis manifeſtantem.

Primariæ vicis Recuperatorius Prætor hujus urbis, per intervalla à multis annis, dorſi, & lumborum dolores perpeſſus, à Medico ſuo ordinario, nephriticus ſemper curabatur, quamvis nullum lapidem ejiceret. Differens aliquando cum illo de affectu ſuo, quem ipſe ex Medici ſententia, nephriticum etiam putabat: Quæſivi ab eo, an per ſpatium decem, aut duodecim annorum, quibus his doloribus erat obnoxius lapillum unquam ejeciſſet: Reſpondit, nullum: Quomodo igitur, dixi, dolores iſti poſſunt eſſe nephritici, ſeu à calculo? Nam lapis non ejectus increviſſet, renemque progreſſu temporis dilaceraſſet, ut contigit Pariſiis mulieri, de qua lib. 3. cap. 9. de nephrit. Enarrat. 1. habetur. Proculdubio, aſſerui, dolores iſti non ſunt à calculo, ſed potius ab humoris alicujus delapſu, in has partes, à capite præcipitantes, qui quo magis ſeneſcet, eo in majori quantitate defluens, graviores tibi dolores efficiet, ex humoris cumulati majori quantitate, propter capitis majorem debilitatem, quæ inclinante ætate augetur. Medico ejus ordinario paucis poſt annis defuncto, ceſſi in ejus locum, ſimilibuſque doloribus vexatum, curabam venæ ſectionibus, & purgantibus, quouſque ſemel aliquando pertinaciori exiſtente dolore, & in regione renum, & in iliis, alter Medicus vocaretur, qui dolorem ſtatim nephriticum eſſe affirmavit: Quia autem venæ ſectionem non rejiciebat, nec alia auxilia, quæ utrique affectui erant communia, non multum diſputatum eſt; quouſque unum tantum aggredi opus eſſet: Sed cum dolores intra quatriduum omnino remiſiſſent, ſine lapidis excretione,

tione, nec in poſterum, cauſa doloris omnibus nota fuit: Tandem poſt duodecim, aut quatuordecim annos, per quos ejuſmodi dolores perpeſſus fuerat, retulit mihi Pharmacopœus, ægrotantem parvulum lapidem leviſſimo cum dolore ejeciſſe, ita ut non fuiſſet coactus me in ſubſidium vocare, cui reſpondi me plurimum lætari, nec implicare contradictionem, fluxionibus obnoxium, nephritide laborare aliquando, eſſeque in poſterum accuratius advertendum, ſi doloribus iliorum, aut in regione renum torqueretur, è quanam cauſa exiſterent: Cujus rei data eſt poteſtas anno revoluto, ortus eſt enim dolor acutus in regione ureteris ſiniſtri, quem vocatus ſtatim nephriticum judicavi, adhibens ad id remedia,. ut cap. proprio docetur, quia urgente dolore aderat vomitus; adde etiam quod præcedenti anno lapillum ejeciſſet: Quibus dolore non cedenti; remanente quippe adhuc cauſa in corpore, alter Medicus vocatus eſt, cum quo tunc nulla fuit de cauſa doloris diſceptatio, probans quæ acta erant, & purgationem ſumendam hoc modo præſcriptam.

℞. Caſſ. recenter extrac. ℥vj. terebenth. ℥ij. criſt. tart. ſcrup. j. fiat bolus capi.

Quo ſumpto, & ſemicupiorum uſu frequenti, cum enematibus, dolores acuti remiſerunt, nullo tamen ejecto lapide: veſtibus ſuis indutus æger ambulabat per aulam; variis autem in locis dolores ſentiens, modo in medio dorſi, ſine tamen vomitu, ut antea: Quod me cogitabundum habebat, me fortaſſe deceptum in judicando, primos dolores fuiſſe nephriticos. Alter Medicus nolebat de prima ſententia diſcedere, pertinaciter affirmans hos dolores eſſe nephriticos: Quod conſultationi locum dedit, tertioque Medico accerſito, habitus eſt ſermo inter nos, de horum omnium dolorum cauſa. Ego tanquam Medicus ordinarius primus loquens, aſſerebam primos quidem dolores fuiſſe nephriticos, quia ſæpe ingraveſcebant cum vomitu; nunc vero me dubio eſſe animo, videns eos remiſiſſe ab octo diebus, nullo lapide excuſſo; hos tamen præſentes dolores, nullo modo credere nephriticos. Primo quod in dextro ilio etiam nunc infeſtet, qui antea tantum in ſiniſtro ſæpe acu-

tus urgebat cum vomitu. Secundo quod dolor ſiniſtri lateris, ad coxam, & pedem uſque excurreret, nephritidi nullo modo proprium, ſed ſolum ſtupor interdum in coxa. Tertio quod dolor in ſcapulis, & dorſo perciperetur, humoris in has partes à capite delabentis ſignum, qui ultra progrediens, reliquorum dolorum cauſa erat. Quarto quod iſti dolores non eſſent acuti ut antea, & nullus eos comitaretur vomitus; quod fit ut plurimum in doloribus nephriticis. Cogebatur quidem primus Medicus mecum adhibitus fateri dolores illos non eſſe omnes nephriticos, ſed eos exiſtere ex ſero retento, & per venas oberrante in has partes effuſo; quod nec alteri Medico, nec mihi, nec etiam ipſi ægroto videbatur rationi conſentaneum, cum nulla fuiſſet, nec eſſet urinæ retentio, multaque, & facilis eſſet potius mictio. Tertius Medicus conſultationi adhibitus, dolores quidem illos non putabat nephriticos, ſed à ſero è venis in has partes excuſſo, cujus generationem debili & frigido jecori referebat, quod etiam à ratione alienum erat, nec illi à nobis hoc conceſſum eſt, eo quod ægrotus fuiſſet ſemper facie boni coloris, & rubicunda, potius quam pallida. Ego vero ſerum à capite, fluxionum fonte, defluere aſſerebam, primo quidem in ſcapulas, deinde per dorſum ad ilia pervenire, & partes inferiores, & coxam, & pedes. In hac opinionum varietate, cum leves eſſent omnes hi dolores, convenimus eſſe procraſtinandum ad aliquot dies, procul dubio aliquid per id tempus appariturum, ex quo quid agendum decerneretur. Octo, vel decem diebus exactis à conſultatione, meïere cupiens ægrotus, ejecit levi conatu lapillum, manentibus iiſdem doloribus, quod non ſolet fieri in nephriticis doloribus, qui lapide in veſicam delapſo omnino abſcedunt: Ideo conſtanter affirmavi ægrotanti, primos dolores fuiſſe nephriticos, quibus alii immiſcebantur: Delapſo autem lapide in veſicam, nephriticos dolores quieviſſe, iis remanentibus qui erant à fluxione, quos nephriticorum violentia abſcurabat. Quod autem ceſſantibus omnino doloribus nephriticis; delapſo lapide in veſicam, poſſit ipſe in ea remanere, per plures dies, ſine ullo incommodo, & ſine ulla urinæ difficultate, notum fecit nobis experientia in nobili quodam

dam viro, cujus Enarratio habetur lib. 3. cap. 9. de nephrit. Enarr. 4. Qui poſt nephriticum dolorem, remanente lapide magno, in veſica, cum ſex aliis parvis, nullum ſentiebat dolorem, nec urinæ difficultatem, ſanatuſque eſt ejectis lapidibus beneficio potus aquarum Encauſianarum. Sic in noſtro ægrotante, lapis, ipſo neſciente, reſtitit in veſica per aliquot dies nullis ſe ſignis manifeſtans, niſi quod in teſticulis, retractionem quandam ſe percipere, interrogatus à ſecundo Medico reſpondebat; neſcio an eſſet vera retractio, ſignum tamen calculi renum tunc non erat, ſed tantum veſicæ.

Observatio XXIII.

Sacerdos quidam, & Curio hujus urbis vicinus; dolore acuto per intervalla recurrente, correptus in parte inani, ut vocat Hippocrates, ilii ſiniſtri, vocavit Pharmacopœum ſuum, qui illum ſtatim nephritide laborare, affirmavit. Adhibitis ad id remediis dolor ſemper recurrebat. A Medico hujus urbis pertranſeunte, officioſe inviſus, hoc ipſum ab eo confirmatum eſt, qui ægrotanti verbo tantum multa conſuluit, ea peragenda reliquit, donec eum cum prædicto Medico inviſerem, eo quod eſſem Medicus ejus ordinarius. Venientes conſultaturi, in lecto quidem invenimus ægrotantem; verum ſedentem. Explorato partis dolentis ſitu, interrogavimus an nephritidi eſſet obnoxius; reſpondit nunquam ſe ejuſmodi dolores perpeſſum fuiſſe. Interrogatus etiam, an ſæviente dolore vomitu, aut ſaltem ſingultu infeſtaretur; reſpondit minime, quibus addidit ſe magnum frigus ſentire in parte dolente, & in coxa ejuſdem lateris dolorem. His auditis, aſſerui dolorem non eſſe nephriticum, quamvis alter Medicus ad hoc valde inclinaret: Nunquam enim videram nephritide laborantem frigus ſentire in regione ureteris: neque etiam videram nephriticum, qui ſaltem prima vice, vomitu non infeſtaretur, quoſdam interdum ſingultu: Omnibus autem qui coxa ejuſdem lateris dolebant: nephriticos putatos dolores, eſſe à fluxione affirmabam, pertranſeunte humore ab iliis ad coxam; ſed ægrotus iſte decepit me ut ipſe retulit mihi, ſtuporem coxæ, dolorem nominans, cum quo nulla nephritis, niſi adſit cauſarum complicatio. In hac diſce-

Dolor nephriticus ſine ullo ſtomachi conſenſu.

diſceptatione convenimus de venæ ſectione, purgatione, & ſemicupio; quibus nihil proficientibus, quædam anodyna dolori præſcripſimus, ac ſi ab acri humore in has partes delabente, cauſa exiſteret, nihil ſcientes niſi quod nobis Chirurgus referebat. Tandem poſt viginti dies, relatum mihi eſt à Pharmacopæo, ægrotantem lapillum cum urina ejeciſſe, & ab eo tempore à doloribus omnibus eſſe immunem. Quod valde miratus ſum accidiſſe, ſine ullo unquam vomitu, aut ſingultu; nec unquam talem frigoris ſenſum in nephriticis animadverteram: De dolore autem coxæ non bene monuerat æger ut ſupra attigimus, occurrens enim mihi equitanti, habitoque ſermone de calculo quem ejecerat, & de præteritis doloribus, mirarerque cum talibus ſignis, nephriticum extitiſſe, præcipue cum dolore coxæ: Reſpondit ſe non dolorem, ſaltem pondus percepiſſe. Multum, dixi, intereſt, in nephriticis doloribus ab aliis dijudicandis, pondus, aut dolorem percipere. Iſte enim nunquam fit à dolore nephritico; illud vero interdum percipitur, ſeu ſtupor. Talem autem nephriticum cum ejuſmodi ſignis videre rarum eſt, ita ut in hunc tantum incurrerim, anno jam mihi vertente ſexageſimo octavo.

OBSERVATIO XXIV.

Carbunculus extra peſtiferæ conſtitutionis tempus, intra 24. horas interficiens, remedio neglecto.

Cum eſſem Maſſiliæ in quadam Chirurgi officina, vidi ruſticum, qui præcedenti nocte in moletrina cubaverat, intrantem, ut perito opifici, & artis chirurgicæ operum arbitro, tumentem muſculum pectoralem lateris ſiniſtri oſtenderet, in cujus medio ſtigma apparebat inſtar pyrotici inuſti, quod maligni carbunculi facies erat, qua inſpecta, remiſit hominem Chirurgus domum ſuam, jubens aliquem ex ſuis ſtatim ad ſe mittere, ut eo duce veniret curaturus. Ille reverſus, neſciens periculi momentum, neglexit quod illi præceptum erat: Mane tantum venit uxor, nuntians maritum in extremis poſitum eſſe, quod veniens Chirurgus propriis oculis aſpexit; hominem ſcilicet, clauſis fere palpebris jacentem, quaſi toxico infectum, nec multas horas ſuperavit.

OB-

OBSERVATIO XXV.

Carbunculus non ita malignus, die quinta interficiens.

Idem mihi prorſus fere contigit Medicinæ candidato; deambulans enim per medium triremis ſpacium, agea, vel, ageia dictum, videns damnatum quemdam ad remos canentem, & ſaltantem ſuper forum, ſeu ageam, ſcyphum mero plenum manu dextra tenentem, qui ſtatim atque me venientem aſpexit, ſciſcitatus eſt, an quod manu tenebat, noceret malo quod in gena habebat? reſpondi, minime; advertens tamen eſſe carbunculum ex malignis; juſſi veniens in tabernam Chirurgi triremis uni ex ſervis, ſeu miniſtris, ut cauterio inſtructus iret in triremem, & ferro candenti carbunculum inureret, quo nihil ſecurius, citiſſime enim mortificat carbunculos. Illo rei juſſæ oblito, & carbunculo vires acquirente eundo, die quinta extinctus eſt æger.

OBSERVATIO XXVI.

Carbunculus inter crines deliteſcens, à perito opifice inventus, & ſanatus.

Puer quidam 10. annorum adductus eſt ad Chirurgum, tota facie, & collo, horrenda inflatione tumentibus: Ille peritus in arte, ex ingenti harum partium tumore, nihil minus cogitavit, quam à carbunculo aliquo, exiſtere ejuſmodi tumorem, facie igitur, partibus retro aures poſitis, & collo perluſtratis, nihil inveniens ſuſpicatus eſt inter crines inventurum, ſolliciteque digitis capillos ſpargens, invenit carbunculum in parte ſiniſtra, è regione ſuturæ coronalis, paulo altius fronte, inuſtuſque ferro candenti carbunculus, omnino mortificatus eſt, ut communi idiomate loquar, nec niſi cruſtæ caſus communibus auxiliis venit promovendus.

OBSERVATIO XXVII.

Maraſmus à vermibus, incognitus.

Filius cujuſdam civis, ex præcipuis hujus urbis, ætate decem annorum, aut circiter; à pluribus menſibus febre laborans cum fluxu ventris: In dies quaſi pthyſi laborans conſumebatur, è lecto interdum ſurgens, & per vicos obambulans, interdum lecto detinebatur, quaſi morti propinquus; cum ſcilicet diarrhoea magis urgebat. Videns illum in domo aviæ, miſerum ſpiritum trahentem, ſciſcitatus ſum ab ea, quid rei eſſet, quæ ſupraſcripta mihi enarravit: Miratus parentibus hujus affectus non eſſe curæ, quod ſcilicet plures haberent liberos, eos objurgans,

gans, conſului ſaltem, ut potio rhabarbari illi propinaretur, ex ℥j. in aqua plantaginis infuſa, & ʒß. in pulvere, qua ſumpta venter dejecit cum aliquibus vermibus: Hoc audiens aſſerui totius morbi cauſam, poſitam eſſe fortaſſe in vermium ſcaturigine: Ideo in rhabarbari uſu eſſe perſeverandum, quo vermes ſæpe ejiciens, ipſo ſolo, perfectæ ſanitati eſt reſtitutus cum omnium admiratione.

OBSERVATIO XXVIII.

Dolor ex abſceſſu in regione renis dextri, inter peritonæum & muſculos, ulcus renis putatus.

Vir quidam veneri ſatis indulgens, gonorrhœaſque perpeſſus, vulgi opinione, lue venerea laborare credebatur; Neſcio an ab ea male curatus eſſet; hominis tamen ſani faciem præ ſe ferebat; Tandem uxorem ducens, cepit poſt aliquot menſes dolore infeſtari in regione renis dextri, quem Medicus qui illum curandum ſuſceperat, credebat eſſe ab aliquo reni ulcere, parum edoctus in vero cognoſcendo pure, in urinis reſidente: Sunt enim quædam ſedimenta quæ, *gonoeidim*, vocantur ab Hippocrate, geniture ſimilia, prima fronte ad puris ſimilitudinem accedentia; coctionem tamen oſtendunt in febribus, & tale quod judicatorium, ut habetur Epid. 6. com. 2. ſenten. 37. uti & nos rerum uſu experti ſumus. At in non febricitantibus, oſtendit talis hypoſtaſis aliquid præter naturam exiſtere in ſanguine, aut aliunde in venas confluere. Hac Medicus ille falſus, ut opinor, hypoſtaſi, & luis venereæ quaſdam deliteſcere reliquias, ut & vulgus exiſtimans, unde ulcus renis putatum præter multa alia, diætam ſudorificam præſcripſit, quæ dolori ſedando nihil profuerunt, ejus cauſa ſemper remanente, qua tandem mortuus eſt æger: Propter autem luis venereæ ſuſpicionem, vicinus quidam conſuluit uxori, ut mariti cadaver diſſecandum curaret, propter vulgi opinionem; illum ſcilicet lue venerea laborantem mortuum eſſe: Quod ſi ita eſſet, illam ab ea non eſſe immunem, ſibique poſtea conſulendum, prout res ſe haberet. Quibus auditis, permiſit cadaveris diſſectionem, qua abſceſſus inventus eſt è regione doloris, inter peritonæum, & muſculos, juxta renem; qua in parte, magnus ſaccus purulenta materia plenus erat, quem ab extrinſeco aperiri potuiſſe, omnes affirmabant, ſi cognitus eſſet affectus.

OB-

Observatio XXIX.

Mulier quædam nobilis, patiebatur dolores in iliis, & regione renum, ſubſequente ſanguinis mictione, dolor ſedabatur: Quod illi pluries contigit. Tandem ſanatæ per aliquot annos, dolor nephritico ſimilis, & à calculo putatus à Pharmacopœo, reverſus eſt, ſine tamen ſanguinis mictione, ut antea; qui poſt aliquot dies, enematibus, ſemicupiis, & purgatione, ſanatus eſt à Pharmacopœo. Quibuſdam menſibus elapſis revertente dolore, & ipſo pertinaci, & acuto, interdum cum vomitu, & cum ſenſu frigoris, ut dicebat Pharmacopœus, in parte dolente, vocatus ſum, præteritorum omnium relatione facta, ſciſcitatus ſum, an ægrota lapillum unquam ejeciſſet, reſponſum eſt, nullum: Non ſumus certi igitur, aſſerui, an dolores iſti ſint proprie nephritici, lapis enim vel auctus, vel excretus eſſet, ut alias diximus. Qualiſcumque autem eſſet cauſa doloris, in eo ſedando incubui, enematibus, fotibus, ſemicupiis, & purgatione ex caſſia, terebenthina, & criſtallo tartari, nec non ex laudano; quibus tandem, & multo cum labore, ſana facta eſt, nullo ut alias excreto ſanguine, nec lapide. Viribus à morbo recuperatis, diſceſſit ægrota in ſuam amœnitatis villam, in qua ut plurimum degebat, in eaque iraſcendi data primum occaſione, deinde mœſtitiæ, ex adverſo litis caſu, incidit in febrem continuam, Vocatus ſecunda die Pharmacopœus, non auſus eſt ſanguinem extrahere, eo quod exanthemata quædam erupiſſent: Ego quidem ex cauſæ ægrotationis relatione, ſtatim venæ ſectionem imperaſſem; poſtridie tamen venam ſecandam curavit. Rebus in pejus ruentibus, vocatus ſum in principio quarti, inveni que ægrotantem cum parva febri, ſed tantum ſpecie, conquerentem de variis membrorum doloribus, tanquam à rheumatiſmo, præcipue vero dorſi; incurvata enim incedebat ſurgens adiuta, ut illi lectus componeretur: Propterea juſſi ſtatim venam ſecandam alterius brachii. Poſt prandium ægram inviſentes, pulſum valde debilem invenimus; unde timui ægrotanti: Quo agnito Chirurgus conſuluit marito, ut conſultationem iniret cum altero Medico, qui veniens ægrotanti venam in malleolo tundendam volebat, quod minime conceſſuram, me authore, affirmavi; eo

Dolor nephritico ſimilis ſine lapide.

quod ægrotans incidiſſet in aſphyxiam, cui non erat fidendum, licet ad loquelam non videretur peſſime ægrotare: Quod quidem optime ceſſit, moriente ægrotante poſt duas horas, cujus quidem mortem maturaſſet venæ ſectio malleoli; fortaſſe autem in ipſa ſanguinis extractione, quod Medicis magno vertitur dedecori. Mortua ægrotante placuit ſorori, & aliis parentibus, inopinatæ mortis cauſam reſcire, diſſectione cadaveris; qua compertum eſt, totam pulmonis membranam lateris ſiniſtri corruptam eſſe, ita ut digitis abſcederet: Jecur quoque ſimili modo affectum. In latere vero ſiniſtro, in quo fuerant dolores nephriticis ſimiles, totus ren corruptus erat, nullo exiſtente in eo lapide, ut Pharmacopœo prædixeram. Nunc ſi rationi conſentanea afferenda, in diſſerendo de affectibus hujus mulieris, & inopinatæ mortis cauſa: Dicam ingenue, ſanguinis mictionem qua jam antea laboraverat, à rene illo nondum tamen corrupto, originem duxiſſe, cum depravari inciperet, ſicut & dolores pſeudonephritici, conſentiente uretere, renis affectui: Ren tamen iſte corruptus, inopinatam mortem non intulit; quamvis proceſſu exigui temporis accidiſſet: Sed deſcenſus cujuſdam humoris peſtiferi à capite, qui ab ira commotus, malignam poſtea qualitatem induerat; unde cerebro gravis, in partes ſubjectas depulſus fuerat, inter pleuram, & pulmonem, ad jecur uſque; parenchymata aliis partibus corruptioni facilius cedentia: de nullo tamen dolore punctorio conquerebatur ægrotans pleuræ affectæ ſigno, neque de ulla ſpirandi difficultate, licet affectus eſſet pulmo, niſi morti propinqua; quod recentem affectum, & ſuperficie tenus oſtendebat.

Ex hac obſervatione colligitur, poſſe quempiam doloribus nephriticis vexari, ſine lapide in renibus: Senſum frigoris percipere in parte affecta, rene laborante ab alia cauſa, quam à lapide; ſi verum eſt quod retulit mihi Pharmacopœus, à me nunquam auditum niſi ab illo, & ſacerdote, de quo obſerv. 23. Et renem ſanum ſuo fungi officio altero laborante, ut confirmetur quod diximus Obſerv. 1. contra Duretum, Foreſtum, & Riolanum. Hoc etiam conſiderandum venit, quomodo ægrotans iſta, eſſet ſemper facie boni coloris, cum rene corrupto: Ego quidem exiſtimo corruptionem à paucis diebus extitiſſe; ab eo ſcilicet

licet

licet tempore, quo ultimis doloribus pſeudonephriticis cruciata fuit, licet affectus renis principium eſſet à pluribus annis, corruptionis vero, ab uno, aut duobus menſibus.

OBSERVATIO XXX.

Dynaſtes quidam veneri parum deditus, & quibuſdam gonorrhoeis tentatus; incidit ſeneſcens in urinæ incontinentiam: Non quidem ut omnino continere eam non poſſet, & fieret ſemper ſtranguria; ſed quod magnam, & ſolitam urinæ quantitatem ferre non poſſet ejus veſica, cogereturque eam frequenter exonerare Affectu perſeverante femoralia interdum permingebat, poſtea vero, ſimplex ſtranguria facta eſt dyſurioſa, mingenti cum dolore: Multa à Medicis præſcripta ſunt, & interdicta, vino tantum utenti rubello, eo quod album, urinas magis ciere ſoleat. Affectu in pejus ruente; Alii calculo, & prægrandi, credebant eum laborare, alii vero ulcere in collo veſicæ: Ego quidem ex ejus modo incedendi, affirmabam ulcere potius, quam calculo laborare; lecto tamen decumbere coactus, miſit ad peritum Chirurgum, ut bolide ſua chirurgica, exploraret utrum in veſica ſubeſſet lapis, qui nullum invenit; in mucrone tamen, quidpiam nigrum cum pure, educta bolide viſum eſt: Deinde conquerente ægroto de dolore in perinæo, tumor in eo cum rubore animadverſus eſt, & poſtridie nigrities; gangræna ab interioribus, ad exteriora ſe propagantes, qua inſpecta, de ſalute conclamatum, intra triduum moriente ægroto. Aperto ejus cadavere, veſica inventa eſt valde craſſa, carni mammæ vaccinæ non abſimilis, parvam habens in medio cavitatem; unde parvæ quantitatis urinæ capax erat; ideo frequenter mejendum erat ægrotanti: Inventum eſt etiam ulcus in collo veſicæ unde dolores in mictione; lapis autem nullus erat: Morbus iſte videbatur mihi ſcyrrhus veſicæ nominandus, cum ulcere; Quod autem gangrænam non invexerit, niſi bolide introducta, prorſus neſcio.

Inaudita incontinentiæ urinæ cauſa.

OBSERVATIO XXXI.

Mulieri cuidam in hac urbe lethargo correptæ, univerſalibus neceſſariis in hunc affectum præmiſſis, perſeverabat lethargus: Tandem abraſo capiti veſicatorio impoſito, ægra expergefacta eſt, & ſanata.

Lethargus veſicatorio capiti admoto ſanatus.

OBSERVATIO XXXII.

Colicus dolor oxycrato frigido ſanatus.

Domina quædam Pariſiis, magni nominis, colico dolori obnoxia, cum abſente Medico ſuo ordinario, eodem dolore correpta eſſet, pluribus vocatis Medicis, pluribuſque adhibitis incaſſum remediis, in maximo verſabatur periculo; ſed per id tempus, rediens in urbem Medicus hujus D. de Mirabeau, & ordinarius D. Dorleans, ſtatim vocatus eſt; qui videns ab aliis Medicis adhibita auxilia, recte, & ſecundum artem præſcripta, nihil profeciſſe; rem inauditam, & creditu difficilem: Enema ex oxycrato frigido injiciendum curavit; quo à dolore levata, brevi ſurrexit è lecto: Quod non crediddiſſem, niſi qui retulit mihi, teſtis eſſet valde locuples; D. ſcilicet Epiſcopus Adurenſis, tunc degens Pariſiis. Ego autem exiſtimo ægrotantem iſtam, temperamenti fuiſſe valde bilioſi, & media æſtate laboraſſe, maximumque ardorem in viſceribus percepiſſe, cum febre fortaſſe non mediocri: Hoc autem ultimum, in dubium apud me verſatur, cum D. ægrotans tam cito ſanata fuerit; Niſi dicatur humorem illum acrem, & calidum, febris, ſi adeſſet, fuiſſe cauſam, qui oxycrato refrigeratus, non amplius incaluit.

OBSERVATIO XXXIII.

Colica pictonica intra ſpacium horarum octo interficiens.

Idem D. Epiſcopus, retulit mihi cognatam Dominæ de Brienne, doloribus colicos repræſentantibus interdum obnoxiam; qui quidem dolores, levi inunctione alicujus olei abſcedebant; Tandem eodem dolore correptam, olei inunctione non levatum eſſe: Ex quo, quid in ſeipſa perſentiret neſcio, credidit tamen, ultimum ſuæ vitæ adeſſe momentum, ideoque expetivit à circumſtantibus ſacerdotem, omnibuſque Sacramentis munita, intra horarum octo ſpatium expiravit. Diſſecto cadavere ichores inventi ſunt in intermediis muſculorum abdominis ſpatiis, ſanis exiſtentibus viſceribus. Credendum eſt, aut ex dolorum vehementia, aut potius ex qualitate maligna in ichoribus concepta, puellam interiiſſe.

OBSERVATIO XXXIV.

Carus à lochiis retentis invectus, peſſario ſanatus.

Uxori civis urbis huic proximæ, filium enixæ, dilacerataque ſecundina, fruſtulum remanſit, adhærens juxta ſinum muliebrem, quod frigidum ſentiens puerpera, credidit totum

ſibi

ſibi ſanguinem effundi, rogavitque Medicum inviſentem ſe, ut ad id quoddam adhiberet remedium, quod credens illi, præſtitit, propinatis aſtringentibus, quibus retenta lochia, anadromen fecerunt ad caput; unde factus eſt ſomnus profundus, à quo excitari non poterat: Vocatus per litteras, de omnibuſque veniens certior factus; ſtatim venam malleoli tundendam curavi, deinde peſſarium introducendum in ſinum muliebrem, ex ſucco mercurialis, & pulvere ariſtolochiæ confectum, quibus circa veſperam adminiſtratis, mane expergefacta eſt, & ſanata lochiis iterum fluentibus.

OBSERVATIO XXXV.

Rogatus nobilem mulierem inviſere rure habitantem eo quod mihi plurimum confideret; à pluribus quippe morbis illa, maritus, & liberi, mea ope emerſerant, cum degerem Aduræ: Veniens, proximioris urbis Medicum curationi adhibitum fuiſſe inveni; cui tamen parum obediens erat, rhabarbari infuſionem, propter quamdam diarrhœam, qua cum febri laborabat, licet mediocri, ſumere nolens. Die adventus mei, circa veſperam ingrediens cubiculum, eamque videns in cathedra ſedentem longe à lecto, & ſine miniſtris; ridebam quod procul hinc, me accerſendum curaſſet, pro morbo leviſſimo; ſuaſi tamen, ut propter fluxum ventris, infuſionem rhabarbari, cum pulvere ejuſdem, ſumeret proximo mane, quod tandem promiſit. Sumpto rhabarbaro nobis præſentibus, nihil ex pulſu, neque ex aliis ſignis, quidpiam quod periculum minaretur advertentes, felici facta prognoſi, ambo diſceſſimus; ſerotinis tamen horis mortua eſt ægrotans, me, & altero Medico, ut opinatus ſum, ſtupentibus, quænam tam citæ mortis, & improviſæ cauſa extitiſſet; diarrhœæ malignæ ſemper retuli, licet mulier eſſet ſexagenaria. Vide Obſervationes cap. de diarrh.

Diarrhœa maligna, præter ſpem cito interficiens.

OBSERVATIO XXXVI.

Degens in urbe Aduræ vicina, rogatus ſum inviſere ſartorem febre continua laborantem, cum ſtupendo totius faciei tumore, parte quadam ſubrubro; ita ut oculorum apertio impediretur. Remedia quæ adminiſtrata, ſunt venæ ſectiones epicratice factæ, & cucurbitulæ cum ſcarrificatione, & cetera

De magna faciei inflatione lethali in juvene, prima hebdomada nuptiarum.

quæ

quæ Medicus ordinarius præſtitit, mortem circa ſeptimum avertere non potuerunt, omnibus ſtupentibus, eo quod eſſet juvenis, & in hebdomada, in qua uxorem duxerat ægrotaſſet, & interiiſſet. Veniebat in mentem nimium veneri indulſiſſe, & cerebrum ſpirituum diſſipatione impenſe debilitaſſe; multum enim impendit ſpirituum hæc pars, ad ſpirituum generationem qui in ſemine continentur.

OBSERVATIO XXXVII.

Juvenis in prima nuptiarum hebdomada, moriens ex eadem cauſa.

Degens poſt aliquot tempus Aduræ: Inviſi in quadam villa juvenem ruſticum, eodem plane modo, & eadem de cauſa, ut in ſuperiori obſervatione dictum eſt, laborantem; erat magna totius faciei inflatio, cum febre, & à paucis diebus uxorem duxerat: Præterea ægrotus iſte hoc habebat, ut multum conquereretur de dolore in regione oſſis ſacri, nihil extrinſecus apparente, neſcio utrum hoc eſſet à paraſtatarum quadam phlogoſi, propter immoderatum veneris uſum, quod ipſe ægrotus confitebatur; an ex frequentiori motu lumborum, humor quidam illuc confluxiſſet. Quidquid rei eſſet, relatum eſt mihi brevi vita functum: Quod mihi confirmavit hos duos juvenes, immoderato veneris uſu mortem utrumque ſibi attuliſſe, unde diſcant recenter nupti, proprio vino, ut dicitur non inebriari.

OBSERVATIO XXXVIII.

Vera, & certa gonorrhœæ venereæ curanda methodus non vulgaris.

Perlegendo libros in quibus de morbis venereis agitur, chymica præcipue remedia deſcribentes; A variis Authoribus excerptam, & in unum redactam, excogitavimus gonorrhœæ venereæ curationem, vulgari multo compendioſiorem, ſecuriorem, & ex remediis quæ ſumuntur, multo facilioribus; quæ in poſterum ſemper mihi bene ceſſit. Poſtquam nobilem virum curaſſem, hac nova methodo mox deſcribenda, prædicavit ille amicis, particularem quo utebar in hoc affectu curandi modum, citius, tutius, & jucundius. Multi à pluribus annis, uſque in hodiernum diem, venerunt curandi, aut miſerunt; quos omnes ſine bolo ex caſſia, ſine emulſionibus, & ſine ulla venæ ſectione malleoli, luemque interdum veneream avertentes ſic feliciter curavimus.

℞. Mercu. dulcis gr. xij. diagrid. vapore ſulph. caſtig. gr. iij. cum

cum ſyrupo roſ. purgat. formetur pilula; capiat mane, & juſculum poſt duas horas, non expectata ventris dejectione, quæ quo copioſior, eo facilior, & brevior curatio.

℞. Mercur. dulc. gr. xiiij. diagr. vap. ſulphu. caſtig. gr. iiij. aut v. prout venter prima vice dejecerit; cum ſyrupo roſa. purg. fiat morſulus, capiat ut dictum eſt, mane ſequenti.

℞. Merc. dulcis gr. xvi. diagrid. vapo. ſulph. caſtig. gr. vi. aut ſtandum in ſecunda doſi, ſi multum ex ea venter dejecerit. Cum ſyrupo roſac. ut antea fiat morſulus, capiat cum eodem regimine tertia die.

Si quis pilulas neſciret devorare, capiat pulverem mercurii dulcis & pulverem diagridii, diſſolutos cum ſyrupo roſaceo: Quibus ſi quis prima doſi, quacumque forma ſumpta, multum dejiceret, non eſt doſis ſecunda vice augenda, & ita ſe gerere, prout venter dejicit.

Peractis his tribus purgationibus, quæ quo magis ventrem movent, eo res melius cedunt, ut jam diximus, hac opiata utendum.

℞. Campho ſcrup. j. cremor. tartari ʒvj. ſalis prun. ʒiij. terebinth. ℥iiß. fiat mixtura pro ſex doſibus matutinis, pulvere ſacchari involutis, & qualibet tribus horis ante paſtum manducanda, aut devoranda. Sumptis his remediis ſciendum ab ægrotante, an dolor aliquis ſentiatur in mentula, deinde inſpicienda gonorrhœæ materia, an ſit pravi coloris, ſublutei ſcilicet, aut ſubviridis: Tunc enim nondum cogitandum de ſiſtenda gonorrhœa, ſed iterandæ ſunt mercurii dulcis purgationes, aucta pedetentim ipſius doſi, uſque ad gr. viginti & 24. ſcamm. vero non ultra gr. vi. Sed ſi ægrotus non facile cederet purgantibus, bonum eſſet ea ſumere cum cochleari purgatorii ſyrupi roſac. Quod ſi materia ſeminalis fluens, pravum depoſuerit colorem, & albeſcat, licet aquoſior, multoque magis ſi omnis ardor in meïendo abceſſerit tunc ſiſtenda gonorrhœa, quamvis parum de ardore ſupereſſet. Ex his quæ huic rei ſunt accommodata, crocus martis aſtringens, omnibus præſtat, qui fit calcinatione limaturæ chalybis, cum aqua forti communiter dicta, ut à Beguino docetur: Eo utor frequenter, & cum felici ſucceſſu hoc modo.

℞. Croc. mart. aſtring. ʒj. excipiatur conſer. roſ. pro tribus doſibus matutinis, tribus horis ante paſtum.

Utebar alias tantum doſi, quæ notatur in tyrocinio Beguini, ſed nihil ea ſæpe proficiente, aucta doſi uſque ad 20. gr. & ſcrup. j. compos rei optatæ factus ſum, in eaque ſteti. Aliquando uſus ſum conſerva baccarum recentium, & bene maturarum hederæ: in his præcipue quibus ſumptui parcendum eſt, & his non ſine fructu, ſed rerum uſu comperi, crocum martis aliis omnibus longe præſtare. Ad hoc etiam, quidam utuntur ſucco plantaginis recenter extracto, ad ℥iij. Et contra ardorem urinæ, ſucco mali aurei dulcis, ad ℥iiij. quod pro pauperibus bonum eſt, in regionibus in quibus mala aurea ſunt in promptu.

PRO ULCERIBUS VIRGÆ.

Ad ulcera virgæ, oris, gutturis, & aliarum partium, nihil eſt quod præſtet aqua rubea, quæ fit calcinatione ſublimati cum aqua calcis vivæ, qua intincta ulcera, quæ vulgo, *chancres*, dicuntur, ſemel, aut bis, cito mortificantur; hoc autem levi, & interdum ſine dolore, quod non facit aqua ſecunda communiter dicta, qua nihil intolerabilius: Melius eſt uti acidulo ſulphuris, aut ſpiritu vitrioli, temperato ſi velis, cum parum aquæ roſarum, aut plantaginis. Pulvis ſublimati rubei, æque bonam, ac malam carnem rodit: licet hoc efficiat ſine dolore.

Ad bubones venereos attrahendos.

℞. Cepæ coctæ ſub cineribus ℥ij. ſapon. & diach. cum gummis, an ℥iß. ungu. baſil. ℥j. fiat miſtura in modum pultis, qua utere, parvam cucurbitulam in principio ſuper bubonem interdum imponendo.

OBSERVATIO XXXIX.

De ulcere linguam perforante, aqua rubea ſanato.

Rogatus ſum per literas à quodam nobili viro, oppiduli cujuſdam Domino, in finibus Benearnium poſiti, ut illum curarem ab acri fluxione, quæ linguam perforaverat in medio. Veniens ſtupui linguam omnino perforatam videns: Non audebam inquirere ab ægrotante, an de lue venerea quidpiam paſſus eſſet, cum interrogatus de pluribus, nihil hac de re ſermonem faceret. Adde quod viderem ejus uxorem, & liberos bene valentes: Subdubitans nihilominus, ex male curata lue venerea,

ali-

aliquid ſubeſſe in corpore, quod ſaltem humores in corpore, non vulgata acrimonia inquinatos reliquiſſet, purgato corpore, præſcripſi chinæ decoctum per multos dies, pro potu ordinario. Interdixi omnibus acribus, & ſalſis: Conſului uſum lactis aſinini, frequentem poſtea uſum juſcolorum hepaticorum, & refrigerantium, & ſuo quoque tempore potum aquarum mineralium, quæ vitriolo imbutæ creduntur: Pro ulcere autem curando, juſſi parandam aquam rubeam ſupradictam, qua quibuſdam vicibus intinctum ulcus cito ſanatum eſt. Neſcio in aliis quomodo ſe geſſiſſet, vidi tamen ſanatum redeuntem ex aquis, non quidem *de Capverd*, quas præſcripſeram, ſed ex eis quæ *de S. Louboüé.* vocantur, minus illi convenientes. Tribus, aut quatuor annis elapſis, iterum vocavit me in caſtellum cujuſdam nepotis, eo quod magis meo fieret commodo, ut multa à variis Medicis præſcripta oſtenderet; præcipue à quodam Chirurgo Benearnenſi, qui perlegens omnia quæ illi præſcripta fuerant, nullamque videns occultæ malignitatis rationem habuiſſe, dixerat ei, me propius veram curationem attigiſſe; ideo me iterum eſſe conſulendum. Veniens in caſtellum inveni purulenta ſpuentem, cum voce maxime rauca, qualis accidit quibuſdam phtiſicis, à ferina fluxione peſſime ægrotantibus. Sanato ulcere linguæ, præter potum aquarum mineralium, cetera ſpreverat, & ex Medici cujuſdam præſcripto, aqua frigida ſe multum ingurgitaverat, ex cujus potu non parum, ut ipſe dicebat, nocumentum ſenſerat in pectore; quod fortaſſe ipſo refrigerato, & debilitato, fluxioni in pulmones delabenti occaſionem dederat; quibus in variis locis ulceratis, curationi locus amplius non dabatur. Res itaque ægrotantis videns in maximo verſari periculo, præſcriptis quibuſdam purgationibus pectoralibus & uſu bocheti vulgo dicti, cum china, & pulmonaria confecti, non ſpretis bechicis vulgaribus, conſului ut domum ſuam ſe reciperet in qua brevi mortuus eſt.

OBSERVATIO XL.

Cum eſſem Maſſiliæ, Medicus quidam urbis celeberrimus, & mihi in primis notus, laborans ulcere in larynge, neſcientibuſque Chirurgis, quid amplius eſſet agendum, eo quod ul- *Ulcus laryngis, aqua rubea ſubtili adinventione ſanatum.*

ulcus videri non poſſet, nec acribus pertingi ſpiritibus, ad coërcendam humoris acritudinem ſine periculo: Excogitavit ille Medicus rationem, qua illud præſtandum eſſet, involuendo digitum ſuum indicem tenui linteo exfimbriato, quo in aqua rubea intincto, & in gulam intromiſſo, ubi ex dolore ulcus exiſtere percipiebat, id madefaciens ſeipſum ſanavit; ab ulcere quidem, non autem à fluxione humoris illius malefici. Poſt enim quoddam tempus, cepit dolere toto naſo, pedetentimque os à carne ſeparatum eſt, totumque abſceſſit ſine carnis læſione; remanente quippe tota naſi carne integra: Qui autem naſo erat antea aquilino, valde ſimo permanſit; mirantibus omnibus artis proceribus, quomodo integra naſi carne permanente, os ab ea ſeparatum eſſet. Fere omnes aliquid ſubeſſe luis venereæ ſuſpicabantur: Ille autem nunquam cum ſcortis, ſe rem habuiſſe affirmabat, nec unquam aliquo affectu venereo laboraſſe: Ad quod reſpondebatur, illum multoties lue venerea laborantes, curandos inviſiſſe, à quibus quidpiam accepiſſe, alienum non erat à ratione: Quod ille, & multi alii negabant. Quomodocumque autem res ſe habuerit, valde inſolens eſt, oſſa à carne abſcedere, ſine carnis alteratione, & ſine cauſa à vulgaribus aliena.

OBSERVATIO XLI.

Dolor capitis, & nodus in tibia, remanentes poſt ptyaliſmum 40. dierum.

Eodem tempore, degente me Maſſiliæ, quidam vir nobilis, lue venerea laborans, quem prædictus Medicus, & frater meus curandum ſuſceperant: Inunctione commoto ptyaliſmo, qui per quadraginta dies perſeveraverat: Mirum poſt tantam excretionem, remanſiſſe dolorem capitis moleſtum, & nodum in tibia! Medico accerſito, juſſit inter cetera, arteriam juxta mandibulæ articulationem aperiri; è qua extracto ſanguine ut par erat, ceſſavit dolor capitis octo dierum ſpatio; poſtea vero rediit: Iterum ſecta arteria, dolor abceſſit per octo dies, iterumque rediit: Quod tertio factum videns ægrotus, revertente ſemper dolore, pertæſus hujus viciſſitudinis, non amplius vocato Medico; deſperatorum quemdam morborum curatorem ad ſe venire juſſit, qui auditis quæ acta erant, curaturum promiſit, numerumque partiariæ materiæ cujuſdam emendæ, in ſchedula conſcripſit, qua accepta compoſuit ptiſanam purgantem,

tem, de qua dabat ægrotanti cyathum mane, meridie, & veſperi; hoc autem per viginti dies, & perfecte ſanatus eſt vir ille nobilis: Quod cum fratri meo retuliſſet; ipſe quoque curam, & modum mihi narravit, ſciſcitans à me, an cuilibet ex partiaria materia doſim imponerem; quod me facturum promiſi, acceptiſque ab ægrotante partiariæ materiæ nominibus, ſic illi, & mihi doſim adſcripſi.

℞. Gaya. ℥iiij. ſalſ. paril. ℥ij. folior. ſenn. mund. ℥iij. turb. hermod. & jalap. ana ʒij. ſcamm. ʒj. epithy. ʒiß. antimo. crudi ℥ij. Infunde omnia ſecundum artem parata, in aquæ ℔xii. per noctem ſuper cineres calidos, mane coque lenta ebullitione, ad conſumptionem tertiæ partis, addendo in fine mellis deſpumati ℥iij. deinde fiat colat. in lagena vitrea ſervanda, de qua capiet ægrotus cyathum unum mane, alterum meridianis horis, & tertium veſperi, ſi alvus nimium non fluxerit.

Exemplo cujuſdam Chirurgi, qui ſimili ptiſana multos curabat, cum alvus non multum flueret, utebar ſuffitu ex puro hydrargyro, partibus inferioribus excepto, ſedente ægroto in ſella perforata; quo pellente humores ad ventrem, longe plures fiebant dejectiones poſtera die: Quod ſexto quoque die, dum opus eſt, faciendum, frequentius enim moveretur fortaſſe ptyaliſmus. Alias per ſex dies ſumpta ptiſana purgante, tribus poſtea conſequutis diebus movebam ſudores, mane tantum in debilibus, & in fortioribus etiam veſperi ante cœnam, quod non male ceſſit. Interea dum hæc geruntur, potus ordinarius fit decoctum gayaci, chinæ, aut ſalſæparillæ, prout ægrotus dives eſt, & deliciarum amator. Dum vocatus ſum pro infantibus curandis, quibus ut provectis ætate, remedia adhiberi non poſſunt, utebar mercurio dulci, ſumpto cum ſyrupo gayaci, eos purgando tribus conſecutis diebus, incipiendo à granis ſex mercurii, & duobus diagridii vapore ſulphuris caſtigati. Secunda die, dabam mercurii dulcis gr. viij. & duo ſcammonii: Tertia vero die mercurii gr. x. & duo, aut tria ſcammonii. Si alvus pro ratione non flueret. His tribus diebus in purgando elapſis, tentabam movere ſudorem in cunabulis, propinato cochleari ex ſyrupo gayaci, plus ſolito corpore cooperto: Deinde redibam ad purgantia ex mercurio dulci, aucta pedetentim il-

lius doſi, prout venter dejiceret; non autem ſcammonii, cum ſudoris poſtea provocatione. Ego quidem purgavi infantulum hoc modo, novies, duodecim dierum ſpacio. Quod ſi nutrix curetur, non eſt infans ablactandus, inſervit enim cura nutricis multum infantulo, qui poſt curam ſupradictam, debet uti longo tempore ſyrupo gayaci, ut virus omnino retundatur.

OBSERVATIO PRIMA.

Tres conſtitutionum epidemicarum quarumdam deſcriptiones.

Præter à me obſervatas conſtitutiones epidemicas, de quibus in hoc opere fit mentio, ægrotorum hiſtorias deſcribendo. Ab eo tempore quo in hanc urbem veni, tres præcipuas morborum populariter graſſantium, memini me vidiſſe conſtitutiones, quas hic recenſere non erit abs re; non parum enim ad artis opera conducibiles exiſtimaverim. In prima, morbi ſatis boni moris erant: Neque enim temporis conſtitutio quæ præceſſerat, extra rationem erat. Æque in hac ægrotabant ſenes, ſicut & juvenes: At in his fiebant criſes quinta die per ſudores; cuilibet tamen recidiva certa erat; verum ſine periculo. In illis autem, criſis cadebat ſemper in diem ſeptimum, probeque omnes judicabantur ſine ulla recidiva; & ex omnibus ægrotis nullus fere mortuus eſt, longeque major erat maſculorum numerus ægrotantium, quam feminarum. Cum fiebat recidiva, motus in primo morbo erat diebus imparibus, ut & criſis, quemadmodum ſolet fieri, cum natura duce cedunt humores: In recidiva autem, movebatur humor diebus paribus. Quod mihi in mentem revocavit, juvenis curam Meſſiliæ ægrotantis, quem inviſens prima die, inveni cum magna febri, quæ ſecunda die longe fuit remiſſior; tertia ſimilis primæ: Quod animadvertens, factis ex utroque brachio venæ ſectionibus, poſt enematum injectiones, decrevi quarta die de purgante medicamento, quo natura parte oneris levata, accinxit ſe ad criſim quinta die per ſudores, febre omnino abſcedente: Sed cum criſes factæ quinta die raro ſint ſtabiles, paucis poſt diebus rediit febris prima die remiſſior, ſecunda vero die longe gravior. Advertens in recidiva, humoris motum fieri diebus paribus; nolui quartum diem expectare, ad tollendum quod ex primo morbo reliquum erat: Quæ enim relinquuntur in morbis poſt criſim, re-

Hipp. apho. 12.

recidivas facere conſueverunt: Ideo tertia die, ſumendum præſcripſi medicamentum purgans, ne criſis caderet in diem purgationis, quod optime mihi ceſſit, facta eſt enim criſis quarta die, quæ incidere debet, ut docet Galenus, in idem tempus cum acceſſione, cum natura duce res fiunt, ei ſcilicet non repugnante humore. Ex deſcriptione hujus tempeſtatis epidemicæ, duo venerunt mihi conſideranda. Primum, quare juvenibus virium robore præditis, fierent recidivæ, ſenibus vero, debilioribus, nullæ, ſed omnes perfecte judicarentur ſeptima die. Alterum, quare morbus prima vice, moveretur diebus imparibus, in recidiva autem diebus paribus. Ad primum exiſtimandum eſt recidivas juvenibus factas fuiſſe; tum propter naturæ robur; tum propter humores calidiores, hac ætate gigni ſolitas, qui frigidis velocius moventur, & naturam magis ſtimulant ad excretionem, ad quam robuſta facile ſe accingit; unde criſis præcipitatur, omnimoda non expectata coctione, qui fit ut criſi in juvenibus, ſeptimum non expectante, quinta die imperfecta eſſet excretio, partem materiæ relinquens ad recidivam. At in ſenibus, quia frigidum eſt eorum corpus, febres non admodum erant acutæ, nec ideo motus humorum ita velox; unde natura minus ſtimulata, coctionem expectabat, cadente criſi ſeptima die, die critica regali, & magis auſpicata. Ad alterum, quare morbus prima vice moveretur diebus imparibus; in recidiva autem diebus paribus. Dicendum eſt in prima criſi, calidioribus humoribus vacuatis, quorum eſt proprium diebus imparibus potius moveri, remanſiſſe frigidiores, qui non ita velociter moventur, magiſque diebus paribus. Non tamen in recidiva fit ſemper motus in diebus paribus à cauſa morbifica; vidimus enim ſæpiſſime eodem motu moveri, quo in primo morbo: Cum ſcilicet humor totus eſt ejuſdem naturæ: Nam ſi diverſæ exiſtat, motus ſe tenet ex parte potentioris, prævalentque frigidis calidi, fitque motus diebus imparibus: At poſt primam criſim, calidioribus vacuatis, remanent ad recidivam frigidi; qui tunc cum ſint ſui juris, nec motu calidiorum rapiantur, fit acceſſio diebus paribus.

Lib. 3. de criſib.

Hipp. aph. 14. ſect. 1.

Ob-

OBSERVATIO II.

In ſecunda conſtitutione, cum præceſſiſſet autumnus ſolito humidior: Circa ver, & æſtatem, multi ægrotabant, & quidam moriebantur. Plurimis maculæ rubræ exoriebantur; paucis ſine vermibus in primis viis, quos mea nunc curandi methodus detexit. Cum in febribus quæ ſunt alicujus momenti, non ſoleant fere omnes Medici, ante ſeptimum cogitare de purgante medicamento; hoc autem præcipue, ut caveant à vulgi exprobratione, qui morbo ad ſtatum properante, & vires in augmento, ex propria natura, acquirente eundo, damnat purgationes, ſi exhibitæ quarta die, aut ſexta, morbus exaſperetur ſequenti die: Quod in cauſa eſt; propter ſymptomatum deinde ſupervenientium vehementiam, ut procraſtinetur cathartici exhibitio, ultra decimum quartum, acutorum terminum, magno interdum ægrotantis periculo, ut in vermium conſtitutione, in qua multi verſabantur in magno diſcrimine, toto morbi decurſu lumbricos rejicientes. Quare ego, qui jam à longo tempore pœnitueram, in talibus morbis purgantia in principio non exhibuiſſe, quo tempore mitiora ſunt omnia, ut inquit Hippocrates: Ideo ait: Incipientibus morbis, ſi quid movendum videtur move; vigentibus autem quieſcere, melius eſt. Hac de cauſa ſolebam ante ſeptimum arripere, præcipue quarta die, purgandi occaſionem, ne procedente morbo impediret me ſymptomatum vehementia. In ſtatu enim, inquit Præceptor, omnia ſunt vehementiora; in principio, & fine, mitiora. Propinans itaque more meo hac tempeſtate epidemica, ægris purgantia in principio, morbi, vermibuſque à pluribus ejectis: Ratus ſum, præcipuam morborum graſſantium cauſam, in hac conſtitutione, eſſe in primis viis, corruptiſque humoribus, & quamplurimis, vermibus inteſtina ſcaturire; ita ut vulgus ipſe aſſereret, purgationes tunc temporis, venæ ſectionibus longe præſtare. Cum autem exanthemata, cum vermibus complicabantur, ſemper in conſultationibus aſſerebam, majus impendere periculum à vermibus, & eorum ſcaturigine, quam ab ex anthematibus, tantumque habendam eſſe rationem diei critici, in quo erumpebant; poſtea vero ſtatim purgandum: Quod cum præſtaremus, nullus

Aphor. 25. ſect. 2.

Aphor. 30. ſect. 2.

lus à purgatione pejus habuit, imo fere melius: Quia vermium putredo, ut ingenue fatear, quid ſenſerim in hac re, erat cauſa exanthematum, qua ſublata, aut ſaltem ex parte levata, melius habebant ægrotantes. Unde enim exoriuntur exanthemata, niſi ab exhalatione materiæ putreſcentis, & aduſtæ, quæ ad ſuperficiem corporis propulſa, exſiccatur ſupra cutem per poros egreſſa, referens colore aduſtionis gradum, & malignitatis, quæ major eſt, quo magis aduritur materia; Unde nigra multum reformidantur exanthemata, deinde livida, poſtea vinoſa, minus rubra, omnium minime ſubrubra: Ex quibus his duobus, quædam tactu non deprehenduntur, quæ minus ſalutaria putantur, quædam aſperitate tangentibus innoteſcunt: Nulla tamen ſunt ſine periculo, ſi multa ſit eorum materia, & poſt exitum æger non melius habeat: Qui quo pejus, eo majorem quantitatem circum viſcera remanſiſſe ſignum eſt, eamque maligniorem. Si igitur hic modus eſt generationis exanthematum: Quare à materia extra venas putreſcente, & calore præter naturam efferveſcente, non fiet ejuſmodi exhalatio, exanthematum, aut echymatum parens, ſi aduratur, ſive vermibus commixta, ſive ſolitaria. Ego quidem in longis dyſenteriis, in quibus erat maxima putredo, vidi interdum multa, quæ nonniſi ab ichore maligno materiæ illius putreſcentis, ex qua fiebat dyſenteria, originem habuiſſe fatendum eſt. Nihil me autem tam docuit modum generationis exanthematum, quam videre ova recentia, cum ad prunas coquenda admoventur, quæ ſtatim ſudore diffluunt, & paulo poſt, parata ſunt ad ſorbendum: Quod ſi diu relinquantur ad ignem, materia illa, quæ ſudoris inſtar profluebat, facta aduſtior, in maculas convertitur, & in modum exanthematum exſiccatur.

OBSERVATIO III.

In tertia hac conſtitutione, pluvioſa præcedente æſtate, tota præcipue Canicula, quod valde inſolens eſt, autumnoque valde pluvioſo: Adde quod veniſſet equitatus ad hiberna contra Ducem, qui urbem Tartas occupaverat, quo fugato, & ſecedentibus poſt Paſcha equitum turmis: Neſcio an ab eorum commoratione, an à coſtitutione, quæ anno præcedenti exti-

terat, an ab utraque cauſa: Circa finem Aprilis, morbi cepe-runt graſſari, totaque æſtate, & autumno hipprocratico, febre ſcilicet purpuratæ, longe periculoſiores illis, quas proxima obſervatione deſcripſimus. Paucis vermes ſubeſſe animadverti, omnibus fere exanthematia, nona interdum die, quamplurimis undecima, perpaucis ſeptima erumpentia: Quos autem in principio febris invadebat in modum tertianæ ſimplicis, aut duplicis, deinde in tertio, aut ſaltem quarto paroxiſmo, in continuam vertebatur, nulli quod ſciam ſervati ſunt, 7. aut 9. è vita migrantes. Quibus autem à principio, febris ſtatim continua obſervabatur, multi periculo defuncti ſunt: Omnium febres notatu dignæ, quas delirium ſequebatur, à ſeptimo uſque ad undecimum, multis diebus perſeverans. Urinæ in principio crudæ ſanorum ſimiles, & ſine ſedimento, uſque ad undecimum, aut decimum quartum: Quibus autem undecima ſatis quieta videbatur, & ſine formidandis ſymptomatibus, omnes ſervabantur, longa tamen erat invaletudo. Quibus vero in undecima omnia ingraveſcebant, vigeſimum non tranſcendebant, morientes ut plurimum decimo quarto, aut decimo ſeptimo; ita ut naturæ motum, in hoc critico intuentibus, facilis eſſet exitus morbi cognitio. Nulli criſim factam fuiſſe memini; niſi quod exanthemata, omnibus fere erumpebant, ut ſupra dixi. Urinæ, quæ ut jam attigimus, fuerant à principio crudæ, & ſine ſedimento, undecima, aut paulo tardius hypoſtaſim deponebant filis tenuium ſtuparum, minutim inciſis, & ſibi invicem incumbentibus non abſimilem; Quæ quidem bona non erat, denotans iis quos ſanitati reſtitui ſpes erat, longam fore invaletudinem: eſt enim hæc hypoſtaſis, aëri pervia, & inæqualis, divulſæque ſunt ejus partes, quod bonæ repugnat. Videns hanc hypoſtaſim in multis ægrotis, & iis qui ſervabantur longam extitiſſe invaletudinem; memini ſententiæ Hippocratis in aphoriſmis. Quibus febricitantibus ſedimenta fiunt farinæ craſſioris ſimilia; iis longam fore invaletudinem ſignificant. De qua hypoſtaſi cognoſcenda, multis ante annis laboraveram, quænam eſſet illa, quæ farinæ craſſioris ſimilis, longum fore morbum indicaret. Neque enim ex Galeno, neque ex aliis aphoriſmorum explanatoribus, neque ex Practicis ullis,

Aphor. 31. ſect. 7.

ullis, neque etiam proprio rerum uſu, mihi conceſſum fuerat, ut illam hypoſtaſim internoſcerem, ſæpe enim falſus eram, in ſedimentis urinarum perpendendis, quæ ejus naturæ mihi videbantur, cita morbi ſolutione oſtendente mihi, farinæ potius ſubtilioris, quam craſſioris, ſimilia extitiſſe. Tandem in iſta tempeſtatis epidemicæ conſtitutione; videns in omnibus ægrotis, hanc hypoſtaſim jam deſcriptam, ante decimum quartum morboſque protrahi, prout tardius apparuiſſet; quibuſdam poſt vigeſimum, trigeſimum; & quadrageſimum haud dubie ratus ſum, hanc ipſam eſſe hypoſtaſim, quam crimnodeam appellat Hippocrates, craſſioris ſcilicet farinæ ſimilem, quæ longam invaletudinem ſignificat, iis, ut inquit Galenus, qui ſanitati reſtitui debent: Quod poſtea mihi confirmatum eſt in quodam ægrotante, de quo obſerv. 2. hujus libri, qui poſt hanc hypoſtaſim longiſſimam habuit invaletudinem.

LIBELLUS REMEDIORUM ORDINE Alphabetico diſpoſitorum ad omnes fere morbos conſcriptus.

ADMONITIO AD LECTOREM.

Addiſcendæ Medicinæ, & poſtea factitandæ addictus; In utroque ſtatu perlegendo libros, ad artis opera conducentes, dum mihi quidpiam occurreret, alicui affectui profligando maxime idoneum, mea fretus memoria, licet parum felici; exiſtimabam eorum quæ perlegeram, in re nata faciliter recordaturum; ſed interdum, nequidem de his quæ ego ipſe præſcripſeram, dum ſe occaſio offerebat, poteram reminiſci: Quod cum mihi ſæpius contigiſſet, ſtatui in poſterum, quæ mihi ad aliquem affectum maxime profutura videbantur, ſive perlecta, ſive audita; ſive à me præſcripta, & comprobata, in adverſariis deſcribere, ut in libello ſelecta, ordine poſtea alphabetico diſpoſita reponerentur, ut facilius urgente neceſſitate in ea incurrerem. Quod poſtea mihi pergratum fuit, & utile, præcipue in conſcribendo hoc obſervationum libro, in quo in hunc libellum remediorum, ordine alphabetico diſpoſitorum, ſæpiſſime remitto, propter eorum, & ſelectorum abundantiam; quod in omni capitulo faciendum hortatus ſum, ut quiſque, quæ illi magis placere videbuntur eligat: Neque enim parum eſt commodi, omnia quaſi præmanſa adinvenire, ſine ullo, aut perexiguo cumlabore; & quemadmodum ego feci, ita & ille edoctus facere aſſueſcat. Vale.

ORDO REMEDIORUM ALPHABETICUS.

AD ABORSUM, quando prægnanti accidit dolor renum, & imi ventris. Acc. panem recenter è furno extractum; ſcindatur, & ex parte medullæ, infundatur in vino generoſo, pulvereque caryophyllorum aſperſus, calide ſupra umbilicum applicetur; & renes ungantur unguento Comitiſſæ: Statim dolor ceſſabit, inquit Bayrius. **Aborſus.**

℞. Sex germina ovorum, vino diſſoluta exhibe prægnanti mane, ſex diebus continuis, ad cavendum aborſum, quando ex alto decidit, aut alio modo in ventre læſa fuerit; ſummopere juvabit, inquit Joannes le Bon, in lib. gynæci. tomo 2. partic. 3. **Aliud.**

Ad albugines oculorum. ℞. Superficiei vitratæ vaſor. teſtac. aut maſſæ qua vitrantur, ſpum. maris, ſtercor. lacerti viridis, ſal. nitri, ſaccha. rub. ana part. æquales. Omnia in pulver. tenuiſſimum redacta, infun. in decocto acori, & chelid. ad mellis craſſitud. deinde exſicca, & fiat iterum pulvis tenuiſſimus, hunc excipe iterum cum melle, lacte equino, & ſucco folior. rapha. ita ut remaneat liquor craſſiuſculus, ea conſiſtentia, ut poſſint guttulæ iiij. infun. in oculum ituri cubitum, per 20. dies, prius abluto oculo aqua calida. Remedium expertum ait Zacutus. lib. 1. prax. mir. **Albugo in oculis.**

℞. Aquæ roſ. ℥iß. aquæ fœnic. euphra. ana ℥j. tuthi. præp. ſarcoc. nitri, ana ʒß. aloës aqua roſ. lotæ ſcrup. j. ſacch. cand. ʒiß. campho. gra. vj. miſce, colat ſine expreſſ. facta, fiat collyr. cui interdum additur croci metall. ſcrup. j. Lotich. in obſer. **Aliud.**

Alopecia. Ad alopeciam antiquam, & difficile curabilem. ℞. Euphor. ſem. naſtur. ana ſcrup. ij. ſulphu. vivi, & helleb. albi, ana ſcrup. j. ceræ ℥ij. olei laur. parum; fiat unguentum. Bayrius.

Aliud. ℞. Succ. nicotia. & utere. Ceteris nihil proficientibus, eo curavit Luſitanum. Zacutus.

Anaſarca. Ad anaſarcam. ℞. ranas vivas, quas in olla nova oleo ſuperinfuſo coquebat vetula, & calide ventrem ungebat verſus inferiora, à ſtomacho ad inguina ducendo: Die ſecunda tumor deſcendit, ut pedes intumeſcerent. Tertia die penitus liberata eſt. foreſtus. lib. 9. obſer. 31. in Schol.

Angina. Ad anginam. ℞. Ciner. cremat. hirund. ʒj. hydromel. ℥iiij. fiat Julep, plurimum prodeſt. Valleriora in obſerva.

Aliud. ℞. Nidum hirundi. cum toto ſtramine, numero ij. Decoque in oleo lilio. & chamæm. deinde piſtentur, & per ſetac. tranſmitt. Adde ſtercoris canis ſola oſſa comedentis ʒij. œſypi hum. ℥j. fiat catap. quod eſt præſentaneum remedium. Idem.

ANI deſcenſus. v. Inteſtini. Ani dolorem in dyſenteria. v. Podicis dolor.

Ani verrucæ, &c. Ad ani verrucas, condylomata, mariſcas, & mora, valet pulvis ſtercoris murum cum vino coctus. Idem efficiunt conchiliæ oblongæ, in littoribus inventæ, calcinatæ, & ſimili modo paratæ. Sic etiam crocus metallo. cum aqua fœnic. diſtemperatus; Dolorem primo ſedat, & condylomata conſumit. Hartman. v. Verrucæ.

Arenula v. Lapisrenum. Arthritis. Ad arthritidem. ℞. Folia ari, contundantur, & cum ſtercore vaccino applicentur calide; valde proſunt. Matthiolus.

Aliud. ℞. Folia Hyoſcia. decoquantur in bubulo lacte, & fiat catapl. quod mirifice proderit, ut ait Duretus in adverſariis, ſupra Hollerium.

Aliud. ℞. Succ. rad. ebuli ℥ij, olei chamæm. ℥j, Coque ad ſucci conſump. adde aceti gutt. aliquot ad penetrationem, aut vini parum, & cum cera fiat unguentum nobile, & tutum, ut ait Zacut. preſertim ſi præcedat fotus ex decocto ebulorum, & folior. ſambuci.

Aliud. ℞. Galb. thur. ana ʒij. aceti ʒvj. cro. ʒj. ammoni. ʒiij. picis arid. ʒv. olei roſa. ℥j. ceræ ʒvj. fiat unguentum aliis præſtantius, inquit Zacutus, qui illud expertus eſt in tophis emolliendis & eradicandis.

℞. Her-

℞. Hermod. veri ʒß. turb. & mechoa. ana ʒj. rhab. myrob. citri. & chebul. maſt. ana ʒj. ariſto. rot. ſcrup. j. ſem. hyperi, & zinzib. ana ʒß. ſalis gem. ſcrup. ß. diagrid. ʒß. Cum ſucco ivæ arthriti. fiat maſſa pilul. doſis ʒj. quolibet menſe ſumenda. Interea utendum opiata ſequenti. Aliud purgans.

℞. Salſæpa. ℥iiij. ſem. hyper. ℥iß. folior. chæmæd. chamæp. ana mij. ariſto. rot. angel. fragran. ana ʒvj. cinamo. ʒij. caryophy. ſcrup. iiij. cro. ſcrup. ij. Cum melle fiat opiata, doſis ʒij. trib. horis ante paſtum, ʒß. minuendo diebus æſtivis. Platearius. Hoc remedium expertus eſt Dynaſtes de Belmont. Opiata.

Acc. catellum ex cane, qui Gallice vocatur *bracque*, qui à paucis diebus aperuerit oculos, & ſit valde pinguis: Pilis abraſis, à latere exenteretur, & venter infarciatur urticis contuſis, cum ſulph. ℥ij. vitellis ovor. n. iiij. & terebenth. ℥iiij. vulnereque bene clauſo, toſtetur igne lento, adipeque defluente collecto, locus doloris calide inungatur. Hoc remedio, non ſolum ſedatur dolor, ſed multi etiam ſanantur; Inquit Alexis Pedemontanus. libr. ſuo Arcanor. Aliud.

℞. Urticas q. v. decoquantur, in olla nova impleta ſuperinfu. vini & olei q. ſ. ad decoquendum, eaſque quam maxime calidas applica ſupra partem dolentem, bis, aut ter. Idem. Aliud.

℞. Spir. vini per cro. infuſio. flaveſcentis. ℥iiij. camph. ſcrup. j. parum bulliant; deinde adde opii ʒj. Hoc liquore pars liniatur; tutum, & efficaciſſimum, inquiunt Sennertus & Riverius, remedium, quod eſt Plateri. Aliud.

℞. Salis, ciner. urinæ pueri, & aceti q. ſ. in his commixtis immerge pannum album laneum, & expreſſum calide applica ſupra partem dolentem; ut faciebat ſenex quidam, cum tumor, & dolor magnus, rubenſque locus erat; Sic dolor magna ex parte ſedabatur, inquit Solenander. Aliud.

℞. Olei com. ℔j. rub. ℔ij. ſalv. mj. panis alutarii fruſtulum, coque in vaſe teſtac. vitra. & bene cooperculato, ad vini conſump. Quod ut cognoſcatur, perforatur in medio cooperculum, ſtyloque ligneo per foramen intromiſſo in liquorem, antequam bulliat, agnoſcitur omnimoda vini conſumptio in fine. Hoc oleo pars dolens liniatur calide, papyro ſuperpoſita. Sæpius vidi hoc remedio lenitos dolores. Aliud.

℞. Ra-

Aliud. ℞. Ranas quinque, vermi. terr. ℥iiij. vino lotor. coque in ol. roſ. Sennertus. v. Simile magiſque compoſitum, & fortaſſe magis efficax remedium. titu. Nervor. contractio.

Aliud. ℞. Folia nicotia. virid. contunde, & applica. Sedant dolorem & vim obtinent narcoticam. Riverius.

Aſthma. ℞. Rad. valeri. ℥ß. grycyrrh. ℥j. paſſul. mund. ℥ß. ani. ℈j. fiat decoctio & propinetur. Matthiolus.

Aliud. ℞. Pulv. noctuæ in vaſe combuſtæ, & in pulv. redactæ, ex eo fiat electuarium, de quo cape ℥ß. mane & ſero. Eſt Zacuti experim. lib. 2. prax. hiſto. cap. 7. obſerva. 4.

Aliud. ℞. Rad. ari, decoquatur, & cum melle deſpum fiat opia. mirabilis. Inquit Matthiolus.

Aliud. ℞. Rad. ari elixæ ℥ß. cum eclegmate de pino, & de pulmo. vulpis ana ʒvj. & ſyru. de glycyrrh. fiat eclegma ad juvandam expectorationem in aſthmate. Sylvius. v. Querce. de ſyrupo nicotianæ.

Aliud. ℞. Ammo ʒj. aquæ hyſſo ℥iiij. vini gener. ℥ij. Experimentum Brunneri, ut ait Sennertus.

Aliud. Hyſſo. orig. marrub. puleg. beto. ſcab. card. bened. ana mj. rad. ireos ℥j. agar. ʒß. zinzib. ʒij. coque in q. ſ. aceti, & tertia parte aquæ; colatu. adde mellis puri q. ſ. & coque ad juſtam oxym. conſiſtentiam, de quo tempore neceſſitatis, capiat cochlear j. Greg. Horſtius, qui vocat remedium iſtud, oxymel Cratonis.

Aliud. ℞. Sem. altheæ ʒj. flor. ſulp. ʒß. Cum ſacch. ℥iiij. in liquo. conveni. diſſol. fiant tabellæ.

Atrophia. Ad atrophiam, & pthiſim ℞. Aqu. ſtillat. ſummit. tener. ſalicis menſe Maio, aut Junio collect. Da cyathum quolibet mane, per menſem.

Auditus gravis. Ad gravem auditum. ℞. Fœnug. ſabi. brion. ſalſæpa. fiat ex his decoct. de qua injice ſupra lapid. pyr. candefact. & fumus aure excipiatur. Bened. Silvaticus, in conſil.

Aurium dolor. Ad dolorem aurium à cauſa calida; plurimum valet oleum Hyoſciami. Inquit Matthiolus.

Aurium tinnitus. Ad tinnitum aurium. ℞. Bacca. lau. contu. ſem. cumi. major. & minoris, ana ʒij. cum fermen. veteri fiat parvus panis in furno coquendus, qui per medium inciſus, & aqua vitæ rectif.

irror.

irror. tepide utrique auri imponatur. Lotichius in obſervat. Valet etiam ad gravem auditum.

Circumforaneorum. *Baume des Charlatans.* ℞. Folia aut ſum. abſynth. rutæ, flor. & folior. roriſm. flor. & folio. ſalv. acu. bacc. lau. contuſ. ana mj. Coquantur omnia in ℔ij. olei nuc. quouſque contabeſcant igne lento, colentur, & exprimantur, adden. poſtea terebint. & olei de ſpica ana ℥ij. Et ſi in forma unguen. parandum, diſſolve reſin. ℔j. ceræ ℔ß. Balſamum.

Optimum eſt remedium contra colicam, ungendo renes & ventrem calide, linteoque calido ſuperpoſito. Vires.

Valet adverſus omnes humores frigidos, inungendo partem, & linteo calido ſuperpoſito.

Laudatur pro hyſterica paſſione, ungendo ſtomachum, renes & umbilicum, linteo calido partibus obligatis.

Opitulatur capitis doloribus frigidis; ungendo tempora.

Efficaciſſimum eſt contra vermes infantium; ungendo nares, tempora, ſtomachum, & ventrem.

Vulnera etiam ſanat, adhibeturque pellendis arenulis, & urinæ, ungendo renes, aut veſicam.

Multum prodeſt doloribus ſtomachi, & dyſpepſiæ, ſimili modo adminiſtratum.

Ad caſum pilorum barbæ, & capitis. ℞. Agrim. cap. vener. ror. marini, ſalv. ana. mj. caryoph. n. 12. infun. in aquæ ſtill. ſyſimbrii, q. ſ. &. deſtilla in BM; hac aqua ſæpius barba abluatur, & capilli, & non decident. Liber arcanorum. Barbæ caſus.

Ad faciendum Bezoar arte confectum. Acc. conchas quæ moules vocantur, comburantur, & ſal extrahatur ut artis eſt. doſis gr. vj. & viij. æquivalet bezoardo naturali, teſte Medico Belga. Bezoard artifici.

Ad bronchocelen. ℞. Olei laur. ℔ij. thur. maſc. maſtich. gummi arab. & terebinth. ana ℥ij. Deſtillen. & ℔ß. cinerum in oleo injecta iterum deſtilla. Hoc oleo ſæpius inunctum bronchocele ſanatur, ut ait Evonymus. v. Beguin de calcin. lap. ſpong. & Hartm. de ſtrumis. Bronchocele.

Ad bubonem peſtiferum attrahendum. Acc. panem recenter è furno extractum, aperiatur, & foramine facto in mica, impleatur theriaca, & calide applicetur. Quidam Senex. Bubo peſtilens.

Bubonocele. Ad bubonocelen, epiplocelen, & enterocelen; Quidam Pharmacopœus utebatur liquore ſtillat. ex gallis orientalibus, & multos, licet ætate provectos ſanabat. Liquor non eſt oleum, ſed aqua, cum qua ſal quoddam volatile aſcendit, cum quibuſdam guttu. olei.

Cachexſia. Ad cachexſiam, feliciſſimum eſt auxilium pulvis cachecticus, mirabiliſque in omnibus obſtructionibus hepatis, lienis, meſenterii, & hypochondriacis. v. Deſcriptionem. cap. de cachexſia.

Calculus renum. Ad calculum e renibus abigendum, uſus aquæ ſtillatitiæ nicotianæ viridis, plures tenaciter adhærentes abegit. Zacutus, lib. 2. prax. miran. obſerv. 66. v. Lapis.

Calculi dolor. Ad dolores à calculo leniendos, Enema. ℞. Rad. alth. malvar. Eryng. ana ℥iij. folior. alth. malv. viol. pariet. ana mß. flor. chamæm. & melil. ſambu. ſummit. anethi, ana pij. ſem. ani. & anethi. ana ʒj. ſem. lini, & fœnug. ana ʒij. lumbrico terreſt. in aqua lotor. & diſſectorum ℥ß. Coque in lactis vacc. ℔j. Diſſol. in colat. vitel ovor. N°. ij. olei chamæm. anethi, lilio. albor. & ſcorp. ana ℥ß. croc. ſcrup. ij. Fiat enema; & ſi alvus ſit aſtricta, adde parum elect. de ſuc. roſa. Et mell. roſa. ſi dolor vehemens. Greg. Horſtius.

Calculus renum. Ad calculum renis abigendum. ℞. Tarta. vitriol. ſcrup. ij. ſacc. candi. ʒj. cape cum aqua petroſ. cochlea. j. aut ij. aut juſc. gallinæ macræ. Thonerus, in obſervat. v. Iſchuria.

Ad canis rabioſi morſum. v. Rabies.

Capilli denigr. Ad capillos denigrandos. ℞. Lythar. aur. plum. uſti, ana ℥ij. calcis extinctæ ℔ij. cortic. nuc. virid. n. 36. Bullia. nuc. contu. in aquæ menſu. iij. quouſque media pars abſumatur; cum qua colat. & aliis, facies paſtam mollem. Remedium Barbitonſoris Pariſiis degentis, à me probatum.

Capillorum proflu. Ad profluvium capillor. ℞. Nuc. cupr. virid. n. x. conquaſſat. abſynth. & lada. ana. ʒiß. Trita ligentur in panno raro, & infu. in oleo myrth. Deinde parum bulliant. Hoc oleo radices capillo. liniantur. Eſt optimum remedium. Bayrius.

Aliud. ℞. Apes vivas n. 100. muſcas n. 80. pilos urſi, ſterc. mur. ſem. lini, zinzib. bacc. myrthi, myrr. cort. pineo. caſtan. avella,

la, & amygd. ſterc. capræ. adian. abrot. abſynth. ſem. api. ſpu. nitri, folior. heder. rad. canna. lavend. lapat. acuti. pyreth. roriſma. ana p. æquales. Combuſtis cum pingued. urſi, oleo maſti. myrthi, ladano, & melle fiat ungu. quo ſolo, quidam ſanatus eſt. Zacutus.

Ad capitis dolorem. ℞. Rad. petroſ. contuſ. & aceto irroratas, & applica. Stercus vaccæ inter folia braſſicæ decoctum & applica. Mulier, hæc experimento comprobavit. *Capitis dolor.*

℞. Aquæ end. lact. ana ℥iij. aquæ. roſa. ℥ij. aceti roſac. ℥iß. olei roſæ ℥j. camph. & croc. ana ſcrup. j. Fiat fronta. tepide applic. & ſæpiuſcule renovandum; a prima applicatione ſtatim levamen ſenſit æger. Lotichius, in obſervationibus. *Aliud, & inſomnia.*

℞. Cancro fluviat. vivor. n. xij. contu. in mortar. adde far. ſem. cannab. & cydonio. ana ℥j. paſſula. minor. ℥ß. Coque in q. ſ. lactis. ad quartæ partis conſumpt. colat. ſit pro fronta. calide applican. præſtans eſt remedium, inquit Lotich. in dolore obtuſo, inſomniis, & perturbatione. v. Cephalagiam. *Aliud.*

℞. Aquæ roſ. plantag. & melilo. ana ℥ij. nucleo. ceraſ. ſemi. pap. albi. ana ℥ß. Fiat emulſ. adde aceti roſ. fiat fronta. tepide fronti & temporibus applicandum. Thoneri experim. à cauſa calida. *Aliud.*

℞. Gum. ammo. ʒj. pyreth. ʒiij. cum ſucco irid. incorpo. ad caſus aut lapſus in formam unguenti, turundis intromititur in nares. *Caput purgium. Caſus v. Lapſus.*

Ad cataractam incipientem. ℞. Spic. nard. ʒx. cinam. ʒviij. agar. albi ʒix. maſtic. ad pondus omnium. Omnibus in pulve. redac. cum melle deſpumato fiat opiata, de qua cap. ʒij. quotidie. Eſt remedium exper. & veloc. operationis. Inquit Bayrius. *Cataracta.*

℞. Aquæ ſtillat mellis ℥ij. ſacc. can. ʒj. myrrh. ſcrup. j. Hujus liquo. gutta j. aut altera, inſtilletur in oculum. Eſt collyrium præſtans, inquit Bruele. *Cataracta.*

Ad catarrhum exſiccandum. ℞. Sterco columb. par. j. ceræ p. iij. olei, p. xij. fiat ceratum capiti imponendum. Galenus. *Catarrhum exſiccans.*

℞. Herb. cephalic. calid. include ſacculis, & coque in lixivcine. & calide fronti, temporibus, & ſuturæ coron. per ſemihoram applica. Pro ſingulari remedio uſus eſt Joan. Heurnius. *Catarrhus frigid.*

 ℞. Con-

Catarrhus ferinus. ℞. Conſer. roſ. anti. ℥ß. flor. ſulph. ʒß. miſce cum ſyru. papav. rubri: Tum utere etiam pilul. de ſtyrace. His compeſcuerunt Medici, catarrhum ferinum in Principe Mauritio de Naſſau, ut refert Ottho Heurnius.

Catarrhum ſiſtens. ℞. Olib. ſcrup. ß. olei aniſ. gutt. iij. opii præp. gr. j. cum ſy- de papa. fiat morſulus. Lotichius.

Cephalalgia calida. Ad capitis dolorem calidum. ℞. Opii, corticis mandrag. flor. nenuph. cape de unoquoque q. ſ. & cum ſucco nenuph. fiant troch. in ſole exſiccandi: Dolore infeſtante, unus pulveri. & in nares inſuffletur. Cito ſedant dolorem. Inquit Bayrius.

Cephalalgia frig. ℞. Scamm. ſcrup. iß. myrrh. croci, coſti, ana gr. viij. Cum vino fiant troh. qui cum vitello ovi diſſol. frons, & tempora liniantur. Idem.

Aliud. ℞. Piper q. v. ſubigatur cum ovi albu. & temporibus applicetur aut nuchæ. In duobus narrat experimentum Zacutus.

Aliud. ℞. Scamm. q. v. miſce cum oleo roſ. & aceto, & cum vitello ovi, valet ad idem. ex Bayrio.

Aliud ad cephalem. ℞. Cepam albam, per medium incidatur, & in ſpiritu vini infuſa applicetur ſupra partem dolentem. Valde prodeſt ut mihi nobilis mulier communicavit, ad antiquos capitis dolores, & hemicraniam.

Chloroſis. ℞. Fœnic. cerefol. ana miiij. petroſ. mij. deſtillen. & da de aqua deſtill. ℥iij. quolibet mane. Efficax remed. etiam ſi adſit ſpirandi difficultas. Liber arcanorum.

Cholera. Ad choleram; præſtantiſſimum eſt, & probatiſſimum, criſtallum; teſte Langio, ad ʒß. per ſe exhibitum, aut electua. immixtum.

Colicus dolor. Ad colicum dolorem. ℞. Folia hæde. terr. q: v. infund. in oleo ad ſolem æſtivum; Eſt ſingulare remedium, injectum, & epotum. Matthiolus: Sicut & ℥iiij. olei juglandis, epotæ. Ex eodem.

Aliud. ℞. Caſto. ſcrup. j. aut ʒß. & ʒj. Cum vino albo aſſidue potatum malum prorſus demolitur, omnibuſque medicamentis præſtat. Nicol. Piſo.

Aliud. ℞. Zinzib. ʒj. bibe calide cum vino. Expertum à viro religio. auxilium.

℞. Olei

℞. Olei ſatur. quod fit in cella vinaria ex ipſo ſale, ſeu ſaccha. ſaturni. gut. iij. propina cum vino albo gener. ſtatim dolorem ſedant, ait Crollius. v. Balſamum. In colico dolori à materia acri, enema. Quercetani. v. cap. de coli. dolo.

℞. Merc. crudi, à ſcrup. j. ad ʒj. cape cum cochleari olei com. recentis cum ſacch. diſtemp. Ottho. Heurn. qui ſcire ſe ait, & ventrem, & dolorem ſolvere. Utitur etiam cepa alba. cont. cum. oleo, umbilico impoſi. Aliud.

℞. Stercus lupi, potatum, geſtatum ſupra part. dolentem & empl. modo, & in clyſteribus, laudatur ab omnibus Authoribus, v. Gal. lib. 10. de med. ſimpl. facult. tit. ſtercus lupi; & alios quos citat Zacutus. lib. 2. Medico. Princip. hiſtor. hiſto. 96. Aliud.

℞. Mannæ ℥ij. olei amyd. dulc. ℥iiß. capiat cum juſcu ſtatim, ceſſat cruciatus. Inquit Thonerus. Heurni. addit vinum malvat. Aliud.

Ad combuſtionem. ℞. duo ovor. album. tuth. alexand. ℥ij. calcis vivæ decies lotæ, tantumdem, ceræ no. ℥j. olei roſac. q. ſ. fiat unguentum. Alexis Pedemont. Combuſtio.

℞. Cort. media. ſamb. quæ viridis eſt, q. v. decoque in oleo quouſque contabeſcat, colat. facta, adde ceræ parum ita ut unguentum maneat lucidum, quod pluries ſum expertus. Aliud.

Ad juvandam conceptionem. ℞. Salis ſatyrio. ſcrup. ß. Cum vino malvatico, aut aqua vitæ mulieri ſæpius propinetur poſt menſtruo. fluxum. Multas feminas hoc remedio curavit Hartmannus. Conceptio.

Ad cornua pedum. ℞. Folia ſempervi. major. q. ſ. ablata priori pelle, contund. & ſuperp. ſex diebus continuis. Conſtipatio. v. ventris durities. Cornua pedum.

℞. Allium ſub ciner. coctum. Pluries calidiſſime ſuperponatur. Eſt viri religioſi experimentum. Aliud.

Ad coxendicum dolorem, & arthriticum. ℞. Ciner. trunc. fabarum aliquo unguento miſceantur; Eſt ſingulare remedium, inquit Matthiolus. v. Iſchias. Coxendicus dolor.

Ad deglutiendi difficultatem ℞. Dianuc. ℥j. ſalis gem. gr. vj. & uſque ad 12. Sale diſſol. per vices lente deglutiatur. hac tollit difficultatem à quacumque cauſa Hartman. ut ego expertus ſum. Deglutiendi diffic.

Ad dentes concuſſos. ℞. Thur. maſt. & cortic. granat. ana Dentes concuſſi.

 in

in pulv. redacta, poſt oris collut. impone ſupra dentes, iturus cubitum.

Dentium dolor. Ad dentium dolorem. ℞. Gum. ammon. ℥iß. ſanda, & thur. ana ʒviij. maſtic. ʒvj. ſtora. liquidæ q. ſ. fiat empl. temporibus applicandum; quod interdum cito dolorem ſedat.

Aliud. ℞. Fruſtulum goſſip. immitte in oleum caryoph. aut roriſm. deinde accendatur, & ſtatim extinguatur, & in dentis cavitatem imponatur illico.

Aliud. ℞. Gumm. junip. ejus fumus per infundibulum. dentibus excipiatur. Eſt ſingulare remedium; inquit Matthiolus.

Aliud. ℞. Tabaci probe calcin. in crucibulo, impone in cavum dentis & ſtatim dolor ſedatur; ut pluries expertus ſum.

Aliud. ℞. Vel Acc. os brachii bufonis; ſolo contactu ſtatim dolorem tollit; ait Helmontius.

Aliud. ℞. Piper. aquat. indatur de eo in dentis cavum, hoc remedio ſanavit mulierem J. Heurnius.

Aliud. ℞. Pilul. de cynog. & cochia. ana ſcrup. j. olei caryoph. gut. iij. Cum aq. beton. fiant pilul. vj. ſuper pulve. nucis moſch. Ab horum uſu dolor pertinax abiit. Inquit Lotichius.

Aliud. ℞. Camph. q. ſ. ad imponendum in dentis cavitatem; Et ſi dens non ſit cavus. ℞. Camph. ʒß. decoque in aceti ℔ß. calide in ore contine. Eſt experimentum Thoneri.

Diabetes. Ad diabetem curandum, imperavit Zacutus duobus ægrotis per menſem integrum, lactis aſinini chalybeati potum, & per intervalla uſum philonii. Ut habetur Obſer. 8. lib. 2. prax. Mi.

Diarrhœa. Ad diarrhœam. meſpilla virid. in magna quantitate devorata, multos diarrhœa pertinaci laborantes ſanaverunt, aliis remed. nihil proficientibus. Foreſtus. v. Dyſenteria.

Aliud. ℞. Duos vitellos duros ovor. aceto roſ. temperatos. Hoc remedio, ſanata eſt diarrhœa pertinax ab Helmontio. v. hiſtoriam pagi. 184. n. 22. in qua deridet Medicos curationi adhibitos.

Aliud. ℞. Far. tritic. ℥j. vitel. ovor. n. iij. pulv. cinam. & nuc. moſch. ana ʒj. coq. in vini rub. ℥iij. ad pult. conſiſt. cum ſacch. & præbe. Lotichius.

Dolor colicus. Ad dolorem colicum. ℞. Cretæ rufæ qua utuntur Sartores; derade, & bene pulver. propinetur ʒj. calide cum vini ℥iiij. Et ſi

ſi dolor non ſedatur, reïteretur doſis poſt 10. horas, & tertio ſi opus fuerit. Et in præſenti, & in poſterum ſanabitur. Vir quidam Religioſus.

Ad dyſenteriam. ℞. Malicor. q. v. calcinetur in vaſe teſtac. efficaciter. reſtringit. Matthiolus. Dyſenteria.

℞. Sem. plantag. ʒj. cum vitello ovi miſceatur, & ſupra laterem exſiccetur. Idem. Aliud.

℞. Compoſit. deſcripta in ſputo ſanguinis. optime ſiſtit ſanguinem ſi fluat. Aliud.

℞. Croci mart. ſcrup. j. propinetur cum aliquo liquo. aut cum roſa conſer. fiat bolus, parum vini rub. ſuperbibendo. Optime ſiſtit dyſenteriam. Hartman. v. Quercet. in Pharma. reſtit. pagi. 249. de ſyru. corallo. Aliud.

℞. Ungul. equor. aut equar. non tamen laſcivientium; eſſet enim in perniciem. Frigantur cum butyro, & in pulve. redigan. hoc remed. ſanabat dyſenterias Helmontius. Aliud.

℞. Allium cum ſaccha. & ſucco citror. Eſt alexiphar. in dyſenteria ex eſu cibor. corrupt. Joan. Heurni. v. hiſtor. in Pathol. Fernel. lib. VI. cap. X. pag. 169. in annot. Ottho. Heurnii. Aliud.

℞. Ceræ albæ, & gum. arab. ana ʒß. includ. in pyro, aut malo coton. & coquatur. Exhibe mane, & veſperi, Hartmanno. Horſtius affirmat magno cum ſucceſſu exhibuiſſe, cum ulcus conſolidandum. Aliud.

℞. Malum coton. excavetur parte ſuperiori, & cera alba raſa cum gra. iij. maſtic. impleatur, & iterum claudatur, coque, & detur hora ante cibum. Hartmannus. Aliud.

Ad dyſuriam. ℞. Decoct. malvar. cum ſyru. viol. hoc remedio ſeipſum curaſſe teſtatur Foreſtus: Sicut quemdam Pharmacopœum, aqua roſ. cum album. ovi concuſſa, ad ℥vj. & ℥viij. Et ſenem decocto flor. chæmæm. cum lacte bubulo. Dyſuria.

Emplaſtrum Nigrum. ℞. Ceræ ℥v. aut iiij. maſtic. ʒiij. irid. ʒij. & ceruſ. & thur. tantumdem, aloës ʒiij. gum. tragac. ʒiij. alum. uſti ʒiij. ſang. draco, vitrio. albi, ʒij. calc. vivæ in aceto infu. ad nucis cum cort. magnitu. per linteum tranſmi. olei ℔ß. Coque oleum cum ceruſſa, per ſpac. horæ iß. in vaſe teſtaceo vitrea. lento igne, agitando ſemper baculo., quouſque nigreſcant. Adde ceram fruſtulatim inciſam; deinde cetera in

pulv.

pulv. redacta; Poſt miſce & projice in diſcum ſemper movendo, donec refrigeſcant. Ad ulcera, additur parum mellis uſti, & in cinerem redacti. Ad vulnera ſi ſit opus turundis, diſſol. unguen. cum oleo roſac. & ſi inflamm. adſit parum amyli admiſce. Valet etiam hoc emplaſtrum ad herpetes, & frontis aſperitates in mulieribus, ut expertus ſum.

Emplaſtum caput roborans. ℞. Storac. benjo. lada ana. p. iij. pondere, rad. pæon. irrid. flor. viſc. querc. maſt. p. j. uniuſcujuſque, caryoph. & olei nuc. moſc. ana p. ß. ſtyrac. liquid. q. ſ. fiat emplaſtrum pro commiſſura.

Empyema. Ad empyema, ut rumpatur. Acc. pomum redolens, fac in eo cavitatem, quam replebis granulis tribus, aut 4. thur. fruſtulo pomi, quod extraxeris ſuper poſito; deinde coque ſub cineri. & da ægrotanti ad manducandum. Expertum remedium, inquit Alexis Pedem.

Aliud. ℞. Panem alb. recenter è furno extrac. per medium incis. illine veteri theriaca, parſque una ſupra partem dolentem; altera ſupra oppoſitam apponatur, & ligetur. Vidit Alexis hoc remedio rumpi empyema intra duas horas.

Enterocele. Ad enterocelen magnam, & pertinacem, ut facilis fiat reductionis. ℞. Sem. ani. car. fœni. & corian. decoque, & fiat potio Helmontius.

Epilepſia. Ad epilepſiam. ℞. Pyret. abrot. zinzib. ana ʒvj. rut ſtaphidis agr. carda. dauc. ſingulo. ʒiiij. croc. piper. ana ʒj. omnia in pul. redigantur, & per ſex dies ʒj. ſumatur cum aqua mulſa.

Aliud. ℞. Staphiſa. ariſto. rot. ana ʒv. rad. pœon. pyret. raſ. cranii humani ana ʒiiij. Omnia in pulv. redacta, cape ſcrup. ij. mane cum aqua mulſa, per 10. dies. Hæc duo expertus eſt Chriſtoph. A vega.

Aliud. ℞. Hirundi juvenes q. v. contund. & cum caſtor. mixtæ, & parum aceti acerr. deſtillentur. Aqua eſt vera medicina epilepticorum, inquit Evonimus. v. Hartman. de hepatibus ranar. quibus curat. eſt Fridericus iv. Palatinus. titu. Epilepſia.

Aliud. ℞. Succi rutæ ℥j. mellis ſcyllit. ℥ß. Eſt præſens remedium epilepticis. Valleriola.

Aliud. ℞. Rad. vincetox. ſucciſæ, enul. pœon. mar. caryoph. ana ʒß.

ʒß. bacc. lauri ʒiß. anet. ſalvi. ſerpi. ana. gr. xv. ſpeci. pleris Arth. diamos. dulcis, dianth. ana ſcrup. ß. Fiat pulv. doſ. ʒj. Thonerus, qui expertus eſt in filio ſuo.

℞. Pulv. confec. ex caſto. opopan. antim. & ſang. dracon. ana q. ſ. ſuperbib. parum aquæ hyſſo. ſine dubio ſanat epilepticum; inquit Bayrius. Aliud.

℞. Theria. veter. ʒj. aquæ pœon. ℥vj. ſpirit. vitrio. gutt. iiij. Expertum remed. à ſacerdote; quo poſtea uſus ſum cum felici ſucceſſu, ut habetur cap. de Epilepſia. Aliud.

Ad caput expurg. ℞. Rad. irid. ℥ß. folior majora. ſalv. & beton. ana mj. Contund. in morta. & ſucc. extrahatur, affunden. ſenſim vini, & aquæ beton. ad ℥ij. Riverius. v. Caput-pur. Errhinum.

Ad eryſipelata. Acc. propriam urinam melle ſubactam, ſummo mane, tribus diebus continuis. Tutus eris ab eryſipelate, ut experiuntur quotidie Cimbri, teſte Thoma. Bartholino hiſtor. anatomi. cent. vj. hiſtoria 72. Eryſipelas.

℞. Lythar. aur. in pulv. tenuiſſi. redactum; conclude in linteo & applica. De hoc plurima vidit experim. Barthol. ubi ſupra. Aliud.

Ad juvandam expectorationem. ℞. Aqu. pluvia. coctæ, tepidæ ℔ii. mell. virgin. deſpum. ℔ß. vitel. ovor. n. iii. Agitentur, miſce diligenter ad modum hydrom. & dentur ad poculum. Lotichius. v. Pectus expurgans. Expectoratio.

Ad faciei rubercula. ℞. Camph. ſulphu. an. ℥i. myrrhæ thuri. ana ℥ß. In pulv. redacta, infund. ad ſolem in aqu. roſ. ℔j. in vaſe vitreo. Nihil efficacius ad tubercula. Matthiolus. v. Remedium Evonymi ad bronchocelen, quod valet ad omnia naſcentia mala in facie. Faciei tubercula.

Ad faciei ruborem puſtuloſum, nihil proficiens Zacutus, fonticulum dextro cruri imponendum curavit, ſanatus eſt ægrotus, in praxi miranda habetur. Faciei rubor.

Ad faciei ruborem. ℞. nucleo. perſico. ℥iiij. ſem. cucurbit. ℥ij. Ex his fiat oleum per expreſſ. quo facies liniatur; experimento probatum, ait Alexis Podemont. Aliud.

Ad faciei rubo. à ſole. ℞. Ceruſſæ, fiat linim. cum oleo roſ. & viol. Horſtius. G. Faciei rubor à ſole.

Faciei puſt. rubræ. Ad faciei puſtu. rub. ℞. Merc. vivi & aceti ana ʒß. camph. ſcrup. ß. pulv. roſ. ʒj. ſucci limon. ℥ß. aqu. roſ. ℥ij. Horſtius G.

Aliud. ℞. Saccha. ſatur. q. ſ. ſolvatur cum aqua roſ. plantag. aut ſolani. Crollius.

Aliud. ℞. Aquæ ſtillat. ſterc. vaccæ menſe Maïo. collec. ℥iiij. bibe novem dies conſecutos, mane jejuno ventriculo, poſtea deambulando per mediam horam: Et quolibet anno ſemel tantum bibe menſe Maïo, ad præcavendam rubedinem, hæc aqua quo vetuſtior, eo melior; valetque ad arthritim & ulcera maligna, calidiſſime applicando in arthritide.

Febris Epiala. Ad febrem epialam. ℞. Flor. chæm. p. iij. comar. abſyn. pont. pij. Coque in ℔iij., aquæ ad conſump. mediæ partis; adde ſacch. ℥iiii. doſ. ℥v. aut vj. quolibet mane. Hoc auxilio feliciter uſus eſt Zacutus.

Febris diuturna. Ad febres ex obſtructione diuturnas ℞. Drach. ij. rhabar. vel drach. j. pro infantibus, in taleolas conciſæ; Linteo raro includantur, & in aquæ cicho. ℔j. infundantur. Doſis ℥iiij. nodulo quolibet mane expreſſo. Has omnes febres ſe curaſſe hoc remedio teſtatur Montanus. Hoc etiam ego uſus ſum, in quibuſdam affectibus longis cum febre, parte affecta non bene cognita, ſemper mihi bene ceſſit.

Febris interm. Ad omnes febres; Quidam utebatur ʒj. ſulphu. ſumpta in ovo ſorbili.

Aliud. ℞. Folior. & flor. centau. mino. ʒii. cor. cer. uſti præp. ʒiß. ſalis abſyn. & card. bened. centaureique mino. ana ſcrup. j. manus chriſ. perl. ʒii. Doſ. ſcrup. iiij. in aqua font. frigida, expectando ſudorem. Hoc ſolo remedio multas curavit tertianas Lotichius.

Aliud. ℞. Salis abſyn. gr. xv. pulv. folior. cent. mino. ʒiiß. ſacch. ℥iß. Doſis coclea. ii. cum cereviſ. vino, aut aqua car. bene hora paroxiſ. Idem.

Aliud. ℞. Telas aran. ʒiii. opii præp. gra. iii. aut iiii. ungu. popul. & roſac. ana ℥ij. olei aniſ. aut ſalv. gut. ii. aut iii. Lotichius.

Aliud. ℞. Cort. ſambuci, rutæ, ſalv: ana mß. bacc. junip. pij. Cum ſale & aceto contuſa pulſibus temporum, & manuum incipiente paroxiſmo applicentur, ſicut & telæ arane. Lotichius.

Ad

Ad fiſtulam lachrimalem, etiam antiquam. ℞. Mell. pu. & aloës hepat. ana ℥ii. myrr. ℥i. croci. ʒß. aquæ ℔ii: Coqua. lento igne ad conſump. mediet. In decoct. calido, madefi. ſpongiæ novæ fruſtulum, quod poſtea expreſſum, & linteo raro involutum applicetur, & videbis mirabilem effectum, ſicut ego ſæpe expertus ſum; inquit Bayrius. Fiſtula lachri.

Ad fluxionem in pectus cum raucedine. ℞. Oxym. ſcyllit. ʒiii. aquæ vitæ rectific. ℥ii ſpecier. diaire. drach. ß. olei aniſi gut. v. opii gr. i. ſaccha. candi. ʒiiß. fiat eclema. Lotichius. Fluxio in pectus.

Ad ſiſtendas, & exſiccandas fluxiones, & reprimendas evaporationes ad caput, ſingulare præſidium. ℞. Majo. flor. anth. ana ſcrup. iß. nuc. moſch. mac. ſem. nig. roma. ana ſcrup. i. campho. gr. i. Craſſiuſc. contu. indantur linteo ad odorandum: Inſervit etiam ad capitis dolorem. Horſtius. Fluxiones exſiccans.

Ad fluxum hepat. ℞. Conſ. rad cicho. conſ. roſ. anti. ana ℥ß. pulp. paſſu. corinth. ʒvi. limat. chalyb. ʒi. cora. rub. cornu cer. uſti præp. ana ʒiß. ſpirit. vitrio. ſcrup. i. Cum ſyrupo de endivia fiat electu. Horſtius. v. Hartm. de ſale corallorum. Fluxus hepatis.

Ad fœcunditatem potio efficax, inquit Nic. Piſo. ℞. Caſto. ſcrup. i. aut ʒß. & ʒi. Cum decocto mercur. propinetur, tribus aut quatuor diebus ante menſium tempus. v. Conceptio. Fœcunditas.

Ad fœdas virginum colores. ℞. Vini ℔iii, erythrod. abſyn. chelido. ana mi. cinam. ʒii.: Infun. & cape. ℥vj. Fœdi virg. colores.

Ad fœtorem anhelitus. ℞. Flor. & folior. roriſma. q. v. cum vino albo decoquantur, parum myrrh. cinamo. & benioi. addito, hoc vino os collatur. Alexis. Fœtor anhelit.

Ad fœtum mortuum educendum. ℞. Fellis tauri ad quantitatem fabæ, cum vino albo hauriatur, & ſtatim fœtum emittet. inquit Bayrius. v. Partum juvantia. Ad Fœtum mor. ejici.

Ad fœtum expellendum. ℞. Confec. alcher. ʒi. borra. troch. de myrr. ana drach. ß. dictam. cret. drach. i. caſto. ſcrup. j. aquæ bugl. ℥iiij. fiat potio. Fœtum ejiciens.

Ad deturbandum fœtum mortuum. ℞. Uvas ſuſpenſas putrid. projice in aquam ferventem, per horæ dimidium, eas ſupra ardentes prunas injice, fumumque excipiat mulier quadrantis ſpacio, ſepties in die. Mirabile, inquit Zacutus, quod in Fœtum mortuum deturb.

tam facili remedio, tanta vis recondita ſit, quod ego feliciter ſæpius ſum expertus. v. Praxim. hiſto. lib. 3. cap. 17. obſerv. 2.

Aliud. Acc. orbem quo menſæ ſternuntur; impone ſupra umbilicum, deinde manu fortiter percute. Sic Medicus Hiſpanus fœtum mortuum dejecit; ut refert Thom. Bartholinus hiſto. anatom. cent. vj. hiſto. 83.

Fœtum ſervans. Ad ſervandum fœtum. ℞. Maſti. lad. ana ℥iiii. colopho. picis naval. ana ℥iii. ceræ rubræ ℥ii. terebinth. ʒii. biſtor. nucum cupr. ana ℥ß. nuc. moſch. drach. ii. berber. drach. i. ligni alo. ſant. rub. ana drach. i. raſu. ebo. ſcrup. iiij. cora. rub. drach. j. præpar. anthe: drach. ii. coria. præp. cinam. craſſio. cubeb. ana drach. j. fiat empl. cui. additur pro divitibus drach. j. moſchi. Zacutus. v. Aborſum.

Aliud & ad fœcund. ℞. Scob. tenuiſſ. ebor. cum ſaccha. fiant tabellæ. pond. ℥j. ſuperbibendo parum vini aut aquæ roſa. Mirabiliter confert, inquit Zacutus, & ad ſecunditatem, & melanch. hypochondria.

Gallici dolores. Ad dolores muſculorum ex morbo gallico. ℞. Olei irini, & de keiri, & lauri. ana ℥iij. axung. porci. ℥viiij. ſuc. rad. ebu. rutæ agreſt. & abſyn. ana ℥iiij. vini gener. ℔iß. coquantur omnia lento igne ad conſumpt. ſucc. & vini colatu. adde bdel. diſſo. in aceto. ℥j. oliba pulv. ℥ij. euphor. pyreth. ana ʒv. ceræ q. ſ. fiat. unguentum, cum ℥iß. mercur. extincti, cum quo calide unge membra dolentia ſummo mane, & poſtea ſudet, fiatque inunctio per duodecim dies, & amplius ſi opus fuerit. Poterit fieri unctio per intervalla quatuor horis ante cœnam. Expertum remedium à Bayrio. Quod & ego poſtea feliciter expertus ſum.

Gallico morbo pil. Ad morbum gallicum pilulæ, quæ mercurii dicuntur. ℞. Diagrid. troch. alahand. rhab. hermod. jalap. ſemin. rubiæ, hydrarg. ana ʒiij. confect. alcher. & theria. veteris ana ʒß. terebenth. q. ſ. fiant pilulæ. Doſis ſcrup. ij. & ʒj. v. obſer. 41. lib. 5.

Ganglium. Ad ganglium, & lupiam. ℞. Ammo. ſagap. ana ℥ij. galba ʒiij. hermodac. ʒj. ſulph. ʒij. terebinth. parum: Gummi diſſolutis cum ℥iij. aquæ vitæ, fiat emplaſtr. ad hæc probatum.

Ad

Ad genuum, & tibiarum inflationes, rubedinem, & humorem in eis. ℞. Reſi. pini ℔ii. galba. ℥v. maſtich. ℥i. Reſina & galba. Liquefactis, addatur maſt. pulver. & extendatur ſuper alutam ad ſemidigiti ſpiſſitudinem; deinde Acc. porcellos ſanti Antonii, & cum adipe porcino fiat in mortario linimentum quo linietur emplaſtrum, prius calefactum, & ponatur ſub genu, aut ſub tibia, parte carnoſa, ſeu poplite, ſinaturque tres aut 4. dies, & ſi ſint ampullæ, remoto emplaſtro, aperiantur, & laventur vino decoctionis Agrimon. Roſ. Plantag. & folior. olivæ, & abſterſo emplaſtro, iterum unguento illitum ſuperponatur, & fiat, ut ſupra dictum eſt; ſic enim aquoſitatum magna quantitas vacuabitur, & ſanabuntur inflationes. Alexis. Genuum inflatio.

℞. Olei amygd. dulc. & chamæm. & mel. antho. ana ℥iß. ſacch. rubri ℥j. vitello ovor. n. ii. juſculi gallinæ ℥x. fiat. clyſter. notandus in gravidis, & puerperis. Inquit. Thonerus. Gonorrhœa. v. lib. 5. obſervat. 38. & titu. Lapis. De cantharidibus. Gravid. & puerp. clyſt.

Ad hemicraniam. ℞. Pulv. thur. & myrr. q. ſ. Cum albumi. ovi excepta ſuperponantur. Matthiolus.

℞. Folia matric. mj. Calefiat in ſartagine, & bis aut ter calidum vertici applicetur. Liber arconorum.

℞. Aquæ ſtillat. ederæ nuci adherentis, & ex ea fiat errhinum: Provocando ſomnum, ſedat dolorem. Monachus quidam. Hemicrania.

℞. Cucumer. ſylveſt. rad. viridem minut. inciſam, & abſynth. ana q. ſ. decoque in aquæ par. ij. & tribus olei. Hydrelæo mediocriter calente partem fove; radicem vero, & abſyn. contuſa in modum linimenti ſuperpone. Hoc ſolo medicamine, mulier quædam mirandum in modum inclaruit ſanando hemicranias, ſive cum febre, ſive ſine febre; Cujus exemplo curavit etiam, Paulus Ægineta v. cap. 5. lib. 3. Aliud.

℞. Nucleo perſic. amygd. dulc. excortic. ana ʒvj. ſem. cannab. & papav. albi ana ʒv. camph. gr. iij. in aceti roſ. ℥j. ſolutæ, aqu. verbe. beton. & roſar. ana. ℥ij. Fiat emulſio pro frontal. Aliud.

Ad hæmorrhagiam deſperatam. v. Remedium dyſenteriæ. Hæmorrhagia.

℞. Thur. par. ij. aloes p. j. Cum pilis lepor. ex ventre excerptis & minutiſſime inciſis, ſubigantur cum ovi albumine: Ex jugularibus venis ſanguinem ſiſtit ſine ligatura. Galenus 5. meth. cap. 5. Aliud.

Aliud. ℞. Sterco. aſini in pulv. tenuiſſ. redacti. q. ſ. omni juri, potuique ægrotantis, permiſcuit Zacutus, tabellas confecit, quas ægroto tantiſper à fluxu levato, edendas præbuit cum aqua chalybeata, & deſperatam hæmorrhagiam ſanavit: ut habetur lib. ultimo, praxis hiſtor. numero 4. Obſer. unica.

Aliud à dente. ℞. Gum. arab. in pulver. red. & dentis cavitas impleatur; hoc remedium, aliis nihil proficientibus, expertus eſt Zacutus.

Hæmorrhoïdum dolor. Ad dolorem hæmorrhoïdum. ℞. Herbæ linar. cum flo. q. v. contu. decoquatur cum adipe porc. quouſque adeps valde vireſcat fiatque unguen. cui expre. & parum refrig. vitellus ovi miſceatur. Ego non ſoleo vitellum ovi permiſcere, niſi applicationis tempore; uſuque comperi, unguentum, in hac regione, viriditatem amittere poſt annum, & cum ea virtutem; quod Maſſiliæ non contingebat.

Aliud. ℞. Olei roſ. ℥j. cerv. ℥ß. tragac. ſcrup. j. liquo. albi ovi, & ceræ ana ʒij. mirum in modum dolorem, & ardorem temperat, ait Chriſto. A Vega.

Aliud. ℞. Olei recent. juglan. coque in eo oniſcoſ. ſeu milleped. mirabiliter dolorem ſedant: Poſſunt etiam decoqui in oleo com. Quercetanus.

Aliud. ℞. Sevi ex ſemicand. buty. in vino albo cocti tantundem, pomi deraſi n. j. Coquantur omnia in aquæ roſ. q. ſ. & fiat pomata colat. & expreſſa. Experimentum Chirurgi in Epiſcopo, qui dedit illi decem nummos aureos.

Aliud. ℞. Liquo. nigri, defluentis ex brachiis æris campani muro affixis. q. ſ. Ducatur in mortario plumbeo longo tempore; ſtatim dolorem ſedat: Experimentum Pharmacopœi.

Aliud. ℞. Ping. anat. & gallinæ recentium ana ℥j. olei roſ. ℥ij. ceræ q. ſ. liquefiant, & poſt infrigidationem adde opii ʒj., & cum recenti vitello ovi fiat unguentum, quod non habet ſimile, inquit Bayrius.

Aliud ad internas. Ad hæmorrhoidas internas. ℞. Buty recentis ℥ij. albi Rhaſ. ʒii. alum. comb. ʒi. olei roſa. ℥ß. aceti tantillum; Cum ſucco ſempervi. fiat ungu. quod in eodem ſucco demerſum debet manere, & cum turundis eo illitis in anum intromitti. Expertum à fratre Auguſtino remedium. Hoc unguentum poſt triduum debet renovari.

Ad

Ad ſiſtendum ſanguinem ex hæmorrhoïdibus. ℞. Pulv. mumiæ tranſmar. & ſuberis cremat. Dextre applicatum orific. venarum, confeſtim ſiſtit. Hartmannus. Hæmorrho. nimium fluen.

℞. Croci mart. ſcrup. ß. & ſcrup. j. detur cum conſerva roſa. ſemel & iterum. Aliud.

Ad aperiendas hæmorrhoidas; folia ficus recentia ſæpius applicata, & iis locum fricando, ſi liceat, aperiunt; Item ceparum ſuccus cum aloë, panno aſpero fricando. v. cap. de hæmorrh. Hæmorrho. aperien.

Ad hepatis imbecill. à cauſa calida. ℞. Terebinth. vene. in aqua end. lotæ ℥ß. rhab. ʒii. ſem. endi. & jeco. lupi, ana ʒi. fiat miſtu. doſis ʒii. Bruele. v. Flux. Hepaticus. A cauſa frigida. v. Iecor. imb. Hecticis remedium. v. tit. Atrophia. Hepatis imbecillitas.

Ad herniam. ℞. liquor. veſicul. ulmi q. ſ. in eo panni madefacti ſuperponantur, & ligentur. Matthiolus. Hernia.

℞. Rad. conſol. major. contund. & ſuperponatur. Experimentum Pharmacopœi in ſeipſo factum, recenti exiſtente hernia. v. titu. Bubonocele. v. Sarcocele. Aliud.

Ad herpetes. ℞. rad. haſtu. regiæ, ſeu aſphodeli; decoquatur in aceto, & applicetur; Eſt ſingulare remedium. Matthiolus. Herpes.

℞. Ungu. albi Rhaſis ℥i. ſucc. plant. ʒii. ſulph. ʒi. fiat. ungu. quod ego ſæpe expertus ſum. v. Impetigo. Aliud.

℞. Lanam albam, quam tonſores ex pannis albis tondere ſolent, combure in vaſe teſtac. donec nigra evadat; trita & cum aqua roſ. aut plant. mixta atramentum ſutorium repræſentat: Hoc liquore ulcus circum circa illinatur; mirabilem experieris utilitatem, ait Zacutus. Herpes exedens.

Ad hydrocephalum. ℞. Pulv. abſyn. chamom. & melilo. ana ℥ii. butyri recen. olei chamæm. ana ℥iiii. ceræ parum, fiat ungu. quo infantem intra dies tres ſe curaſſe ſcribit Amatus luſit cent. 1. curat. 69. Hydrocephalos.

Ad hydropem. ℞. rad. lilii. cæleſt. agar. cala. arom. laccæ azari, roſ. rub. ſpi. nardi, cinam. ligni aloes, ana ʒi. eupato. nucleo. perſic. ana ʒiß. aniſi, Maſtic. à ʒij. Cum ſerap. confec. ex melle & vino invicem coctis, fiat opiata: Doſis ʒß. cum decoct. ireos, & eupat. Eſt ultimum remedium, ait Bayrius, cui non invenitur ſimi- Hydrops.

ſimile ad hydropem, & frigiditatem hepatis. Fortiter provocat urinam, & generaliter nulla medicina eſt ei ſimilis. v. aliam ejuſdem virtutis cap. de Hydrope.

Aliud. ℞. Pulv. canthar. nigrar. grillos vocant; ablatis capitibus & alis in furno cremantur, & datur ʒi. Ita enim movet urinas, ut multi hydropici ſanati ſint. Guido à Gauliaco.

Aliud. ℞. Urinæ pueri, in viris, puellæ in feminis ℥v. calida & recens bibatur, jejuno ventriculo, per multos dies, & poſt tres horas hauriatur juſculum, in quo nodulus tartari incoxerit. Eques depoſitus à Medicis, bibit pueruli ſui urinam, per tres hebdomadas, & omnium admiratione ſanatus eſt, & iterum diſceſſit ſtipendia meriturus.

Aliud. ℞. Pulv. bufonum: Hoc remedio. Romæ ſanatus eſt hydropicus diu decumbens, cui ejus uxor, ſumptuum pertæſa, de eo dederat, veneno tollere cogitans; unde copioſum reddidit lotium iterumque dato pulvere, ut mortem præcipitaret. Sed multo uberius reddita urina, præter ſpem ſanatus eſt vir ejus, ut habetur in lib. 3. de lamiis Wierii. cap. 36. §. 9. ex Gisber. Horſtio.

Hyperecatharſis. Ad hyperacatharſim. ℞. Theria. recent. ſcrup. iiii. & ſi antiqua fuerit adde opii gr. ii. vini genero. ℥iii. detur unica vice Bruele.

Icterus. Ad icterum. ℞. Sterco. anſerculi vere collecti, cum herbis veſcuntur, in ſole, aut loco calido ſiccatum, detur ʒß. aut ʒi. ſi morbus ſit pertinax, vel per ſe, vel cum vino albo. Quercetanus, vel fac ejus compoſitionem; ut ſequitur, deſcrip. in Pharma. reſtit. pag. 147.

Aliud. ℞. Chelid. totius mj, folior. & flor. hyperi ana mß. raſu ebor. pulv. ſterco. anſerculi, ana ʒiii. croci ʒß. Pulvis ſterco. anſer. & croci. ponantur in nodulo, & cetera ſimul coquantur in vini albi, & aquæ ſcolop. ana colentur, & dulcor. ſi velis, pro tribus doſibus. Mallem ego uti in for. pulv. dando ʒj. in vino albo, aut aqua cicho. vel in forma boli.

Aliud. ℞. Pediculos vivos numero vi. aut iiii. præbe bis aut ter devorandos in ovo ſorbili. Hujus præſidii ſæpe fecit experimentum Zacutus, indeque ſæpe commodum invenit, & multi uſus. Ut habetur lib. ult. prax. hiſt. n. 7.

℞. Mar-

℞. Marrub. ℥ij. rad. helen. & bugl. folior. eupat. ana ʒiß. agallo ʒj. decoqu. in vini albi gener. ℔iij. aut aquæ, ſi febris adſit ad conſump. duarum partium: In colat. infu. in nodu. inclu. rhab. ʒj. ſæpe exprimendo. Eſt præſtantiſſimum remedium ad icteritiam, inquit Matthiolus; ſi ℥ij. quolibet mane ſumantur decem diebus continuis, ſaccharo dulcor. ſi velis. Aliud.

Ad jecoris imbecillitatem à cauſa frigida. ℞. Diagal. ʒiß. trochi. de abſyn. ʒj. ſem. endiv. drach. ß. ſacch. albiſſ. aqua endiviæ diſſol. q. ſ. Fiant tabel. doſis. drach. ij. Bruele v. Hepar. Jecoris imbecill.

Ad ileon ex fæcibus induratis. ℞. Decoct. aneth. in oleo, & aqu. q. ſ. bibatur, deinde fruſta panis in aqua ferventi madefac. præbeantur. Mirum in modum juvantur ægroti; etiam ſi vomatur ſtercus. Inquit Oribaſius. Ileos.

℞. Pelviculam butyro plenam; apponatur umbilico; Quod penetrare ventrem, ac fœces liquare, & emollire, experimento novimus. Inquit Chriſt. A Vega. Aliud.

℞. Olei. q. ſ. ad ſemicup. deinde ℔j. decocti omenti vervecini detur potanda. Hoc remed. ſanavit juvenem Zacutus in lib. ulti. prax. hiſt. n. ij. obſer. 1. Aliud.

℞. Sterc. vaccæ quam recentiſſimi, eo univerſa ventris regio emplaſtretur inferior. Hoc remedio, aliis nihil proficientibus viam inteſtinorum aperuit Idem, ubi ſupra obſervatio 2. Aliud.

Ad impetiginem ſeu herpetem. ℞. Ceræ albæ ℥j. olei ℥ij. liquefa. adde ceru. ſtorac. liqu. ana ʒij. Quibus probe mixtis, adde ſublim. in pulv. tenuiſſ. red. gr. vj. Fiat ungu. mane & ſero utendum. Liber arcan. v. Herpes. Impetigo.

Ad inappetentiam. ℞. Terebinth. venetæ ʒij. maſtich. ʒß. aromat. roſ. ſcrup. ß. Fiat bolus, duabus horis ante cibum ſumendus. Nullum ex internis valentius remedium, ut ſtomachus moderate calefiat neque exſiccetur. Zechius. Inappetentia.

Ad incubum. ℞. Aloë ſcrup. j. formetur pilul. includatur in paſſula exemptis acinis, & quolibet mane in aurora devoretur, duabus horis ante paſtum. Experimentum Zacuti. lib. 1. hiſt. cap. 8. de Incubo. Valet etiam ad vertiginem. Incubus.

Ad inflammationes internas. ℞. Olei ſacch. ſatur. per deliquium facti, gut. iij. in aquæ roſ. aut plantag. q. ſ. propinetur. Crollius in Baſilica chymica. Inflammatio interna.

Inflatio ventris, ex tormi. Ad ventris inflationes, & tormina. ℞. Vitel. ovor. n. vj. fortiter agitentur, & cum pulv. cumi. aniſ. fœnic. ana ℥j. fiat ad ignem placentula ventri calide applicanda. Experimentum Roder. à Caſtro.

Inſania. Ad inſaniam. Acc. linteum nullo uſui acceptum; intinge in ſanguine aſini, & exſiccetur. Acc. de eo fruſtulum pollicis longitudine, & duorum digitorum latitudine. Macera in hauſtu aquæ font. donec color exeat: Da poſtea bibendum tribus diebus continuis, eliciendo ſudorem. Expertum in mania, melancholia, & inſania, remedium, in fabro lignario. Hartmannus.

Inteſtini egreſſio. Ad recti inteſtini egreſſionem. ℞. Cineris ſcarabeo. pilularium q. ſ. Aſperge inteſtinum, & quo modo poteris repone, nunquam poſtea egredietur, ait Hartmannus. Scarabei exſiccantur ad ſolem in vaſe vitreo, deinde in pulverem rediguntur.

Iſchias. Ad iſchiadem. ℞. Ligni junip. minutim inciſi q. ſ. ℔. 12. fiat ſemicup. decoquendo in aqua ſuffic. ad conſumpt. tertiæ partis; probatum eſt experimento, ait Matthiolus.

Aliud. ℞. Fœnug. in melicrato cocti uſque ad diſſolutionem, deinde contundatur, & iterum cum melle coquatur, extenſumque ſuper pannum applicetur: Confeſtim juvat, & ad podagram, & omnem dolorem articularem, inquit Bayrius.

Aliud. ℞. Theria. vet. aut mithrid. & ſinapi pulv. q. ſ. fiat cataplaſ. cum aqua vitæ rectif. Liber arcano.

Aliud. ℞. Centaur. minor. q. ſ. decoquatur. Per clyſt. infuſum, mirificum eſt auxilium, humorem enim elicit, & dolorem ſedat. Fernelius.

Aliud. ℞. Mellis optimi; linatur coxa, & articulus dolens, poſtea aſperge calce viva copioſe, tandiuque ſinatur, donec ægrotus ſentiat dolorem parti ingruentem; quod bis aut ter repetatur. Varandæus. Alii loco calcis vivæ, utuntur naſturtio.

Iſchuria. Ad iſchuriam. ℞. Cantharid. ſcrup. j. In pulver. redac. infu. in vini albi gener. ℥iij. aut iiij. per aliquot dies: Trajice poſtea per chartam bibulam. Ex hoc colat, accipe cochlear. j. miſce cum aliis ſeptem vini. Da prima die unum; ſecunda die duo: In Iſchuria, gonorrhœa virulenta, & calculo. Experimen-

mentum celebris Medici. ex Thoma Bartholino cent. 5. hiſto. 82.

℞. Stercor. bovini recen. & calidi, q. ſ. Applica ſupra pectinem uſque ad anum: Quod ſi ſtercus recens haberi non poſſit, utere ſicco cum appropriatis oleis, ad ignem miſtis. Aliud.

℞. Olei ſuccini rectif. gut. vj. aquæ petroſ. coclear. ij. aut iij. Non modo lotium provocavit, inquit Thonerus; ſed & omnem dolorem ſuſtulit. Aliud, & ad dyſur.

Ad juncturarum dolores. ℞. Succi abſyn. croc. opii, ana ʒj. ceræ ʒiiij. olei irini ʒvj. vini dulc. q. ſ. Diſſol. ceram cum oleo, reliqua autem cum vino, ſimulque miſta applica loco dolenti à cauſa calida, ſtatim liberat; inquit Bayrius. v. Arthridis remedia; Præcipue ex Alexi. Et remedium Iſchiadis. Juncturarum dolor.

Ad juncturarum nodoſitatem, & phlegma gypſeum. ℞. Caſei antiqui, & mordacis, q. v. coquatur cum juſculo tibiæ porci ſalitæ, rancidæ, ad putrilaginem. Fiat catapl. quod eſt mirabilis operationis, Inquit Bayrius, qui hoc expertus eſt, ſumptum ex Galeno. lib. x. de ſimpl. medic. facult. de caſeo. Juncturarum nodi.

Ad juncturarum tumorem, qui remanet cum dolore, materia calida, & ſubtili roſoluta. ℞. Sapæ vini, furfur. ſalis, ana q. ſ. coqu. & deſuper applica in modum catapl. Dolorem ſedat & tumorem reſolvit, ait Bayrius. Juncturarum tumor.

Ad ſiſtendas lachrymas, quæ fluunt cum rubore oculi, & dolore. ℞. Aquæ roſ. ℥iiij. Fruſtulum thuris accenſum in ea ſæpius extinguatur; deinde accipe de ea q. v. & parem lactis portionem ſimul miſce, & calide, penna oculorum anguli madefiant. Matthiolus. Lachrimæ.

Ad lactis abundantiam. ℞. Ceræ novæ & mellis com. ana ℥iiij. olei roſ. & buty. recent. ana ℥j. ſucc. ſalv. & cerefol. ana ℥iß. expertum Pharmacopœi cujuſdam remedium. Lactis abundantia.

Ad lapidem. ℞. Cort. rad. ononid. ʒj. cum vino ſæpe hauriatur. Eſt ſingulare remedium. Matthiolus. v. Nephriti. Lapis.

℞. Succi rad. raph. ℥iiij. mell. ℥ß. Fiat potio, tribus aut 4. matutinis iteranda. Valde probatum remedium. Liber arcan. Aliud.

℞. Rad. albo. alliar. ℥ß. quinque rad. aperien. rad. cicho. ſylv. ana ℥j. folior. caprifol. mij. ſem. ani. & fœnic. ana drach. ij. Aliud.

ij. ireos pulver. drach. j. Fiat decoct. de qua bibat. mane, & in paſtu. Expertum à D. de Laviolette in D. de Rohan. v. urin. ſuppre.

Aliud. ℞. Succi porri, cepæ, & raph. ana ℔ij. ſuc. limo. parieta. & auric. mur. ana ℔ß. omnia digeſt. facta deſtillentur. Querc.

Aliud. ℞. Rad. rapha. in taleol. inciſæ, q. ſ. mellis. quantum neceſſe eſt, ut lento igne parum coquantur: effluet inde aqua, quæ ad ℥iiij. data, mirabilem præſtat effectum. Quidam amicus. v. remedium ex coral. & margar. lib. v. obſerv. v. & Calculum.

Lapidis ardores. Ad ardores lithiaſi familiares, utere lapide cancrorum; Helmontius; cui ſatis eſt remedia proponere, non autem utendi modum. v. pag. 238. n. 25.

Lapidis præſerv. ℞. Decoct. ſem. dau. in cerviſia facti: utere. Helmontius; qui vidit Conſiliarium, qui per quindenas ſingulas ſolebat decumbere, uſus prædicto decocto, liber à lithiaſi vixit, per annos aliquot.

Lapſus ex alto. Ad lapſum ex alto, quando febris accedit, quæ ſignum eſt ſanguinem extra venas putreſcere. ℞. Aquæ bened. ℥ij. aquæ cerefol. ℥j. Febrem tollit, & inflammationem ſubito. Hartmannus.

Lateris dolor. Ad lateris dolorem. Acc. taleolam rad. brion. toſtetur, & calida lateri applicetur. Liber arcano. Vel. Emp. de melil. & bac. lau. & anethi ole.

Aliud. ℞. Folia braſſi. butyro illinatur fruſtulum, & pulvere cumi. aſperſum calide imponatur. Hartmannus. v. Pleurit. empl.

Lateris inflatio. Ad lateris inflationes, & ſuſpenſiones. ℞. Thymi ʒiij. cum cochleari oxymel. propinetur jejuno. Ætius.

Lienis tumor. Ad lienis tumorem. ℞. Betulæ, & flor. geniſtæ; Frigantur in ſartagine parumper, modico aceti tantum addito, & calide appone regioni lienis induratæ, vel obſtructæ: movebit ventrem aut vomitum humorum melancholicorum. Lib. arcano.

Aliud. ℞. Salis com. ſem. cumi. parum torrefacti. ana miß. flor. melil. mj. ſem. rutæ mß. rad. ebuli. ℥ß. contuſa & in ſartagi. calefacta, includantur duobus ſacc. rarioribus & alternat. ſupra lienem applicentur, acerrimi aceti vapore prius humectatis,

tis, in quo lapidis molaris portio candens extincta fuerit: Emollit, ſiccat, & reſolvit; Inquit Bruele.

℞. Aco. ℔j. cort. rad. tamar. fraxi. cappar. & rad. ſcolopen. ana uncias ij, contuſa macer. in aceto, per tres dies, in vaſe cooperto vitreo, poſtea coquantur ad conſump. mediæ partis colentur, & mellis ℔ij. addit. iterum coquantur ad conſump. aceti. Doſis cochlear. j. duobus aut tribus horis ante paſtum, & ſequens apponatur emplaſtrum. v. Tumor durus. Aliud.

℞. Vinum in quo lapid. crancrorum bulli. Hoc expertus eſt in ſe Helmontius pag. 323. n. 35. in fine. ℞. Cort. radi. cappar. & tamar. rad. ſcolop. & ciclam. ana unciam ß. folior. hederæ mß. ammon. unciam j. ſerap. unciam ß. Contu. infun. in aceto., tantæ quantitatis, ut madefiant per noctem, mane coquantur ad medietatem; deinde addatur acori pulver. quan. ſufficit, ad debitam conſiſt. empl. Eſt ſingulare remedium, ſecurum, & expertum, ad tomorem lienis quantumque magnum, & antiquum, inquit Bayrius. Bis ego hoc expertus ſum; ſed emplaſtrum fieri non poteſt hoc modo, niſi cera, & oleum aliquod addatur, aut terebinthina. Pharmacopœus quidam materiam incluſit ſacculo, & applicavit. Aliud.

℞. Verbenæ contu. cum album. ovor. & fari hordei, aut frum. fiat catapl. linteo raro involutum, & applicetur ſupra tumorem. Attrahit quaſi ſanguinis tenuis portionem. Quidam addunt beton. cum verbena. Populare remedium. Aliud.

℞. Serpent. minor. præpar. drach. ij. rad. aco. vulgariis pimpi. ana drach. j. oculo. cancro. cinam. ana drach. iij. ſalis abſyn. & junip. ana drach. j. ſacc. roſ. q. ſ. Fiat pulv. Doſ. drach. j. Stomachum roborat, contra hemicraneas acutas; vertigini, melanch. hypochon. arenul. & quartanæ opitulatur mirifice. Ex ſecretis cujuſdam Medici, qui 60. ℔. quolibet anno, hujus pulveris conficiebat. Aliud.

Ad lienis ſcyrrhum. ℞. Succi cicutæ, aut mandrag. q. ſ. cum ammoni. diſtemperetur. Fiat empl. quod vocatur mirabile ab Hartmanno. Lienis ſcyrrh.

Ad lienis affectus. ℞. Aquæ ſtillat. rad. ebuli. Cape circiter unciam iiij. per decem, aut duodecim dies, mane jejuno ventriculo. Experim. D Duval. D. Medici in doloribus inflationibus & obſtruct. lienis. Lienis affectus.

Lumbrici. Ad lumbricos. ℞. Fellis tauri, fuligi, allii, fermen. veter. & parum aceti, ut fiat paſta, quæ duobus linteis incluſa, ſupra umbilicum, & retro è regione ſtomachi applicetur. Experimentum muliercularum non ſpernendum.

Aliud. ℞. Malum aureum; perforetur, & digitis comprimatur, ut ſuccus extrahatur: deinde oleo laur. & ſucco abſyn. rutæque, paribus portionibus impleatur, pauco theriacæ, & far. lupino. addito, parumque bulliant. Hoc linimento, pulſus, tempora, nares, ſtomachus, & umbilicus linantur; & videbis mirabilem operationem. Alexis. Hoc remedium ſemper mihi placuit.

Aliud. ℞. Aquæ vitæ q. ſ. humecta umbilicum, & aſperge pulve. myrrhæ, & ſupinus jaceat puer. videbis vermes mortuos exire. Idem.

Lupia. Ad diſſolvendam lupiam. ℞. Succi folior. porri, & apii, ℔ij. aquæ ſalitæ ℔j. far. volati. q. ſ. Coque ad ſpiſſitudinem, & olei olivar. Unciis ij. additis, iterum coque. Verum, & expertum remedium; Inquit Liber arcano. v. Ganglium.

Mania. Ad maniam. ℞. Moſchi gr. xij. campho. gr. xxiiij. aquæ roſa. ſant. rub. tinctu. impreg. Unciam xx. miſce pro epithemate ſuturis omnibus applicando calide, per 24. horas, & renovando quoties exſiccatum fuerit, Miris laudibus effert Penotus.

Aliud. ℞. Folior. meliſſæ mj. minutim incidantur, & infund. in ſpir. vini Unciam iiij. adde margar. præp. drach. ß. doſis cochlea. ij. Arcanum cujuſdam familiæ Monſpelienſis. Riverius.

Matricis ſuffocatio. Ad matricis ſuffocationem. ℞. Olei rutæ, chamæm, & lauri. ana Unciam v. moſchi gr. iiij. Fiat clyſter ſtatim injiciendus, qui multum profuit Maſſiliæ cuidam mulieri.

Aliud. ℞. Folia rutæ minut. inciſæ; cum albo, & luteo ovi. agitentur & coquantur in ſartag. in formam aumelette, & calide ſupra umbilicum applicentur. Experimentum cujuſdam, qui etiam ovorum teſtas imponebat.

Aliud. ℞. Cort. ficus q. v. exſiccetur, & ſuper carbones injecto, ore fumus excipiatur. Liber arcan.

Aliud. ℞. Pulv. hieræ picræ ſcrup. j. aſſæ fœt. & caſt. ana ſcrup. ß. fecu. brion. & ſalis arthem. ana gr. vj. cum theriaca fiant pilu.

lu. aut mors. addendo opii gr. j. aut ij. Capiat.

℞. Caſto. drach. j. Aliquando cum mulſa, aliquando cum arthremiſiæ decocto propinetur. Aſſidue potatum, ab hoc morbo penitus liberat; Ait Nicol. Piſo. Aliud.

℞. Terebnith. & diaphæn. ana drach. ij. pulv. hier. purg. drach. ß. Fiat pro hoc affectu peſſar. ad expurgandam matricem. Aliud.

Ad matricis ulcera, & uretræ. ℞. Succi ſempervi. majo. Unciam iiij. Lythar. Unciam j. vitell. ovor. n. ij. Diu agitati in morta. plumbeo, utere. Remedium Chirurgi Pariſienſis. Matricis ulcera.

Ad omnes morbos melancholicos, utere pilulis purgan. deſcriptis cap. de febre quartana. v. ultimum F. remed. & utere, in hypochond. probatum. Melancholia

Ad memoriæ jacturam. ℞. Menthæ ſic. puleg. eufra. verbe. gallitri. corian. præp. ana drach. j. flor. roriſm. drach. iß. cala. arom. & cinam. ana drach. ij. caryophy. drach. iß. moſchi, & gal. moſcha. ana gr. vj. mellis anacar. & ſtyr. calamit. ana drach. ß. Cum aqua fœnic. fiant paſtili in modum peſſuli. Hoc remedio utentibus, purgato prius corpore, diæta exſiccans uſurpetur, parum cœnando, cum paſſulis & amygdalis, & pauco pane. Prandium erit caro aſſa gallinæ, turtur. perdicis. Potus erit vinum album unius anni, modice dilutum; & hoc per quadraginta dies. Singulis noctibus peſſulum indat nari ſiniſtræ, circa horam ſomni, & cotone narem obturabit, & ſic ſervabit tanto tempore; quantum inſumeret, in recitandis tribus P. N. & tribus A. M. His diebus elapſis, novo recens facto peſſulo, eum indit in nares, & cotone obturabit, ut dictum eſt, deinde leget attente quæ voluerit addiſcere, per horam, aut etiam duas; Et poſtea ſecluſo peſſulo dormiet, ſingulaque mane memoria tenebit. Chriſtopho. A Vega. Memoriæ jactura.

℞. Orig. puleg. calaminthæ, ana ʒiij. macis, cinam. ana. ʒij. pip. galan. Zinzib. caryoph. carpeſio. ana ʒß. caſto. ſcrup. ij. Fiat pulv. doſ. ʒj. cum vini albi ℥j. aut aquæ mul. ℥ij. Sanis doſis ſcrup. ij. cum conſ. ſtœc. ſuperbib. aquæ fœnic. ℥iß. pergendo in uſu per octo dies. Idem. Aliud.

℞. Confect. anacard. ſcrup. ij. cape tribus, & alternis diebus, cum aqua fœnic. maxime prodeſt, ut centies expertus eſt idem A Vega. Aliud.

Ad

Menſes albi. Ad menſes albos. ℞. Salv. ſalſ. paril. & balauſt. ana Cape ʒj. mane cum juſculo per aliquot dies. Eſt remedium aulicarum.

Aliud. ℞. Rad. ſygilli ſalom. ſaccha conditar. Eſt experimento probatum remedium ſæpius utentibus. Matthiolus.

Aliud. ℞. Pulv. torment. ʒj. coral. rub. ʒß. eboris. ſcrup. j. Cum aqua ſtillat. ejuſdem herbæ propinetur. Efficax eſt remed. inquit. Idem.

Aliud. ℞. millef. cum flor. ʒij. coral. rub. & carabe, ana ʒß. Fiat pulv. qui valde prodeſt. Idem.

Aliud. ℞. Decoc. folior. querc. ℥v. coag. lepor. ʒj. Octo dierum ſpacio ſæpius utentibus curavit veteres fluxus Merculialis.

Aliud. ℞. Pulv. herbæ potentil, cap. vener. ana ʒij. ſem. planta. malva. coral. albi, ana ʒß. nuc. moſch. carioph. ana ſcrup. ij. eſſen. citri ſcrup. j. ſac. roſac. tabellati. manus chri. perl. ana ℥ß. Utatur aliquot diebus ex aqua plantag. & vino. Excipiendo interea ſuffumigium mane, & ſero, ex foliis ſalviæ carbonibus injectis, hoc modo curavit mulierem Lotichius.

Menſtrua provocans. Ad provocanda menſtrua. ℞. Trochiſco. de myrr. ʒj. aqu. puleg. ℥iiij. ſyru. arthem. ℥j.

Aliud. ℞. Spec. diaſatyr. ʒj. cro. ſcrup. iiij. ſacch. ℥j. ſucc. ſabin. q. ſ. ad tabell. conficiendas. Expertum à Paracelſo, in conſiliis.

Aliud. ℞. Rad. valer. alth. rubeæ, enu. camp. cucum. agre. ana ℔j. fol. malvæ, mercuria. puleg. matric. arthem. meliſſæ ana miiij. flor. chamæm. mij. ſem. fœnugr. contu. ℥ij. ſem. ani, & dauci, ana ℥j. fiat balneum.

Aliud. ℞. Pulv. ſabi. eo utere. Eſt fortior. omni alia re; inquit Bayrius.

Aliud. ℞. Scori. ſeu recremen. reguli. antim. q. ſ. Aquæ com. ebulliendo fiat lixivium: De eo ſupra candentes ſilices, injecto, excipe fumum in ſella perforata. Pertinaciſſimas menſium obſtructiones aperit. Inquit Hartmanus.

Menſes nimium fluen. Ad menſes nimium fluentes retinendos. ℞. Cutic. pedis anſer. exſiccetur. Data ad ʒß. & ſcrup. ij. ſubito ſiſtit, & omnibus præſtat; Inquit Idem. Valet etiam in aliis fluxibus.

Mictio ſanguinis. Ad mictionem ſanguinis, utere trochiſcis, Ad ſputum ſanguinis, in S. deſcriptis.

℞. Pulv.

℞. Pulv. folior. vitis, quæ poſt vindemias rubeſcunt. ʒi. cap. cum vino albo. Liber arcanorum. Aliud.

℞. Succ. plantag. & millefo. ana ℥j. philo. ʒi. Fiat potio: Eſt ſingulare remedium, inquit Matthiolus. Aliud.

Ad molam excutiendam. ℞. Malv. alth. hyſſo. calamen. & arthem. cum floribus ana q. ſ. decoquantur in oleo ſuffi. & pars ad imum ventrem attinens foveatur cum veſicis: Probatum à Valleriola. Molam excutiens.

℞. Aquæ ſtillat ſperm. ranar. cum fæce deſtillationis, ſucc. cicu. & pulv. buſo. exſicc. fiat ex his catapl. ventri applicandum quo ſequente die applicationis, ejecta eſt mola 15. menſium. Præſcriptum à D. Grangé Medico Regio. Aliud.

℞. Euphor. ʒi. redige cum ſyrupo de arthem. in pilulas, & tertio quoque die ſumat mulier, ſpacio duodecim dierum, tribus horis poſt cœnam. Harum ope excrevit mulier octo molas, ut ait Zacutus in praxi admiranda lib. 2. obſer. 154. Aliud.

℞. Borac. ʒi. carabe, azari, cinamo nigel. roma. & vulgar. ſabin. ana tantundem, galb. aſſæ fœt. opopan. bdel. ana ſcrup. j. myrr. ʒß. troch. alhandal ſcrup. j. pulp. colocynth. ſcrup. ß. Cum balſam. & aceto ſcyllit fiat maſſa, de qua ſi ſeptem pilul. aſſumpſerit mulier quinquies, tribus horis poſt cœnam; præcedente victus ratione optima, & præp. corpore, proculdubio molam excernet, inquit Zacutus; ut ille expertus eſt. Aliud.

Ad affectus nephriticos. ℞. Ligni querc. deraſi ℥i. aquæ font. ℔vi. ſucci limon. ℥iii. Infun. omnia per 24. horas ſupra ciner. calid. poſtea coque ad tertiæ partis conſump. coletur doſis ℥vi. valde prodeſt calidæ jecoris intemperiei, ulceribus renum, ardori urinæ; ſed præcipue pituitam ſalſam, & viſcidam, è renibus, & veſica vacuat, dyſur. & ſtrangu. cauſam. Poteſt ex hoc decocto vinum dilui. Mihi communicatum à P. Religioſo. Nephritici affectus.

℞. Cort. acerri. raph. ℥i. oſſium meſpillo. ʒii. Blande conquaſſ. infun. horis octo, in vini albi ℥iiii. & modice calens propinetur. Eſt ſecretum quod vocatur raphaninum, ex Corbei Pharmacia, Authore Anthonio Mizaldo. multis probatum experim. Aliud.

Ad nodos, ganglium & lupiam. v. Ganglium. Nodus.

Nodus à morbo. Gal.

Ad nodos à morbo gallico. ℞. Ungu. aurei officina ℥iii. merc. ſublim. ℥i. Locus cum vino lavetur, & unguen. applicetur, cum panno lin. In valde tamen antiquis, locus ungatur quotidie bis, aut ter, & poſt conſump. tophor. locus foveatur linteo illito butyro non ſalſo, & vino loto. Hoc etiam modo curantur tumores, & dolores inveterati. Hartmannus.

Nervi debiles.

Ad nervos debiles, & arthritidem. ℞. Limaces rub. q. v. Oleo illiti ponantur in ſacco lineo acuminato, & ad caminum ubi quotidie ignis accenditur ſuſpendatur, & liquor decidens excipiatur, quo ad ignem partes affectæ illinantur. Ex Judæo Medico experto.

Nervorum contractio & arthrit.

Ad nervorum contractionem, arthritidem, & laſſitudinem pedum. ℞. Ranas, vermes terr. & limac. rub. ana q. v. coque cum olei pauco, cola & exprime ita ut nihil remaneat: Quo minor quantitas olei, eò melius ut pinguius & ſpiſſius evadat.

Ad vehementes oculorum dolores.

Ad dolores oculorum vehementes. ℞. Roſa. violar. alba. melilo. cap. papav. ana drach. ii. croci opii. myrr. ana drach. i. Cum vitello ovi ad prunas cocto, & paſſo, fiat catapl. Galenus ex Heraclide Tarentino.

Aliud.

℞. Cruſtam panis ſecundarii; toſtetur, & ſtatim quam maxime calens aquæ immergatur, & ſtatim extracta oculis imponatur per noctem relinquendo. Excellens remedium, inquit liber arcanorum. Heur. accepit panem album & non calefacit.

Aliud.

℞. Sem. pſyl. (alias lini) fœnug. ana ʒiiß. flor. euphra. melil. cham. ana ℈iiß. ſarco nutri, tuthiæ præp. ana ſcrup. iij. cro. camph. ana gr. vij. vitel ovor. n. ij. Contuſis contud. decoque in lacte vaccino, deinde vitell. diſſol. pro fotu oculi, multoties probato à Lotichio in dolore, & rubore.

Aliud.

℞. Phlegma alumin. quod debet extrahi per B. M. miraculi inſtar. ſanat oculos rubentes, & dolentes; ait Joan. Heurn.

Oculi fluentes a variolis.

Ad fluxiones oculor. à variolis. ℞. Aquæ plantag. eufra. roſa. ana ℥ß. croci. gr. v. tuthiæ præp. ʒß. ſacch. candi. & albi ovi in aqua loti parum. Probatum à Joanne Heurnio.

Oculorum rubedo & lippitud.

Ad rubedinem, & lippitudinem oculorum. Acc. fruſtulum

oliba.

oliba. trigeſies accenſum, extinguatur in aquæ roſ. ℥iiii. & aqua per linteum tranſmiſſa, intinge angulos oculorum. Matthiolus.

Ad oculorum affectus. ℞. Vitrio. rom. ℥ij. alum. ℥iii. boli. ar. ℥ß. lithar. ʒj. Diſſol. in q. ſ. oxycr. & exſicca ad ſolem, aut igne rotæ, ſine ebullitione. Utendi tempore, Acc. pulv. ʒi. aquæ font. ℔iii. Probatum remedium mihi communicatum. Oculorum affectus.

Ad maculas, & nubes oculorum. ℞. Semi. ſeſeleos ʒi. ſem. fœni. ʒiß. ſacch. candi. ʒii. oſſis ſepiæ ʒiß. aloes ſoco. troch. albi Rhaſis, tuthiæ præp. ana ʒß. ſalis. armo. gr. 20. & amplius; ſecundum corporis naturam: Fiat pulv. ſubtiliſſimus in oculum inſufflandus. Oculorum maculæ,

Ad amiſſum odoratum. ℞. Nigel. rom. q. ſ. redige in pulv. & cum oleo veteri ſubigatur in mortario: Ex hoc liquore, capite ſupino, & ore aqua pleno, immitte in nares attrahendo ſpiritum. Galenus. Odoratus amiſſus.

Ad dolorem acerbiſſimum opthalmiæ. ℞. Pomi dulc. ſub ciner. cocti pulpam, ad ℥iiii. camph. ſcrup. j. cro. ſcrup. ß. aquæ roſ. & lactis mulieris, ana q. ſ. fiat cataplaſma. Bruele. Ophtalmia.

℞. Emulſio. factæ ex ſem. papav. cum lacte, aqua lactu. & decoc. fœnug. Eſt efficax in ophtalmiæ dolo. Sennertus. Aliud.

℞. Mucilag. ſem. pſyll. & cydonio. in aqua roſ. & plant. factæ ana ℥j. album. ovi bene conquaſſ. tantundem, camph. gr. v. miſta in oculos inſtillentur, à cauſa calida affectos. Idem. Aliud.

Ad fœtorem oris. ℞. Caryoph. nuc. moſc. cinam. galliæ moſch. cyp. ſpicæ, cort. citri, ligni aloës, ana ſcrup. iiii. moſchi gr. ii. Fiant pilulæ cum vino odorif. de quibus teneat unam in ore ſenſim deglutiendo. Bayrius. Oris fœtor.

Ad orthopnœam. ℞. Decoct. bothrid. confecti cum glycyrrhiſa & melle viol. aut ſaccharo ſumatur per aliquot dies: Eſt ſingulare remedium; etiam apoſtematibus pectoris, inquit. Matthiolus. Orthopnœa.

℞. Ol. amyg. dulc. recen. ℥ii. ſac. candi ʒii. fiat eclem. Thoner. Aliud.

Ad oſſa putrida, & fiſtulas profundas. ℞. Sulph. citrini ℔j. Liquefi. paulatim; miſce poſtea pulver. tarta. calcin. & Oſſa putrida.

ciner. clavellat. ana ℔ß. ſemper agitando, quouſque refrixerint. deinde ſupra porphyrium projiciantur, ut in liquorem diſſolvantur, quo oſſa putrida, etiam à lue venerea, intinges. Mirabiliter enim ea abſtergit, prius vino abluta, applicando poſtea chelidoniam contuſam.

Panaritium. Ad panaritium. Acc. ſempervi. majus, & allium, q. ſ. Piſtentur cum pauco ſale, & ſuperponantur. Liber arcan. Quidam allium coctum tantum accipiunt, quod valde prædicant.

Aliud. ℞. Sangui. talpæ, & pellis ejuſdem recen. q. ſ. digito involuta ad miraculum prodeſt. Helmontius.

Papillæ dolor. Ad papillæ dolorem. ℞. Vitel. ovor. ii. olei amygd. dulc. ℥ß. tuthi. præp. drach. ii. ceræ drach. j. Fiat ungu. Alexis. Valet etiam hoc ung. ad combuſta deſcriptum in C.

Paralyſis. Ad paralyſim. ℞. Folia taba. virid. Infu. in vino ſalvatico; hoc vino fricentur reſolutæ partes, poſt ſudores. Præſtat omnibus externis remediis. Hartmannus v. Balſamum.

Partum juvans. Ad juvandum partum Acc. bac. lauri, & junip. ana n. vii. cina. drach. i. toſtentur in ventre turturis, adipe gallinæ irrorati, & alternis diebus manducetur. Matthiolus.

Aliud. ℞. Myrr. caſto. ſtyrac. ana ſcrup. i. ſabi, & cinamo. ana ſcrup. ß. Cum melle deſpum. devorentur. Eſt ultimum remedium, Inquit Bayrius.

Aliud. ℞. Olei Karabes, viii. aut ix. gutt. iis unge umbil. Et eo tempore bibat mulier de eodem oleo gut. v. aut vi. in vino, & eadem hora ſtatim liberabitur. Beguinus. Aliud. 7. bac. lauri ante ſomnum devo.

Aliud. ℞. Borra. ʒi. ſcrup. i. aut ſcrup. ß. pro viribus. Cape cum ℥iii. aquæ arthemi. aut ſabi. aut vini gen. decoct. aperie. Auxilium generoſum & præſtantiſſimum vocat Zacutus.

Aliud. ℞. Jecor. exſicc. cum felle anguillæ, ad nucis avell. magnitud. Intra ſemihoram, ad minimum, fœtum excludit. Helmontius.

Aliud. ℞. Rutæ, bac. junip. ana ʒß. caryoph. nuc. moſch. ana ſcrup. j. bacca. lauri ſcrup. ß. mell. antho. ℥iß. olei de ſpicca, gut. vj. miſce & pone ſupra umbilicum. In partu laborioſo exper. eſt. G. Horſtius.

Poſt partum dolores. Ad dolores poſt partum. ℞. Olei lilio ℥iii. olei ſem. lini ℥ii.

la-

lana ſuccida iis imbuta, calide ventri ſuperponatur. Eſt ſingulare remedium, ait Matthiolus.

℞. Cepas. q. v. coctas cum vino, cum oleo poſtea frixæ in ſartagine, prius contu. applicentur calide ſupra ventrem, ſtatim dolorem ſedant; ait Bayrius: Aliud.

Ad pectoris apoſtema. v. Otthopnœam. Pectoris apoſtem.

Ad expurgandum pectus. ℞. Symph. major. ℥ii. folio. pulmon. & bothridis ana mß. decoquantur in aqua addendo in fine mellis quantum ſufficit ad gratam dulcedinem. Pectus expurgans.

℞. Adipis. anſer. capo. & buty. recentis ana coquantur cum floribus chæmem. & pectus calide ungatur. Liber. arcan. Aliud.

℞. Hydrom. ſimpl. ℔iß decoquantur in ea paſſul. purg. ℥i. caricæ ping. n. 10. rad. irid. floren. drach. j. Bulliant modicum; colaturæ adde ſacch. candi, & penidio. ana ℥iii. Valleriola. Aliud.

Ad pedum inflationes. ℞. Folior. ſamb. q. v. Coque in oleo cum ſale, & fove. Vel applica cepas contu. vel ſucc. ceparum miſce cum adipe gallinæ. Liber arca. Pedum inflatio.

℞. Sterc. vacc. q. ſ. decoque in vino ad formam catapl. & applica. Alexis Pedem. Aliud.

Ad penis carunculam. ℞. Fæcis mell. deſtillati, vel combuſti q. v. ponatur in forna. ad calcin. tres, aut 4. dies. Accipe hujus pulv. calc. ℥ii. ſterco. can. ʒii. tart. drach. ß. alum. combuſti tuthiæ, ſacch. ana ʒi. Omnia in pulv. tenuiſſ. redacta, cum ſucco folior. olivæ vino aſperſo. inter contund. & ſuc. planta. miſceantur ad ignem, ſemper movendo, pauca ceræ virid. & mellis roſ. addito, fiat unguentum cum candelis uſurpandum; prius abluta carnoſitate, vino decoctionis roſ. ſicc. & folio. plantag. videbis mirabilem effectum; inquit Alexis. Penis caruncula.

Ad penis inflationem. ℞. Ceruſ. ℥ß. olei roſ. ℥i. ſuc. portul. ℥iß. fiat linim. quo pars inflata illinatur. Liber arcan. Penis inflatio.

Ad peſtem; Curativum. ℞. Elect. diaſcord. ſcrup. iiii. pulver. rub. panonici ſcrup. j. ſyr. acetoſit. citri ℥ß. aquæ acetoſæ, & cardu. bened. ana ℥iß. Capiat bis in die, expectando ſudorem. Potus autem ſit decoctum cornu cervi uſti præpa. cum ſyrupo citri. Thonerus. Peſtis.

Aliud. Præſervativum. ℞. Aloës hepat. cinam. myrr. ana drach. iii. ligni aloës, maſti. boli. arm. ana drach. ß. Omnia in pulv. tenuiſſim. redacta, uſui ſerventur vaſe vitreo bene obtur. Doſ. drach. j. cum vino albo oligoph. Expertum in Anglia. Alexis.

Aliud. Curativum. ℞. Gran. hederæ quæ vergunt ad ſeptentrio. bene maturo. in pulv. redigantur in umbra ſiccata. doſi drach. j. cum vino albo provocando ſudorem. Expertum ſæpe ab eodem remedium. Quidam utuntur gra. junip. bene matur. in aqua coctis & per cetaceum tranſmiſſis ſumendo ad piſi magnit. pro præſervat; Et pro curat. addatur aliquid ſudorificum.

Aliud. Diagnoſticum. Agnoſcuntur peſte correpti, magna capitis gravitate, & ſomnolentia, cum ſtupefactione, cardialgia, vomitu, aut nauſea, inappetentia, cordis palpit. Cutis totius formicatione, febre comitante, quandoque non.

Aliud. Præſervativum. ℞. Rad. enu. camp. bene à fibris mund. q.v. decoque in aqua quouſque molleſcat, & per cetaceum tranſmitti poſſit; de qua accipe part. j. mellis deſpu. par. ii. & coque lento igne ad humiditatis conſumptio. doſis drach. j.

Aliud. Præſervativum. ℞. Cinab. & thur. par. ij. benioi. par. j. aqu. vitæ rectific. & aceti acerri. q. ſ. ad maſſam conficiendam. Acc. de hac compoſi. ad nuc. avellanæ magnitudinem, & mane ante egreſſum & ſero ingreſſus, recipe fumum ſub. ſubucula, à planta pedis ad vertricem. Curio de Briqueville.

Aliud. ℞. Rutæ. abſyn. chelid. ana mj. alii. cap. ij. ſemicontuſá, carioph. unciam. ß. aceti acerri qiß. ideſt menſuram, & dimidiam. Omnia infunde in menſura aceti prædicti, addendo ſalis pj. & coque ad conſumpt. tertiæ p. Deinde adde reliquum aceti: Et una, aut altera ebullitione facta, aufer ab igne, & refrigerata cola, & exprime fortiter: Expreſſ. adde olei de ſpica, & aquæ roſ. ana unci. ii. aquæ fortis uncis. iiii. Ex hac aqua, ſeu liquore, pone in vola manus, & digito madefac cerebri emunctoria retro aures, tempora, ſupercilia, ſub oculis, narium pinnas, labia, arterias manuum, & ipſas manus. Idem.

Aliud. Præſervativum. Acc. flores calend. manduca; vel cum oleo & aceto fac acetarium. Idem Curio.

Curati-

Curativum. ℞. Galan. zedoa. piper. lon. ana drach. i. angel. & hermod. ana drach. ii. Fiat pul. tenuiſſimus, de quo cum vino, cape drach. i. bis aut ter in die, ſecundum mali ſævitiam. Prægnantibus detur tantum angel. & zedoar. Idem Curio. Aliud.

Curativum, Succus flor. calendulæ potatus jejune, & fortiter ſudando, curat peſtem. Idem. Aliud.

Attractivum. empl. ℞. Gum. elemi. & galb. ana unciam iß. diſſol. in aceto ut artis eſt, & cum pulv. cantharid. & arſeni. ana drach iß. Fiat empla. maſſa, de qua fac. emplaſtrum rotundum volæ manus latit. & applica ſupra bubonem. Quod ſi bubo non appareat, ponatur empl. in coxæ ſiniſt. parte carnoſiore interna, & bubo intra ſex horas apparebit. Idem Curio. Aliud.

Præſervativum. ℞. Rutæ abſyn. menthæ, minutim inciſo. ana mj. caryoph. & cinamo. ana drach. ii. Infun. in aceti, aut aquæ vitæ ℔iß. Colat. ſervetur uſui: Ex ea enim ſpongia intra malum aureum concinnata perfunditur, & per urbem geſtatur, ſæpiſſime ad nares admovendo, poteſt etiam aliquid deglutiri, Liber arcan. Aliud.

Præſervativum. ℞. Menthæ, abſyn. chelido. ana pi. rutæ tantundem: inciſa cum rad. gentia. angeli. enulæ, totius torment. floreſc. leviter contuſ. infunde in duobus menſuris vini albi, una aquæ vitæ, & roſar. per 24. horas; deinde deſtilla in alembico vitreo. Acc. ex hac aqua quolibet mane in vola manus, & ante egreſſum exhauri; guttuliſque quibuſdam faciem fricand. illine, & ſpongia, ut dictum eſt de aceto, imbut. quo melior. eſt. Idem. Aliud.

Curativum. Acc. prædictæ aquæ Unciam iiij. hauriat, & optime ſudet, peſte ſine ſomno, correptus. Idem. Aliud.

Præſervativum. ℞. Folio. abſyn. abrot. fœni. rutæ, ulma ana mj. roriſm. orig. ſalv. ana mij. rad. angel. enulæ, petaſit. ana ℥ij, gran. junip. ℥j. caryoph. ℥ß. Contuſ. contunden. & inciſis inciden. Infun. in vaſe vitreo, cum aceti menſ. 5. aut. 6. per 15. dies ad ſolem, vaſe bene obtur. Hoc aceto, tempora, cerebri emunctoria, & nares illinantur, Curio, verſus Montempeſſulanum. Aliud.

Cu-

Aliud. Curativum. ℞. Folior. petaſit. tuſſila. beto. ana miij. ulmariæ, ſcabio. pimp. roriſm. morſ. diaboli ana mii. rutæ miß. abrot. fœni. card. bened. ana mii. rad. angel. enulæ camp. oſmun. rega. torment. ana ℥vi. gentia. rad. mor. diabo. ana ℥iii. ſem. coria. & gran. junip. ana ℔j. cinam. ℔ß. caryoph. ℥iii. Cum menſuris ſex aquæ vitæ infund. per 4. dies; poſtea deſtillentur in B. M. Doſis à ʒii. ad ℥i, & ſudor provocetur. Sumitur ʒj. ad præcautionem: Idem Curio, qui his uſus eſt feliciter.

Aliud. Quidam peritiſſimus in cura peſte correptorum, præſervatus eſt excipiens ante & poſt paſtum ſulphuris vaporem, cum infundibulo è papyro.

Aliud. Alius in lagenam vini diurni imponebat radicem Ellebori nec auferebat.

Aliud. Quidam in magno periculo conſtitutus, ſervatus eſt duobus fonticulis factis, in inguine bubonem habens. Applicavit ſcilicet folia ranunculi contuſa, in parte interna & carnoſa coxæ, veſicaſque, & ulcera excitavit, quæ tantum materiæ venenatæ quantitatem emiſerunt, ut ſervatus fuerit.

Aliud. Alius in axilla bubonem habens, applicavit in medio muſculi bicipitis, brachii ejuſdem lateris, folia ranunculi contuſa, ad nucis magnitudinem, circum inungendo nutrito, & more veſicatorii, ulcera aperta ſervando. Qui hæc exempla retulit, teſtis fuit ocularis.

Aliud. Bubonis attractivum. ℞. Rad. lilio. albo. aut cepam; coque in aquæ pauco, & porcino adipe non ſalſo, contunde cum theri. ʒij. & applica ſero, & mane.

Aliud. Sedans bubonis dolorem. ℞. Fuligi. ℥iiij. ſalis ſubtiliter pulver. ℥ii. vit. ovor. n. iij. miſce, & calidum appone.

Pleuritic. dolor. Ad dolorem pleuriticorum. ℞. Empl. de melil. ℥ij. ſtyra. rub. ʒj. ſpicæ nar. ſcrup. j. olei chamæm. ℥ß. olei terebinth. ʒiij: Addit. interdum ʒj. ſulph. vivi, & fit empl. Quod plurimum prodeſt. Inquit Valleriola. Hoc ego expertus ſum; præcipue in dolore lateris, poſt longum tempus perſeverans, à ſanata pleuritide, quem ſuſtulit, aliis fruſtra tentatis. v. Lateris dolorem.

Aliud. ℞. Ex albedine porri minut. inci. q. ſ. Frige parum in ſartagine,

gine, & applica ſupra partem dolentem. Multos juviſſe teſtis ſum.

Ad rumpendum apoſtema pleuriticorum. v. Empyema. Pleuritic. apoſtema.

Ad podagram ℞. Micæ pan. in lacte vacc. coctæ. ℔j. ſem. papa. nigri, fari. ſem. lini, ana ℥j. ſem. pſyll. ℥ß. olei roſæ, & chamæ ana ℥iß, croci ſcrup. j. fiat cataplaſma, probatum à Lotichio. Podagra.

Ad podicis dolorem in dyſenteria. ℞ Myrr. cro. ſtyracis calam. ana ʒj. opii ſcrup. ij. bdel. aloës, ana ʒß. ceræ q. ſ. Fiant balani, qui ſtatim dolorem ſedant, inquit Valleriola. Podicis dolor in dyſente.

Ad polypum. ℞. Succ. porri non ſati, q. ſ. cum pauco tartari & ceræ viridis fiat unguentum, de quo ſæpius in naſum intromittatur. Alexis Pedemon. Polypus.

Ad potum gratiſſimum conficiendum in febribus. ℞. Coria. præpar. ʒii. liquirit. raſ. ʒiii ani. ſcrup. ß. cinam. ʒii. decoque quibuſdam ebullitionibus, in aquæ menſu. iiß. Thonerus. Potus gratiſſimus.

Ad pthyſim. v. Remedium bothrydis in titu. Orthopnœa. & T. Pthyſis.

Ad conficiendum ptiſanam purgantem, quam regalem vocant. ℞. Paſſul. purgat. hord. integ. liquir. raſæ, capil. omnium ana mß. decoquantur in aquæ font. ℔iii.; deinde inf. folio. ſennæ mund. ℥ß. coria. præp. ʒj. pulpæ caſſiæ recenter extr. & tamar. ana Uncias ii. Colentur poſtquam refrixe. & cum ſerap. roſ. & ovi albumine clarificentur, pro 4: doſ. mane & ſero. Ptiſana regalis.

Ad pulmonis ulcera expurganda, & conſolidanda. ℞. Sacch. albi Uncias iii. ſacch. candi, & penidii. ana Uncias ii. decoquan. in aqua decoctionis hyſſo. fœni, & paſſul. ad conveni. glutinoſi, adde poſtea nucleo. pini mund. piſtac. recent. mundato. cauda. cancro. fluviat. aqua hordei coctar ana Uncias ii. iridis floren. ʒi. Miſce, fiat paſta regalis, qua eſt ſæpius utendum. Mirifice prodeſt, inquit Valleriola: interea utatur pro potu ordina. decocto deſcripto in titulo. Pectus expurgans; in quo bothris ingreditur. Pulmonis ulcera.

Ad quartanam. ℞. Myrr. ʒi. Cum vino genero. hauriatur hora ante acceſſionem; provocando poſtea ſudorem. Hoc remedio ſeipſum curaſſe teſtatur Matthiolus. Quartana.

Aliud.

Ad quartanam. ℞. Sacch. aquæ roſ. & aceti deſtil. ana Unciam j. miſce, & bibendum dato incipiente parox. probatum remedium. Vidi quidem hominem quartanam fugaſſe, ſumpto aceto ſolo deſtillato cum mica panis, ſed tanta tormina paſſus eſt per tres dies ut è vita diſceſſurus crederetur; ſed prior modus cum ſaccharo & aqua roſ. ſecurior.

Aliud & quotid.

℞. Cort. rad. ſambu. Unciam i. azari ʒiii. cinam. ʒiß. coque in lacte, & propinetur paroxiſmo incipiente: Movet ſimul & ſemel, vomitum, & ſeceſſum. Quercetanus.

Aliud.

℞. Sagap. præp. ʒvi. ammo. ſimiliter præpar. ut docet. Quercet. in Phar. reſtit. cap. 14. ʒiii. extr. troch. alhan. ʒi. ſcam. præp. drach. ß. ſalis gem. ſcrup. ß. Cum ſyrupo viol. form. pilulæ cicer. magnitud. Detur una in princip. parox. continuando per aliquot dies, ungendo ſpinam dorſi, ante deglut. pilu. vel paulo poſt, oleo laurino, vel ther. in aqua vitæ diſſol. Si autem humores præpar. prius fuerint, melius eradicabitur febris. Quercetanus ex Camillo Medico Italo: Ad cujus exemplum, multas poſtea hoc remedio curavit quartanas.

Quotidiana febris.

Ad quotidianam; pulvis cito ſolvens materias phlegmaticas & ventoſitates. ℞. Maſtich. ani. Zingib. ana ʒi. turbiht ʒiii. doſ. ʒi. cum vino. Bayrius.

Aliud, & quartana.

℞. Olei ſem. abſyn. ſcrup. j. vel ʒß. ſumatur cum liquo. convenienti; Et ſi oleum non ſit in promptu, cape ſucci abſyn. cochlear. j. cum vino; Hoc autem inſtante paroxiſmo, ad ſudandum ægroto bene cooperto. Erneſtus.

Aliud, ad quar. & alias febres.

℞. Suc. rad. fœnic. ℥iiij. Cum ſacch. dulcor, & jejune propinetur in aurora, decem diebus continuis, Zacutus, qui plurimis in lecto bene coopertis ait ſudores plurimum moveri; Aliis lentæ pituitæ ſcreatum; Aliis ructus fœtidos, & crepitus. Facile, ſed utile vocat auxilium.

Aliud.

Acc. cor leporis recenter exciſum, vino lavetur, & in furno exſiccetur; Fiat pulv. pro tribus inſequentibus paroxiſmis, cum aqua card. bened. exhibendus. Experim. Lotichii, ex G. Horſtio.

Rabidi canis morſus.

Ad rabiem, contra morſum canis rabidi. ℞. Ciner. cancr. fluvia. verorum, diebus canicul. luna exiſtente debili cremat. ʒx. genti. ʒv. thur. ʒj. Fiat pulvis: Doſ. ʒj. vel cochlear j. &

ij.

ij. in progreſſu morbi, aqua ſolut. Continuando per 40. dies, & ſequens emplaſt. applicando. ℞. Aceti acerr. ℔iß. picis ℔j. opopan. ℥iii. Fiat empl. nulli, prædicto pulv. utentes, & empl. perierunt, teſte Galeno.

Acc. halecem crudam, & ſalſam, applica, & triduo renova. Remedium certum Batavorum, inquit Helmontius. Aliud.

Ad raucedinem. ℞. Deco. puleg. dulcor. ℥vj. iturus cubitum, & ſanaberis, bis aut ter faciendo; inquit Liber arcan. Raucedo.

℞. Syrup. eryſimi Matthei Lobelii. utere. Hunc vocat laudatiſſimum arteriarum, quo antiquas raucedines ſe curaſſe affirmat. vide ejus deſcriptionem, lib. 2. prac. part. 3. cap. 4. Sennerti. Aliud.

Ad renum affectus. ℞. Rad. alth. ℥ß. cicer. rub. mß. Fiat juſculum cum butyro, aut melle. Renum affectus.

℞. Ciner. trunco faba. fiat ex eis lixivium, coletur per manic. Hippocr. dulcor. ſacch. & aromat. cinam, de quo ℥vj. propi. Ab atroci dolore renum, in febre dupl. tertiana ſubintranſum libratus hoc auxilio. ex Guido. à Gauliaco, quod provocat urinas; vias mundificando, pus & arenulas expellendo, & menſtrua provocando; Inquit. Aliud.

Ad lapidem renum, & veſicæ. ℞. Aquæ ſtillat. ſterco. bovis menſe Maïo collecti, nec humidi nimium, nec ſicci ℥iiij. vini gener. albi, in quo rad. rapha. minut. inciſi infuderit ad ſolem per 24. horas, ℥ij. aquæ fraga. ℥j. ſucci. limon. ʒj. pulv. virgæ aureæ tantumdem, ſacch. fruſtulum; Fiat potio, cujus mirabilem effectum, expertus eſt Alexis in quodam nobili viro, qui multa lapidum fruſtula ejecit. v. titulum. Lapis. Renum lapis.

Ad renum ulcera. ℞. Caudæ equi. plantag. roſ. rubr. ſeminis alkekengi, altheæ, glycyrh. raſæ, ana ℥j. jujub. ſebeſt. ana ʒvj. ſem. frigid. ana ʒiij. ſem. papav. albi ʒvj. ſem. cydonio. ℥ß. Infun. per biduum in ſeri capr. ℔vj. addita boli arm. ℥ß. deinde deſtil. Propinabis jejuno ℥iiij. quandiu morbus duraverit. Expertum à Guidone remedium. Renum ulcus.

℞. Troch. Gordonii ʒij. propinentur cum hordei decocto, vel ſero capri, ſi mundificandum; vel lacte ovillo, ſi glutinan. Et ſi pus craſſum, cum mulſa. Aliud.

Rigor febrium. Ad febrium rigorem chronica. ℞. Succi plantag. q. ſ. bibatur cum aqua mellis. Eſt mirabilis, inquit Bayrius.

Aliud. ℞. Aſſæ fœt. rut. caſt. ſatureiæ ana ſcrup. ij. ani. fœn. ana. ſcrup. j. Confice cum melle, & detur drach. j. cum mero, ante paroxiſ. Idem.

Sanguinis fluor mulieb. Ad ſanguinis fluxum muliebrem. ℞. Album. ovi, cum fuligi. antiqua per cetaceum tranſm. & parum aceti, incorporentur ad formam linim. quo ſpongia imbuta in vulvam indatur. Liber arcanorum.

Aliud. ℞. Atramenti optimi, q. ſ. eodem modo utere, per tres aut quatuor vices. Idem.

Aliud è naribus & utero. Applica bufonem magnum, Junio menſe baculo tranfixum acuto, & in umbra exſiccatum ſupra hæpar ex Joan. Hurnii & experientia Joh. Friderici Ducis Saxoniæ, in hæmorrhagia deſperata è naribus, aut utero v. Hæmorrhag. in tit. H.

Aliud ex naribus. ℞. Aceti fortiſſ. & croci mart. ana drach. ij. colcoth. drach. j. miſce, & ſtupa aceto madef. pulv. conſperſa indatur naribus. Ottho. Heurnius.

Aliud, & vulner. ℞. Campho. drach. j. rad. torment. boli arm. veri, ana drach. ij. Fiat pulvis tenuiſſ. quo ſtupa aceto madef. imbuatur & radici narium, aut vulneri indatur. Ex ſecretis Ottho. Heurnii.

Aliud ex naribus. ℞. Succi ſterco. aſini, & ſyru. myrti. ana ℥ß. aquæ plantag. ℥j. & neſcienti exhibeatur. Væſius Luſit. ut refert Roderic. â Caſtro, qui hæmorrhagiæ obnoxius, pulverem ſtercoris aſini, modice exſiccati, ferebat in pixide; nec ullum aliud ſimile expertum eſſe ait, præſertim ſi recens; vel ſiccum cum ſucco urticæ permixtum, naribus admoveretur. Sennertus.

Aliud. ℞. Farinæ ſecal. & fuligi. q. ſ. cum aceto, & albu. ovi fiat frontale. Vel fiat ex ſucco urti; & de ipſo etiam cum goſſyp. indatur narib. v. frontale de telis aranea. lib. 3. cap. 13. Enar. 4.

Aliud. ℞. Atrament. q. ſ. intige linteum, & teſticulos obvolve. Expertum remedium. Aq. plant. ℥iij. olei vitrio. ſcrup. ß. ſang. ſput. ſiſtit. ſubito Hartman.

Aliud. ℞. Lacrimar. maſtich. criſtallinæ, drach. j. in pulv. redac. cum vino albo propinetur ad ſiſtendum ſanguinem, è quacumque parte fluat. Liber arcan.

Ad ſanguinis mictionem. ℞. Pulv. millef. ℥j. boli arme, drach. j. cape cum lacte vaccino tribus diebus continuis, plurimum prodeſt; Inquit Matthiolus. v. Mictonem ſanguinis. Sanguinis mictio.

Ad ſanguinis ſputum ℞. Philon. perſi drach. j. lapid. hæmati. & boli arme. ana ſcrup. ij. pulver. diaire. ſimpl. drach. ß. ſucci plantagi. depur. ℥j. decoc. hord. & plantag. q. ſ. ad diluenda omnia. Sanguinis ſputum.

Syru. cap. vener. ʒj. capiat ſub noctis initium. Valleriola. Aliud.

℞. Irid. flor. maſti. electri, croci, ana ℥iij. & drach. vj. opii præp. drach. v. cum mucilag. ſem: pſyll. fiant paſtilli: doſis ʒß. Galenus. Hoc remedio infinitos curavit Chriſtoph. A Vega. valens ad choleram. Aliud.

℞. Succi urticæ ℥iiij. Quinque, aut ſex diebus continuis, mane bibatur jejuno ventric. & ipſa urtica juſculis incoquatur. Ægri depoſiti à Medicis, hoc remedio convaluerunt. Amatus Luſit. v. remedium tormentil. ad menſes albos, quod valet etiam ad hoc. Aliud.

℞. Pulver. millefo. ʒij. Propinetur cum ſucco. plantagi. Multum juvat, & multo magis ſuccus; Inquit Matth. Aliud.

Ad ſarcocelen. ℞. Opopa. ſerap. ammo. galba ana ℥j. olei philoſoph. q. ſ. diſſol. gum. in aceto roſ. & cum oleo philoſoph. fiat empl. prius iterum coctis gum. cum aceto, in quo ſunt diſſoluta. Hoc emplaſtrum toti herniæ appone, trib. aut quatuor hebdomadis; cujus in loco idoneo, tandem apoſtema colligetur, quod per ſe rumpetur, & ſub empl. hoc, reſolvetur. Aperto apoſtemati emplaſtrum attractivum ex gum. & coloph. imponendum. Hujus multæ fomulæ in meis ſcriptis inveniuntur. Inquit Paracelſus. Sarcocele.

Ad ſcabiem fiat ungu. ex ſulph. bacc. lauri, & Ellebo. ex Helmontio. pag. 115. n. 55. ubi plura de ſcabie. Scabies.

℞. Corii veteris calceorum; comburantur, & oleo roſac. pulvis ſubigatur. Experimentum vidit Tho. Bartholinus. hiſt. anato. centu. 6. hiſto. 73. Aliud.

℞. Calc. vivæ recentis; projice in aquam bullientem: Aquam ſupernatantem poſt reſidentiam filtra. Acc. ℔j. in quam bullientem diſſol. drach. j. merc. dulcis. Hartmannus. Aliud.

Ad ſcrophulas. ℞. Folia cupre. nec duriora nec teneriora: Scrophula.

Tortivo vino conſperge, & contundantur donec in corpus coëant, & applica ſupra ſcorphulas. Hollerius Uſus aliquando remedio iſto, in quodam pedis tumore, qui de natura lupiarum videbatur, & ſanatu difficilis; ad ſuppurationem perduxit.

Aliud ad apertas.

℞. Sublimati præp. ℥j. ſari. volat. ℥iß. cinab. drach. iii. ſangu. draco. drach. j. Cum aqua roſ. fiant troch. qui in foraminibus ſcrophularum ponentur: Eſt admirabile remedium, inquit Liber arcanorum qui docet etiam ſublimati præparationem; hoc modo. ℞. Sublimati q. v. pone in alembico vitreo; ſuperinfunde ſucci ſempervivi q. ſ. ut duobus digitis excedat; deinde evaporetur ad ſiccitatem.

Aliud ad utraſque.

℞. Rad. brion. quæ ſit magna & bene nutrita, ℔ß. In taleol. minutiſſimas ſectam frige in ſartagine quouſque contabeſcant. Cola; adde terebinth. abietis ℔ß. ceræ ℥v. Fiat. ungu. quod eſt valde viſcidum, ſupra ſtrumas cum panno lineo appones, mane, & veſperi; vel enim ſtrumas reſolvit; vel ad ſuppurationem deducit, tandemque ſanat ulcera; Nunquam fallit, ait Zacutus cum juramento. v. curationis proceſſum. lib. 1. prax. admi. Obſer. 101.

Aliud purgans.

℞. Agar. euforb. præp. turb. zinzib. ana. Cum ſucco irid. noſtræ formentur pilul. Capiat j. quolibet die mane, ita ut venter bis dejiciat ad minimum. Quod faciendum dum externæ ſcrofulæ curantur.

Secundina.

Ad ſecundinæ ejectionem. ℞. Aquæ mel. card. bened. & buglo. ana unciam j. borrac. ſcrup. j. trochiſc. de myrr. drach. ß. fiat pot. Liber arca.

Aliud.

℞. Succi ſter. equi cum vino expreſſi. hauſtum: ſubito & fœtum & ſecundinam expellit. Hartmannus. Experimentum vidi pro ſecundina in muliere, cujus vires erant omnino dejectæ, quæ paulo poſt eam ejecit.

Aliud.

℞. Pilorum jubæ equi minutim inciſorum. q. ſ. ſuper carbon. accenſos injiciantur, & fumus excipiatur. Liber arcan.

Aliud.

℞. Carab. ſcrup. j. dictam. puleg. cinam. ana ſcrup. j. borra. ſcrup. ß. caſtor. ſpicæ nar. myrrh. rub. ana gr. viij. croci gr. ij. Fiat pulvis, quem præſtantiſſimum vocat Zacutus. lib. 3. prax. hiſto. in obſer. cap. 19. ſeque multas mulieres, in agone poſitas,

tas, ait liberaſſe. Doſis drach. iß. in vino, cum ſaccho.

Ad ſecundinæ ejectionem. ℞. Myrr. unciam ß. cinamo galb. caſ. ana drach. ß. opopan. ſcrup. iiij. hellebo. nigri ſcrup. ii. cum melle fiant paſtil. ad ſuffumigium. Mercurialis. Secundinæ.

Ad ſeminis fluxum. ℞. Roſa. ſylveſt. exſiccata, drach. j. cum vino rub. hauriatur. Eſt ſingulare remedium, inquit Matthiolus. Seminis fluxus.

Ad ſennæ præparationem purgantem ſine igne. ℞. Folio. ſennæ mund. q. v. Ponatur in lagena vitrea ſatis capaci, & ſuper infunde aquam vitæ cinamo. tinctura impraegnatæ, ita ut quatuor aut 5. digitis excedat: Deinde vaſe bene clauſo, ſinatur per biduum, & poſtea utere. Doſis, cochlearia duo cum juſculo. Sennæ præpar.

Ad morſum ſerpentum. ℞. Suc. herbæ cornu cervi q. ſ. cum vino generoſo propinetur. Expertum remedium; ait Matthiolus. Serpent. morſus.

Ad ſingultum contumacem à cauſa frigida. ℞. Diagal. drach. j. ellebo. nig. ſcrup. iiij. nuc. moſc. cinamo. ana ſcrup. ß. Fiat infuſ. per 12. horas in vini malvat. ℥v. & hauſtus. Bruele. Singultus à cauſa frig.

℞. Buty. recen. parum ſaliti ℥ij. ſem. atripl. hord. & amygd. dulcium, ana ℥j. oxymel. ſimpl. ℥ij. Fiat hauſtus, qui multum juvat. Idem in materia acri, & mordente. v. ſtoma. dolorem. Aliud. à cauſa calid.

℞. Olei ex ſem. anthi, gutt. iiij. olei amygd. dulc. ℥ß. fiat hauſtus. Ad ſingultum nullis remediis cedentem, hoc unum habuit Ottho Heurnius. v. Zacutum de potu nivis, quo ſolo ſanatus eſt ſingultus. lib. 2. de medico. Princip. hiſt. obſer. 13. hiſt. 75. Aliud.

℞. Laud. opiati gr. iij. theri. veteris drach. ß. conſ. roſ. drach. j. Pertinacem hoc remedio ſanavit ſingultum Greg. Horſtius. Aliud.

Ad ſomnum concilian. ℞. Amygd. dulc. & nucleo. perſic. ana n. 16. ſem. papav. albi, & cannab. ana ℥j. aceti roſa. unciam ß. pulv. cariop. ſcrup. j. camph. gr. v. Fiat emulſ. pro frontal. Lotichius. v. telas arane. in F. Somnum concilians.

℞. Allii cap. ij. opii, unciam j. Simul contu. deſtil. in B. M. Guttula j. aut altera mirabiliter ſomnum conciliat. Langius Aliud.

in

in Epiſtolis. v. remedia doloris cap. à cauſa calida. lib. 1. cap. 1.

Soporoſi affectus. Ad ſoporoſos affectus. ℞. Aquæ vitæ, q. ſ. grano. junipe-rei mij. macera per triduum: Colat. facta, impone ſalv. puleg. naſtur. & croci ℨj., detur patienti, & ſtatim loquetur, ait Hartmann.

Soporoſi affectus. Ad ſoporoſos affectus. ℞. Angel. zedoar imperato. ana ℥j. folior. beto. ſalv. roriſm. ana mj. ſatureiæ, rutæ, major flor. lavend. ana mß. bacc. lau. & junipe. ana ℥iß. Coquantur in aceti. q. ſ. & cum ſpong. aut ſtupis, capiti raſo. fiat fotus. mirum quantum auxilii afferat ſoporoſis affectibus, inquit Riverius.

Spirandi difficultas. Ad ſpirandi difficultatem ex aſthmate. ℞. ficus n. 12. hyſſop. ſerpil. ana mß. Inciſa bulliant in aquæ ℔j. ad duarum partium conſump. Colat. adde aquæ roſ. ℔ß. & tantumdem ſaccha. & bulliant parum. Doſis, cochlearia duo mane jejuno ventriculo, poſt prandium, & ituro cubitum. Liber arcanorum.

Splenitici. Ad ſpleniticos mirabilis propriæ urinæ potus, ex Avicenna lib. 2. trac. 2. cap. 175. de urina. v. Lien. & cap. de ſpleniti. lib. 3.

Sanguinis. v. Sanguinis ſputum. Sterilitas. v. Fœcunditas. Stomachi dolor, &c. Ad dolorem ſtomachi, ſingultum, & vomitum. ℞. Panis mediocriter toſti, q. ſ. maceretur in vino malvat. ſucco. menthæ. & ſuc. abſynt. q. ſ. pulv. nuc. moſch. drach. ij. Fiat catapl. Sedat hæc tria, inquit Bruele.

Aliud. ℞. Vitellum ovi recens, cum pulv. 4. aut 5. caryoph. calide devoretur, ad ſtomachum dolentem, & vomentem. Liber arcan.

Stomachi ulcus. Ad ſtomachi ulcerationem factam à medicamento acri, ſanatus eſt quidam, gummi tragac. uſu, cum aqua flor. roriſm. mixto; ut teſtatur Thomas Bartholinus. hiſto. anatomic. centu. vj. hiſto. 21.

Stranguria antiqua. Ad ſtranguriam. ℞. Mulſæ in qua magna quantitas glycyr. coquatur, adde lithontri. folia malvæ, viol. gum. tragac. & arab. Primo ſtatim potu juvat, inquit Lambergius, qui ait hoc remedio ſe curaſſe intolerabiles cruciatus.

Aliud, & iſchuriæ. ℞. Olei ſucci. rectif. gutt. vj. capiat cum aquæ petroſ. cochlea. ij. aut iij. vel cum juſculo gallinæ: Magnum eſt præſid. Thonerus.

Ad

Ad ſtrumas. ℞. Spong. mar. in carbonem combu. ℨiii. oſſis ſepiæ uſti, pip. longi, zinzib. pyreth. gallar. ſal. gemmæ, calcis teſta. ovorum, ana ℥ß. miſce cum aqua ſtillat. ex præfatis ſpongiis, & exſiccentur paulatim. Acc. hujus pulv. ℨß. ſacch. ℥ß. decreſcente luna, ut paulatim liquatus deglutiatur; vel fiat illitus, & boccinum diſparebit; ut ipſe Helmontius vidit experientia unico menſe ſanatum. v. Tumor durus. Struma ſeu boccium.

℞. Excreſcentiam piloſam, ſylveſtribus roſetis innaſcentem, exteriori cortici caſtaneæ perſimilem, hirſutam, hiſpidam, qua in pulverem redacta, eodem modo feliciter multi uſi ſunt; ait idem Helmontius, qui uſus eſt etiam ad boccium, & ſchyrrhos remedio Evonimi deſcripto titulo B. ad bronchocelen; ſed alia doſi, quæ mihi magis placet, ut ℞. Olei laur. veri ℥viii. thur. maſtich. gum. arabi. terebinth. abietis ana ℥iii. deſtilla & ℔ß. ciner. clavellat. addita, iterum deſtilla. Aliud.

Ad ſudorem provocandum. ℞. Rad. aza. q. v. cum oleo leniter decoquatur, vel ad ſolem infundatur: Eo ſpina dorſi, & plantæ pedum calide ungantur. Matthiolus. Sudorem provoc.

℞. Decoct. milii. cum paſſulis, & ficub. Nobile ſudorificum, & diureticum vocat Ottho Heurnius. Eſt ſyru. ſancti Ambroſii. Aliud, & diureti.

℞. Cornu. cer. uſti, & præp. pulv. rad. torment. ℨi. aquæ cardui bened. ℥iiii. Fiat hauſtus: Quo mane ſumpto, commode ſudavit ægrotans, inquit Lotichius. Aliud.

℞. Confect. alker. ℨß. troch. de viper. gr. iiii. lap. bezoar gr. vii. theria. vet. ſcrup. ii. aq. cinamo. ℨii. aquæ card. bened. fuma. ana ℥i. fiat hydroticum, in ſuſpicione malignitatis Idem. Aliud, in malignit.

℞. Surculo. ficus, in fruſtula incidantur ad ℔j. decoque in vini ℔i. & aquæ ℔iß. Doſis ℥iiii. mane, in hydrope: Egregie ſudo. movet, ut aſſeruit mihi vir quidam Religioſus. Aliud, in hydrope.

℞. Decocti milii ad crepatu. cocti ℥iiii. vini albi ℥ii. exhibe calide ægrotanti. vocatur ſyrup. ſancti Ambroſii. Poteſt fieri cum aq. ſudorifica. Aliud.

℞. Sulph. par. ii. nuc moſch. piiij. miſce fiat pulv. detur ℨi. Expertum à Riverio remedium. v. Matricis ſuffocatio. Suffocatio uteri.

℞. Campho. fruſtulum, accenſum in aquam injice, & ſine Aliud.

comburi: de hac aqua, da cochlear unum. Præſtans ait eſſe remedium Riverius: Ego tamen non inveni: Propter fortaſſe cauſarum, & partium ab eis affectarum varietatem. v. cap. de Hyſte. paſſio. lib. 3.

Suffuſio. Ad ſuffuſionem, & maculas tunicæ adnatæ. ℞. Pingued. coturnicis, q. v. miſce cum ſucco quinquef. florem album gerentis, & inde in oculum, applicando deſuper ſtupam, aqua roſ. cum ovi alb. & bolo, imbutam, uſu compertum remed. ab Ottho. Heurnio. v. Cataractam.

Surditas. Ad ſurditatem. ℞. Aquæ vitæ ℥ii. adip. ſerpen. unciam. j. miſce in lagenula, per tres dies dimittendo, deinde guttulam per intervalla in aurem immitte, cotone obturando. valet antiquis ſurditatibus. Liber arcan.

Aliud. ℞. Rad. rapha. ʒiij. rad. ellebo. albi gr. ij. caſto. pyreth. ana ſcrup. ß. Bulliant modice in vino gener. & guttu. i. aut ii. in aurem injiciantur cum ſtylo ligneo Bruele. Hoc remedium expertus ſum in nobili muliere, quæ in febre continua ſurda facta, auditum non recuperaverat, nihil omnino audiens, quæ eodem die quo uſa eſt hoc remedio, æris campani ſonum ſubaudivit, & deinde auditum pedetentim recuperavit.

Suſpenſi. Ad ſuſpenſos, aut ſuffocatos, etiam ſi ſpumam emittant. Da bibendum acetum mulſum cum pipere, aut acetum cum pulvere puleg. vel pipere. Tres ſervatos vidit Chriſtoph. A Vega.

Syncope. Ad ſyncopen ex ſuperpurgatione. v. Hypercatharſis titu.

Tabes. Ad tabem, pulvis Haly tantopere decantatus, à Foreſto emendatus. ℞. Papav. albi ʒiß. gum. tragac. tantundem, ſem. alth. port. melon. cucum. citru. bomba. far. orob. ana ʒiiß. pulv. cancro fluviat. coral. albi uſti, liquir. ana ʒiß. ſacch. penid. ad pondus omnium.

Teneſmus. Ad teneſmum. Fiat ſuffumig. ex thure, & ſanaberis; inquit Matthiolus. v. Podicis dolor. 1. titulum. v. cap. 7. lib. 3. de dyſent.

Aliud. ℞. Juſc. vervec. cum gutt. aliquot olei ceræ, ad drach. j. injiciatur, mirabilis eſt, inquit Hartmannus.

Tertiana. Ad febrem tertianam. ℞. Olei pip. gutt. iiij. myrr. elec. ſcrup. j. Nebulis invol. capiatur, duab. horis ante parox. Si non

non prima, ſecunda vice febrem feliciter curat.: ut expertus eſt Erneſtus.

℞. Allii, fuligi. aceti. ſalis, axung. croci, uniuſcujuſque parum: Fiat miſtu. quæ in parte carnoſa. 1. articulat. digiti Medici applicetur; ſæpe tollit. Aliud.

Ad teſticulorum duritiem antiquam. ℞. Bdel. ammo. ſerapini in aceto diſſoluto. ana ʒiii. mucilag. ſem. alth. fœnug. lini, ana ʒi. flor. chamæm. & melil. alth. fœnug. lini, ana ʒi. flor. chamæm. & melil. ana mß. cumini unciam. ß. Tribus ultimis pulver. cum decoc. ficu. multum coctis. fiat catapl. addendo fari faba: unciam ß. Quod eſt optimum & expertum, compoſitumque à Bayrio. Teſticulo. tumor durus

Ad tineam. ℞. Pulv. torm. bellici. & ſulph. vivi, cum oleo antiquo fiat paſta: Qua ex tribus infantibus juniorem curavi, ſine ulla repullulatione. Tinea.

℞. Zingib. uncias iii. decoqu. in aceti acerr. ℔ß. & buty. tantundem, quouſque acetum ſit conſump. Deinde contund. & cum butyro fiat unguentum, quo mane & ſero tinea unguatur; & intra quatuor, aut quinque dies ſanabitur; inquit Liber arcan. Aliud.

Ad tinnitus. ℞. Teneras lauri ſummit. in vino decoquantur cum nardo indica, & vapor cum infundibulo excipiatur. Multum juvat; Inquit Matthiolus. Tinnitus.

Ad tormina poſt partum. ℞. Olei chamæ. anethi. & amygdal. dulc. ana ℥ii. ſacch. rub. mel. antho. ana unciam i. vitel. ovor. ii. juſc. gallinæ ℔. ſem. fiat clyſter. Thonerus. Tormina poſt partum.

℞. Olei amygdal. dulc. exhibe cum juſculo gallinæ. Experimentum Thoneri. Tormina infantium, & aliorum.

Ad tremorem. ℞. Caſto. pyreth. cinamo. ana ʒi. pulp. colocy & ſerapi. ana ſcrup. iiij. hieræ pic. ʒii. Cum liquo. conveni. fiat maſſa; Doſis ʒi vel ſcrup. iiij. & ſunt mirabiles; ait Bayrius. Interea utendum. ℞. Myrob. nigr. ʒvii. ſem. ſabinæ ʒii. oliba ʒiv. cyperi, coſti, cala. aromat. ana ſcrup. iiii. Omnia in pulv. redacta, cum paſſulis fiant formulæ magnitudine nuc. moſch. ſingulisque matutinis unam ſumat; Et eſt expertum remedium. Tremor.

Ad tumores duros. ℞. Gum. ammo. parum contuſi. q. v. pro- Tumores duri.

projice in vas vitreum, ſuperinjiciendo ſucc. cicutæ, & aceti ſcylliti. ana q. ſ. ſtent infuſ. 6. aut 8. diebus. Acc. iterum cicu. ſuccoſæ minutim inciſæ mij. olei amygd. dulc. uncias iii. Coque lento igne ad conſump. fere humiditatis: Colentur, & fortiter exprimantur; adde ceræ no. ℥ii. His peractis coque ammoni. infun. donec diſſolutum fuerit, coletur, & coquatur lento igne ad ſpiſſitudinem. Tandem oleum prædictum cum cera admiſce, & ſemper agita, donec frigeſcant, ſerveturque emplaſtrum in vaſe vitreo. Experimentum Fabricii Hildani.

Aliud, pro hepate. ℞. Conſ. flor. marrub. cum melle paratæ, q. ſ. Capiat mane ægrotus ℥j. per 40. dies, ſuperbibendo parum aquæ ſtillat. ejuſdem marrubii cum radice. Vir nobilis, cui nulla profuerant auxilia, hoc remedio ſanatus eſt, ex duro tumore hepatis; teſte Zacuto. lib. 2. prax. admir. obſerv. 48. v. Lien, & Struma.

Tuſſis. Ad tuſſim à materia craſſa, & frigore. Uteré decocto rad. angeli. præparat humores ad ſpuendum. Matthiolus.

Aliud. ℞. Ziziph. macerentur in ſpir. vini donec valde turgeant. Acc. i. aut ii. mane & ſero mirabilis vis eis ineſt præſervandi à tuſſi Hartman.

Aliud. ℞. Oxymel ſcyllit. olei amyg. dulc. ℥ß. utriuſque ſpecie. diair. ſimpl. ʒj. ſacch. can. ʒiij. olei ani. gutt. v. aquæ hyſſo. & veron. ana ℥iß. Lotichius.

Tympanites. Ad tympanitem. ℞. Empl. de bacc. lau. ſterco. capra. ana ℥iiij. ſem. cumi. & carui. ana ʒiij. olei nard. & rutæ. ana q. ſ. ad malaxandum. Idem. v. Hartman. de flor. tapſi barba.

Ventriculi dolor. Ad ventriculi dolorem. ℞. Nuc. moſch. cinamo. caryoph. mac. galan. ana ʒiß. maſti. ʒvj. cum peſtillo calido fiat Empl. quod eſt optimum, ad dolentem, debilem, & refrigeratum ſtomachum. Liber arcanorum.

Aliud. ℞. Nuc. moſch. decoque in mellis roſ. ℥vj. & aquæ ℥ij. ad aquæ conſumpt. doſis cochlear. iij. jejuno ventriculo: Prodeſt mirifice. Matthiolus.

Aliud. ℞. Tria gr. maſti. devorentur ante ingreſſum lecti: Proſunt mirifice, ex eodem Matth.

Aliud. ℞. Olei amyg. dulc. recen. ʒiij. ſyru. papav. ʒiiß. philo. ʒß. vini

vini malv. ℥ij. Fiat potio; qua æger multum levatus eſt à dolore ſtomachi, unaque capitis, cum diarrhœa, & ſiti; inquit Lotichius. v. Stomachi dolor.

Ad ventum utero incluſum. Acc. nucem moſch. non vitioſ. divide in quatuor partes; projice unam ſuper carbones accenſos, & fumum excipiat mulier per infundibulum terque repete. Hoc remedio, Bernæ mulierem juvenem curavit Hartmannus. Ventus uteri.

Ad vermes fugandos, & enecandos: decoque in aqua argentum vivum, & bibat ægrotus de hac aqua. Innoxio potu eos enecat; ait Helmontius. Quod expertus ſum. Quidam argentum vivum in cochleari ferreo ad prunas calefaciunt, & candens in aquam projiciunt. Quidam plumbum liquant, & liquatum in aquam projiciunt, quæ eſt pro potu ordin. Vermes.

Ad verrucas. Acc. talpam viventem, per medium incidatur, & cum ſanguine manus fricentur, & ſuperponatur. Exper. ab homine mihi notiſſimo remedium. Verrucæ.

℞. Cineres cort. ſalic, cum aceto mixti ſuperponantur, & ſanabuntur, Inquit Matthiolus. Aliud.

℞. Chelid. majo. folia; contunde, & applica. Hoc multoties expertus eſt Zacutus. Aliud.

Accipe ſpeculum ardentem: congrega radios lunæ; & eas ſimileſque excreſcentias irradia, donec frigus ſentiatur: Sponte evaneſcunt; Inquit Helmontius. v. remed. de pomis, pagi. 125. n. 27. notatu dignum, apud eumdem. Aliud.

Ad vertiginem. v. remedium Incubi in litera J. Et remedium in lienis tumore ultimo deſcriptum. Vertigo.

Ad veſicæ dolorem qui non eſt à lapide. v. remedium truncorum fabarum, in litera R. Veſicæ dolor.

Ad lapidem veſicæ. ℞. Pulv. Oniſcor. ſeu porcellorum ʒß. uſque ad ſcrup. iiij. aquæ vitæ ʒj. uſque ad ʒiiij. juris cic. rubro. ℥j. Miſc. hanc. mixtur. exhibe totam ſingulis diebus mane, quinque horis ante paſtum; Injiciendo ante ſumptionem, enema emolliens, & lene, niſi alvus ſit libera. v. reliquum curæ apud Hartmannum. titulo. Calculus veſicæ, in pract. chymi. Et in comm. baſili. chymi. Crolii. in nephriticis. Veſicæ lapis.

Vires inſtaurans.

Ad vires inſtaurandas. ℞. Juſculi q. ſ. vitel. ovo. n. ii. vini alb. parum cinam. & ſacch. q. ſ. miſce. Valleriola. Utitur etiam aqua cordiali.

Viſus debilitas.

Ad viſus debilitatem. ℞. Suc. fœni verb. chelido. ana uncias. iii. capi. hirundi. n. ii. mellis Opti. uncias. iiii. urinæ pue. impub. q. ſ. aqu. fœnic. fraga. beton. ana uncias. ii. folior. rutæ mß. Fiat aqua per deſtillat. De qua injice aliquot gutt. in oculum ituri cubitum.

Aliud.

℞. Tuth. præp. aloës ſocoto. ana ʒiii. ſacc. can. uncias ii. aq. roſa. uncias. ii. vini albi genero. uncias. vi. Omnia inf. in vaſe vitreo bene obtu. per menſem ad ſolem, movendo ſemel, aut bis in die. Gutta i. aut ii. mane, & ſero, oculis immitte. Ex conſultatione pro Imperatore, qui viſum fere amiſſum recuperavit.

Aliud.

℞. Ligni ſancti raſp. ℔i. ſalſæ par. ℥ii. cort. ejuſdem lign. ℥iii. aquæ fon. & vini ana ℔v. mellis opti. ℔ii. rutæ, eufra, chelid. ana miß. cina. & ſant. citri ʒiii. folior. ſennæ ℥ii. Fiat ſyru. ſecundum artem ex colat. Doſis cochlear. ii. aut iii. quolibet mane vacuo ſtomacho. Cardanus. Hoc remedium commendat Greg. Horſtius lib. 2. de ſanit. tuenda. Ex reſiduo decocti, fit potus ordinarius in eadem quantitate aquæ, & vini.

Ulcus.

Ad ulcera antiqua, emplaſtrum mirabile, & in tibiis, mammis & aliis in locis. Secretum cujuſdam familiæ, mihi communicatum.

℞. Beto. agrim. verb. niceti, pimpin. fabæ craſ. morſ. galli. flor. purpu. gerentis; ana miß. Parum contu. bulliant in vino lento igne, ad mediæ par. conſumpt. vaſe ſatis capaci, & obturato; deinde per diem relinquantur, parumque poſtea igne lento excalfacta exprimantur, & per cetaceum tranſmittantur deinde bulliant in cacabo igne lento, injiciendo ceræ fruſtulatim inciſæ ℔. ſem. ſemper agitando, donec liquefiat: dein immitte reſinæ pini albæ in pulv. redactæ ℔i. ſemper agitando. Et poſtquam parum bullierint, adde maſtich. pulv. ℥i. movendo per ſemiquadrantem, & ab igne remota terebinth. ℥. iii. qua liquefacta, fiet emplaſtrum.

Ad ulcera colli veſicæ. matric. mentulæ. v. titulum Matricis ulcera.

Ad

Ad vocis amiſſionem. ℞. Suc. menthæ, diſſolve cum aliquot caryophillis, & da bibendum. Vir religioſus. Vocis amiſſio.

Ad vomicam pulmonum. ℞. Rad. aperie. ℥ß. cicer. rub. ℥ß. ſemi frigid. majo. ana ʒi. ſem. apii. & petroſ. ana ʒß. ſcabio. ceterac. bothrid. cap. vener. ana mi. Fiat apoz. Horſtius ſenior. Vomica pulmonis.

Ad vomitum. ℞. ſalis abſyn. card. bened. pelliculæ interi. ſtoma. gallinæ ana gr. iii. lap. bezoar. gr. v. marg. præp. tantumdem. cape cum aqua menthæ criſpæ. Interea applicetur cruſta panis toſta aceto irrorata, & pulv. maſt. & nuc. moſch. probe aſperſa. Lotichius. v. Enarra. 1. lib. 3. cap. 7. de dyſent. Vomitus.

℞. Rhab. elec. ʒii. rhapont. ʒi. aloës hep. per. noctem ſuc. roſa imbibitæ ʒiß. roſ. ſcrup. i. maſti. ſcrup. ii. criſt. præp. ſcrup. ß. myrob. citrin. ſcrup. ii. cinam. & gum. arab. torreſ. ana ſcrup. i. cum ſyr. myrt. fiat maſſa pilul. de qua ii. capiat quolibet mane. Expertum à Zacuto remedium, aliis multis fruſtra tentatis. Aliud.

℞. Picis part. iiii. olei cydon. pi. Fiat dropax, quod eximie ſiſtit vomitum; Inquit Bruele. v. ſtomachi dolorem. Aliud.

℞. Aquæ menthæ ℥ii. ſemel, atque iterum ſume. Enormes ſiſtit vomitus, ait Hartmannus; Et quod ſucc. cydonior. crudi cochlear. i. miraculoſe eum ſiſtit; Et lauda. opiatum, ubi alia nihil profuerunt. Ego ſuc. cydo. expertus ſum. Aliud.

℞. Aquæ ſtill. urti. major ℥vi. ſpir. vitrio. q. ſ. ad largam aciditatem. Mirifice reſtringit; teſte Hartmanno. Aliud ad ſangu. vo.

℞. Pulv. rad. azari, à ʒß. ad ſcrup. iiii. Capiat cum hydromel. aut oxymelite. Vomitorium.

℞. Decoc. rad. azari, aut ſeminis, ℥iiii. Propinetur poſt cibos pingues, & liquidos, eoſque diverſos. Rondeletius, in Iſchiade. Aliud.

℞. Olei amyg. dulc. ℥iii.: Cape cum juſculo. Ter exhibuit Thonerus in febre maligna, ſemper cum levamine. Aliud. & lene.

Ad ardorum urinæ. v. Dyſuriam. Stranguriam. Et obſervat. 4. lib. 5. cap. x. Urinæ ardor.

Ad urinæ difficultatem, ſeu dyſuriam. Utitur Helmontius ſpir. ſalis hiſpalenſis, quolibet mane, cum vino pridie ex vaſe deprompto. Quo non ſolum mortales ſenum ſuſtuliſſe ſtran- Urinæ ſuppre.

gurias

guriâs affirmat, ſed & lapides in veſicam delapſos, qui mora grandiores facti exitu prohibebantur, extenuaſſe, & ad exitum præparaſſe. v. pagi. 702. n. 28. v. cap. de lapi. veſicæ.

Urinæ ſuppre. Ad Provocandum urinam. ℞. Sem. lithoſp. ℥i. folior. Lamii mi. Infun. in aquæ biſm. q. ſ. Forti expre. facta, diſſol. ſyru. altheæ ℥ii. Fiat julep; capiat hora ſomni. Mane autem facto ℞. Succ. fol. pariet. ℥iii. clarifi. & cum ſyru. de althea ℥ii, fiat julep., & capiat. Interea ℞. Olei amygd. dulc. pro litu perinæi. Hoc remedio, urina 8. dieb. ſuppreſſa, proſiliit.

Aliud. ℞. Salis ex truncis fabar. confecti gr. viii. Cape cum aliquo liquo. convenienti. Quod ſi ſal non ſit in promptu; fiat lixivium clarifi. ex cineribus, & ℥vi. cum ſyr. de alth. ℥i. capiantur.

Aliud. ℞. Syſimb. aquat, cort. rad. raph. & petroſ. ana mß. contundantur, & cum butyro recenti ℥ii, & pauco vini fiat catapl. pectini calide applicandum. Matthiolus.

Aliud. ℞. Gum. ceraſor. utere cum vino albo. a proprietate, expellit quod eſt in meatu urinario: Inquit Bayrius.

Aliud, ex grumo ſan. ℞. Coag. lepor. ʒi. coag. hœdi ʒß. aquæ rad. aperienti. ℥v. ſyru. cap. vener. ℥i.: Fiat potio. Interea foveantur pubes & inguina; præcipue autem interfemineum, aceto acerri. calido; vel ex eo fiat inſeſſio. Experim. Zacuti, cap. de epilep. Quam grumus ſanguinis urinas intercipiens efficiebat.

Uteri hydrops. Ad uteri hydropem, cujus cauſa eſt vitium alicujus viſceris; pulvis cachecticus poſt purgat. antimoniales, omnem paginam abſolvit: Si vero cauſa hydropis eſt à ſero è vena cava defluente, ſpecificum eſt martis vitriolum. Doſis gr. i. cum ii. ſacch. ex vino, aqua arthemi. aut matric. ſumptum per 20. & 40. dies veſperi ante cibum, donec ceſſet affectus, valet etiam ad uteri ſuffocationem. Hartmannus.

Aliud. ℞. Cort. rad. ruſci; Infu. copioſe in aqua, & mane, & ſero, potetur per ſe, & cum vino, ex eaque fiant juſcula, aliique cibi, & panis paretur. Unius menſis ſpacio curatæ ſunt duæ mulieres referente Bauhino, ex Monſpelienſi Chirurgo Cabrol. qui ad hydropem tantum propinabat. v. cap. de ruſco Bauhini in hiſt. plant. to. 1. pag. 182. 1. part.

Uteri ſuffocatio. Ad uteri ſuffocationem. ℞. Aquæ de meliſſa compoſitæ,

2. aut 3. cochlearia: vel ſpirit. matricalis campho. gut. 6. aut vij. cum aqua meliſſæ: Experim. Toneri, qui has compoſitiones in calce ſui libri de obſerv. deſcribit.

℞. Empl. facti ex galb. & tacama. q. ſ. applicetur infra umbilicum. Idem. Aliud.

℞ Agar. electi ʒiij. elate., & eſulæ præp. ana ſcrup. ß. ſpicæ nar. maſti. roſ. rub. cinamo. ana ʒß. aloës ʒiß. irid. floren. ſcrup. j. caſto. ammo. galb. ſagap. ana ſcrup. ß. myrr. cro. ana ʒj. ſtyb. præp. ſcrup. j. cum ſuc. matric. merc. & aqua vitæ; fiat maſſa pilul. De qua unam, aut alteram capiat per menſem, trib. horis à cœna. Inter tot præſidia, hoc unum habebat Zacutus familiare, & probatum ad præſervationem. Aliud.

Ad uteri procidentiam; utere emplaſto Zacuti, deſcripto lib. 3. prax. hiſto. in obſerv. cap. 13. Quod pectini, & lumbis impoſi. mirifice uterum roborat, confirmat, humiditates exſiccat, & retinet in ſuo loco. Multa eſt, ut illi mos eſt, hujus emplaſtri partiaria materia, ideo remiſi ad ſuum Authorem, qui de eo ait ſe firmum habere experimentum. Uteri procidentia.

Ad relaxationem uvulæ. ℞. Aquæ plantag. & equiſeti ana ℔ß. roſa. cor. granat. ana pi. ſem. cydon. ʒi. Fiat decoct. diſſol. diamo. & dianu. ana ℥iß. ſyru. de pap. & mel. roſa. ana ℥ß. ſuc. granat ℥i. Fiat gargar. ſæpe probatus à Lotichio. Qui de eo tepide jubet aliquando bibere; Et pulv. nidi hirundinum, cum fari. ſem. lini cocto in formam cataplaſmatis, collo circumpoſito, multos curavit. Uvulæ relaxatio.

F I N I S.

EPITOME
DE NATURA
ET VIRIBUS AQUARUM ET THERMARUM BARBOTANENSIUM IN COMITATU AUSCITANENSI, SEU D'ARMAIGNAC.

Olim idiomate gallico, à NICOLAO CHESNEAU *Maſſilienſi, Doctore Medico, conſcripta; nunc vero, propter doctrinæ conformitatem, ab eo latinitate donata.*

AD LECTOREM.

IAM pridem adhuc Medicinæ candidatus, degens per biennium juxta Thermas de Barbotan; frequens eram in caſtello, ſæpiſſimeque diſſerens cum Domino loci, de earum natura, & viribus, ſuadebat ut de illis aliquid ſcriberem; Cujus voluntati ſatisfacere volens, propter ejus ſingularem in me benevolentiam, ſtudioſe in poſterum ſollicitus fui, in indagandis omnibus, quæ ad harum Thermarum, & ejus aquæ notitiam, pertinere videbantur; ſive deſtillando; ſive ſabuli, ubi fontes paſſim ſcaturiebant, accurata inſpectione; ſive cum iis, qui ad eas ab aliquo affectu liberandi veniebant, confabulatione. Quibus abſolutis, cœpi libellum conſcribere de natura, & proprietatibus harum Thermarum, gallico idiomate exaratum. Nunc abſoluto meo opere de obſervationibus Medicis, in quo paſim aquæ thermales præſcribuntur, & balneo, & potu; operæ pretium duxi, ad ejus calcem, hoc Compendiolum latinitate donatum apponere; in quo omnia quæ ad potum aquarum mineralium requiruntur, & quæ ad uſum Thermarum, dum pro balneo adhibentur, neceſſaria ſunt, accurate deſcripta inveniuntur. Vale.

EPI-

EPITOME
DE NATURA ET VIRIBUS AQUARUM ET THERMARUM BARBOTANENSIUM.

Caput Primum.

OPERA Domini ſine delectu conſideranti, licet mirabilia, ut ait Propheta, appareant omnia; Inter ſe tamen collatis, & uno quoque ſingulatim accepto, videbitur in quibuſdam magis, quam in aliis ſe admirabilem præbuiſſe; Ita ut nemo ſit, qui non agnoſcat intelligentia donatum, ceteris ea carentibus longe præſtare; ſicut & viventia non viventibus; hoc tamen ordine ex Galliæ Apoſtolo, ut infimum ſupremi, attingat ſupremum infimi: Unde unum & idem opus, reſpectu quorundam, vile, & abjectum videbitur; cum aliis tamen collato, præcipua quædam ab Authore ſuo accepta, invenientur in eo. Quemadmodum ſi quis vellet conſiderare elementa, habita ratione intelligentiarum, quanto inferiora adverteret; è contra autem, quanto ſublunaribus ſuperiora inveniret; etiam, auſim dicere ipſis viventibus; licet ex Philoſophorum doctrina, minimum ex viventibus, perfectius ſit ceteris non viventibus. Si enim conſideretur natura elementorum, quæ ex ſe eſt incorruptibilis; quis viciſſitudini, & omni ſubditæ corruptioni non anteponet? Illa firma eſt, & ſtabilis; hæc mutationi ſemper obnoxia, & perpetuo caduca. Præterea ſi entia quo ſimpliciora, tanquam perfectioni magis proxima, nobilitate antecellunt iis, quæ ſunt magis compoſita: Quis inter ſublunaria, primum locum non dabit elementis; cum per antonomaſiam, quatuor corpora ſimplicia vocentur. Deinde quid ſuper terram, quid in aëre, quid in terra pulchrum, & oſtentatione dignum eſt, quod elementis acceptum non referatur? Unde tot qualitatum varietas, in coloribus, odoribus, ſaporibus, & aliis, niſi ex

De Elementorum excellentia.

D. Diony. lib. de cœli hierar.

 mi-

miſtione ſubſtantiæ, & qualitatum elementorum? Ita ut nihil in ſublunaribus admiratione dignum ſit, quod à quatuor his principiis non ſit derivatum; Imo ipſi cœli, flos elementorum vocantur ab Ariſtotele. Corpus etiam noſtrum, quid non habet ex elementis, præcipue ex eorum ſententia qui aſſerunt elementa eſſe in miſtis ſecundum ſuas ſubſtantias; numquid ex ipſis componetur? ſicut & præcipuum animæ inſtrumentum, quo ipſa indiget ad ipſum informandum; materia ex qua componitur, dilucide id oſtendit, præter communem conſenſum eorum, qui de ſpirituum generatione, ſcripſerunt: Quod perpendens, non miror Galenum dixiſſe: Mortalem ſpeciem animæ, non ſolum ſequi temperamentum, ſed etiam ipſum eſſe temperamentum. Temperamentum, quod non vult conſiſtere in ſolis qualitatibus, ut quidam imaginantur, ſed, ut ait paulo inferius, ex commoderata aëreæ, igneæque ſubſtantiæ miſtione conſiſtens. Ex illius itaque ſententia, ſublunaria omnia, licet viventia, præter hominem, qui inter ea non recenſetur, nihil habebunt, quod aliquid ſupra elementa illis tribuat, niſi ea quæ ab ipſis elementis mutuata ſunt.

Caput II.

Aquam ceteris elementis longe præſtare.

Si quis elementi alicujus excellentiam, ex ejus ſitu ducere vellet; primus gradus ſine dubio, igni eſſet tribuendus, tanquam in ſuperiori loco poſito ut creditur: Sed hunc elementorum ordinem, aliis de cauſis factum eſſe, exiſtimantibus, alibi quærendum eſt, unde habeat aqua, quo ceteris elementis præſtare dicatur. Nam ſi ignis contiguus fuiſſet terræ, quomodo aduſta dediſſet fructus? quomodo etiam animalia gradum firmaſſent ſuper eam? Præter hæc, ut ait Sapiens. Ita Deus res ordinavit, ut unum ſit contra unum, & duo contra duo; Ideo rerum ordo, & conſervatio poſtulabat, ut frigidum, opponeretur calido, & ſicco, & quod intenſe humidum erat, ſicco incumberet: ut unumquodque melius ſe tueretur, & qualitatibus ſibi contrariis reſiſteret; eo quod

Frigida cum calidis concertant, humida ſiccis.

Propterea ignis calidus in ſummo, & ſiccus in remiſſo, poſitus eſt

eſt ſecundum lunæ ſpheram, quam adurere non poteſt; inferne habuit juxta ſe aërem, qualitatibus illi contrariis donatum, eſt enim aër, ſecundum opinionem veritati magis conſonam, etiam ex noſtro Galeno, frigidus in ſummo, & humidus in remiſſo, ut igni poſſet reſiſtere, & duo eſſent contra duo. Cum igitur expoſitione elementorum; non arguatur eorum prærogativa; oportet, ignorantes, ut ait Ariſtoteles, ultimas rerum differentias, ex aliis inquirere fontibus; ex proprietatibus ſcilicet, & vario uniuſcujuſque uſu: Quæ quidem proprietates, & uſus, facile nobis demonſtrabunt, aquam inter elementa, præcipuam æſtimationem ſibi vendicare. Primo quidem, omnium elementorum maxime eſt aqua neceſſaria, ad vitam animalium; nullum eſt enim quod ea carere poſſit: Multa ſine terræ adminiculo vivunt; multa non indigent reſpiratione; In igne vero nihil ſine deſtructione manere poteſt. Poſſem hic quaſdam Plutarchi rationes afferre, ſuper quæſtione: Utrum aqua ſit igne magis neceſſaria? Quia autem utrinque allatis rationibus, dubium lectori ſolvendum relinquit, harum narrationi ſuperſedebo, ſequentes tantum addens, ut concludam in gratiam elementi noſtri humidi. Prima eſt, aquam omnium viventium eſſe procreatricem; ſecundum illud Geneſ. 1. Producant aquæ reptile, & volatile ſuper terram. Et Geneſ. 2. Nondum germinaverat terra virgultum, quia nondum pluerat Dominus ſuper terram. Quod quidam antiqui Philoſophi agnoſcentes, arbitrati ſunt aquam omnium rerum eſſe principium, ſecundum antiquitatis oraculum.

Ωκεάνον δὲ θεῶν γένεσιν καὶ μήτειρα Θέτιν.

Secunda ratio quæ aquam præ ceteris elementis commendabilem facit, hæc eſt, quod electa fuerit ut inſerviret baptiſmatis Sacramento, ſine quo nulla ſalus; ex quo uſu dilucide oſtenditur, aquam aliquid peculiare habuiſſe, ut ipſa ad hoc opus ſola adhiberetur. Prætermitto aquam luſtralem Eccleſiarum; Sicut & quod Antiqui capillos ſuos fluminibus conſecrabant, hoc uno ſolo contentus; Non eſſe mirandum aquam tot habere prærogativas, cum Geneſ. 1. habeatur, quod Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

Caput III.

De mirabilibus quæ de aquis prædicantur.

Natura ita ſe in operibus ſuis commendabilem præſtitit, ut acutiſſimi Philoſophi eorum cauſas indagantes, defecerint in cogitationibus ſuis; ita ut quidam præcipites ſe dederint in mirabilia quæ ſcrutabantur, ut ab his exciperentur quæ concipere non potuerant. Nam ſive in conſiderandis quæ ſurſum conſpiciuntur verſetur animus; ſive ſuper terram divertatur; ſive his quæ in aquis accidunt diſtineatur, tot occurrent illi admiratione digna, præcipue in hoc ultimo, ut omne quod ſcriptum eſt de aquis ſtupendum, volumen non caperet. Q. Curtius narrat de quodam fonte, qui oriente ſole tepidus eſt, frigidus evadens circa meridiem; deinde paulatim calorem accipiens efferveſcit in media nocte. Theophraſtus ait de flumine Crathis, quod boves, & verveces potantes dealbat; quod etiam accidit hominibus. Scribit Seneca de fluvio Linceſte quod ſi quis nimis ſitiens de eo bibat; tanquam vino ſepultus inebriatur. Legitur etiam ſtagnum eſſe in Media, ſupra quod liquor quipam innatat, ex quo ſi quis ungatur, flammas concipit, ſi ad ignem accedat: Hic liquor ille eſt, de quo loquitur Seneca in tragœdia Medeæ, quem illa adhibuit, ut Jaſonis amaſiam flammis conceptis de medio tolleret, conſulens ei aſtute, ut diis in templum victimas oblatura diſcedens, floream corollam geſtaret, hoc liquore inunctam. Libro ultimo de bello Judaïco Joſephi, ſcriptum reperitur de fluvio Sabatico, qui abunde ſex diebus hebdomadæ ſuas aquas tradit; die vero ſabathi, eas omnino retinet, ita ut ejus alveus appareat ſiccus. Prætermittam hîc quod dicitur de quadam Arcadiæ aqua, quæ eſſet ebrioſis valde idonea, in quam ſi quis immergatur, nequidem vini odorem ferre poterit. Tacebo quoque vim mortiferam aquæ, in regione Leontinorum, de qua ſi quis biberit, ſtatim moritur; ſicut & de quodam ſtagno verſus Sauromatas, quod aves nequidem tranſvolare poſſunt. Nunquam demum finem facerem, ſi quæ de aquis prodigioſa narrantur ſcribendo perſequi vellem; Plura tamen ſcire volentibus, ad Senecam, & Plinium remittens, aliquid dicam de aqua probatoria Judæorum, qua ute-

Lib. 4. de reb. geſt. Alexan. mag.

Lib. 7. cap. 14.

utebantur etiam quidam Chriſtiani, ipſis ex decreto Stephani v. interdicta: Habebant enim Judæi librum, ſeu ſchedulam zelotypiæ, in qua Pontifex execrationes quaſdam ſcribebat, eaſque poſtmodum in aquam quamdam amaram radebat, & abluebat, mulierique de cujus fide maritali ſervata vir dubitabat, potandam exhibebat; quæ quidem ſi eſſet innocens fœcunda reddebatur, nihil nocumenti ex ea accipiens: Si vero adultera, ſtatim poſt exhauſtam aquam, ipſius oculi contorquebantur, & toto corpore ad genua complicabatur, ac tandem poſt diros viſcerum cruciatus, media diſrumpebatur, toti populo præbens exemplum; ut habetur in ſacris literis. Nume. cap. 5.

CAP. IV.

Aqua apud Juriſconſultos, cum Ulpiano in Digeſt. Alia eſt viva, alia ſtagnans: viva, alia eſt perennis; & hæc dividitur in fontes, puteos, & flumina: Alia eſt temporaria, quæ non omni, ſed certo quodam anni tempore fluit, ut aquæ pluviæ, & torrentes. Aquarum ſtagnantium quinque ſunt genera; ſcilicet, lacus, qui pro maxima quantitate ſumitur aquæ ſtagnantis: Secundo ſtagnum, quod minorem quam lacus habet aquæ quantitatem. Tertio foſſa, quæ in longum quieſcentem aquam continet. Quarto eſt piſcina, quæ piſcibus ſervandis eſt inſtructa. Et quinto ciſterna, quæ aquam ſtagnantem à pluviis acceptam continet. Ex his omnibus aquis, ſanitati magis conducibilis, eſt quæ à fonte perenni effluit. Ad hanc maxime accedit aqua fluminum, præcipue cum purificata bibitur; quemadmodum in Egypto fit, & in pluribus urbibus, quas fluvius Rhodanus alluit; propterea vocantur Rhodani potores: juxta illud Poëtæ.

De aquarum differentiis. Lib. 43. à titu. 11. ad 21.

—— me peritus
Diſcet Iber, Rhodanique potor.

Horatius.

Aqua ciſternæ, quæ à pluribus præfertur fluminum aquis ordine, tertia eſt; Oribaſius enim, ait pluviales aquas leves eſſe, ſubtiles, & puras, guſtuique dulces, citoque calorem, aut frigus concipere, res etiam quæ in eis coquuntur, brevi tempore elixari; quæ omnia bonitatem aquæ, qualiſcumque ſit:

Ex collect. ex Rufi. commen. de aquis.

ſit, oſtendunt: Galenus tamen lib 4. de tuen. valet. eas nullo modo approbat; Quia autem Hippocrates lib. de aëre, loc. & aqu. optimas vocat, dicendum eſt Galenum loqui de iis quæ idoneo tempore non colliguntur, & cum delectu, rejicientem eam, quæ à ventis excitata tempeſtate decidit, quæ nihil valet ad potandum, ut ab eo ſcriptum habetur Commen. in. lib. 6. Epide. præcipue quæ ex glacie, & nive liquatis fiunt, quæ loco citat. pernicioſæ vocantur ab Hippocrate; non laudante, ut opinor, niſi quæ decidit quieto cœlo, præcipue autem æſtate, & cum tonitru ſine procella: Quod confirmatur ab Oribaſio, dum ait: Ex pluviis autem aquis, æſtiva, quam horæam vocat Hippocrates, quæque ex tonitru fit, præſtantior eſt, quam quæ nimbis eſt demiſſa: Quare non eſt tantopere laudanda ciſternarum aqua, niſi ſtudioſe colligatur, ex dictis minus præſtat, tanquam gravis, & imbecillum ſtomachum lædens, ſua frigiditate difficilis alterationis. Quantum ad aquas lacuum, & quliſcumque generis ſtagnantium, piſcibus alendis, & aliis uſibus potius ſunt relinquendæ, quam ad potum adhibendæ. Nunc autem, cum de aquis quæ magis potui conveniunt diſſeruerimus, fontiſque aquam aliis præſtare dixerimus; reſtat demonſtrandum, quibus notis melior aqua fontis dignoſcatur: Quarum prima deducitur ex Hippocrate, dum ait, quod Aqua quæ cito calefit, & cito refrigeratur, leviſſima. Præcipua enim nota potabilis aquæ, levitas eſt; quod ad literam non eſt accipiendum, ut vulgus hominum, & quidam Medici faciunt, qui aquæ bonitatem alicujus fontis agnoſcere volentes, libra, aut ſtatera, experiuntur. Nam quemadmodum cibus aliquis, dicitur eſſe gravis ſtomacho, cum ab ipſo moleſtatur, licet pondere ſit leviſſimus, ut fungi: ſic cum ab aqua epota, nihil moleſtiæ percipit ſtomachus, inteſtina cito pertranſeunte, ſine torminibus, & flatuum generatione, hæc aqua dicitur leviſſima, quia ejus frigiditas cedit ſtatim calori ſtomachi, unde dicitur ab Hippocrate cito calefieri. Secunda nota quam debet habere aqua fontis, ut inter optimas recenſeatur, hæc eſt, ut omnis qualitatis ſit expers: Non ſolum quæ guſtu percipiuntur, ſed & odoratu, puraque ſit, & limpida. Tertia eſt ut ſit frigida æſtate, & calida heyme. Ultimum vero, ut

Aphò. 26. ſect. 5.

ut fontis ſcaturigo ſit verſus orientem, qua parte diebus æſtivis ſol oritur, & colle terreo potius fluens, quam ex ſaxoſo, quia ſaxa crudum quidpiam aquis impertiunt, & lapidis in quamdam naturam, in corpore noſtro convertibile. Quare quæ ſupradictis dotibus invenientur dotatæ, his utendum, tanquam in ſupremo gradu exiſtentibus: Nam quæ fluunt ad ſeptentrionem crudiores ſunt, multoque magis quæ vergunt ad occidentem, eo quod ſol oriens, fontem ejus non reſpiciat, niſi cum jam multum provecta eſt dies, unde locus, non ita cito à vaporibus nocturno frigore depreſſis liberatur, non adeo ſalubris exiſtit locus nec fertilis, ut ille qui reſpicit orientem, aut in planitiebus poſitus: Aquæ vero quæ ad meridiem fluunt propter ſolis moram nitroſæ evadunt, & quod ſubtilius eſt evaneſcit: Quod ratio eſt cur Oriſibaus dicat: Aquas quæ ad meridiem fluunt, non laudo. Sequens in hoc Hippocratis authoritatem, qui eas ultimo loco collocat, & peſſimas vocat.

Lib. de aer. loc. & aqu.

CAPUT V.

De cauſa perennis caloris aquarum mineralium.

MUlti nimia curioſitate ducti, in indaganda ignis ſubterranei cauſa, imprudenter ad loca, in quibus illa latere credebatur, accedere volentes, ſpreti periculi pœnas, morte luere coacti fuere. Sic Empedocles, cum paulo propius ad montem Ætnam acceſiſſet, & Plinius ſecundus ad montem Veſuvium, poſteritati monumenta fuerunt, vitam cum morte commutantes, id deplorandum audaciæ, & temeritatis pignus; licet tamen præ oculis hæc habeamus exempla, nequidem ab indagatione cauſæ deſiſtendum, cujus interventu Aquæ Barbotanenſes, & aliæ ejuſmodi incaleſcunt, etiam ſi eſſet ab igne accenſo, ut quidam putant, cum antidotum propius ſimus habituri; adde quod nobis res erit cum aquis alterius generis, quam cum illis de quibus egimus cap. 3. Quarum quædam, ſolis vaporibus mortem inferunt: Aliæ quibus inuncti flammas concipimus: Aliæ vero quæ potæ, inſcios toxico inficiunt: Tantum abeſt ut hoc efficiant, quin potius in pluribus morbis profligandis uſu recipiantur. Quod autem nos magis in admirationem rapit, calor eſt perpetuus iſtarum aquarum, unde is oriatur, &

quænam ſit proxima ejus cauſa. Qua de re, tam variæ ſunt ſententiæ, ut admodum ſit difficile, certum quidpiam de hoc pronunciare. Quidam crediderunt ventos in locis ſubterraneis incluſos, cauſam eſſe ejuſmodi caloris: Quod de ſimplici calore ſtare non poteſt, licet cum ignis eſt accenſus, tanquam flabellum eum ventilando excitent, eoque modo cauſa eſſe poſſint, non autem de calore ſine igne accenſo. Alii aſſeruerunt ejuſmodi calorem accidere ex colliſione aquarum inter ſaxa. Quibuſdam viſum eſt radios ſolares illud præſtare: Aliorum fuit opinio lapidibus calcariis aquas incaleſcere. Quidam denique paulo melius philoſophantes, continui caloris aquarum ejuſmodi mineralium, cauſam eſſe ignem ſubterraneum accenſum ſtatuerunt: Quæ quidem omnes opiniones, præter hanc de ignibus accenſis, licet falſam, multis in locis, ita ſunt à veritate alienæ, ut rudes, & imperiti de hoc judicium ferre poſſunt: Qua propter in iis refellendis non morabor, ſed tantum in ea quæ ignes ſub terra accenſos, aquarum mineralium calorem perpetuo fovere contendit. Quod mihi ſemper impoſſibile viſum eſt in aquis mediterraneis, licet quidam Neoterici poſt Empedoclem, & alios, hanc tueantur ſententiam: Quoniam hoc repugnat hujus elementi naturæ, quæ eſt libertatis amatrix, ita ut ſi coerceatur, prorumpat cum horrendo ſtrepitu, qualis in tonitru auditur, cujus fragor tantum hominibus incutit timorem, ut crediderunt Antiqui, hoc fieri non poſſe, niſi à potenti Jovis manu, unde Poëtæ ſemper tonantis epithetum illi tribuerunt.

Vitruvi. l. 8. Apul. de mundo.

Agrico. Pontan.

Cœlo tonantem credidimus Jovem. (Horat.)

Et alius.

Soror tonantis, hoc enim ſolum mihi nomen relictum eſt. (Seneca. Tragi.)

Ab igne etiam, ſi ſub terra ſubito accendatur, urbes integræ evertuntur, ut quondam Tantalis, urbs ſpecioſa, & divitiis affluens, Sypilo Magneſiæ urbs in Regno Neopolitano, cujus abyſſus odorem ſulphuris exhalabat, ut mihi anno 1628. narratum eſt à quibuſdam Italis peregrinantibus, hunc libellum tunc conſcribenti. Credendum itaque materiam alendæ flammæ idoneam, ea concepta, alere non poſſe, quin vel extinguatur, ſi coërceri poſſit, aut impetu facto terram concutiat, mon-

monteſque interdum, & urbes evertat; ità ut ignis ſub terra accenſus, nullam ſubſiſtendi rationem habeat, ſine ſpiraculo. Quemadmodum apparet in locis, de quibus Plinius ſcribit lib. 2. cap. 106. In quibus ignis ſemel accenſus ſpiraculum habere debuit, ut ſe oculis manifeſtaret, adeo aeris fruendi deſiderio tenetur: Quod cum non accidat in omnibus fere locis, in quibus aquæ thermales conſpiciuntur; coactus ſum fateri, ejuſmodi aquas incaleſcere, materiæ alicujus ſulphureæ beneficio, potius quam ignibus ſub terra accenſis. Ut colligitur ex Ariſtotele, Seneca, Plinio, Claudiano, & Albert. Magno. Quamvis enim concederem ſubterraneos accenſos ignes, uti ſunt in aliquibus locis: Vellem ſcire quodnam eorum ſit pabulum, an aliud ſit à materia ſulphurea. Quidam Neoterici, ne inviti cogerentur abire in ſententiam eorum, qui ſulphuris fodinas, & aquarum mineralium calorem fovere, & ignibus accenſis ſubterraneis, ubi ſunt, pabulum ſuppeditare affirmant, alium ſubſiſtendi modum ignibus comminiſci voluerunt; ſed in vanis perquiſitionibus laſſati, dixerunt ignes ſubterraneos modo ineffabili conſervari, Deo in hoc oſtendere volente, quam mirabilia ſint opera ejus. Egregii ſane Philoſophi, in hoc ſtantes, ut opera arcana naturæ, ejus Authori referant: Neſcire, ut ait Fracaſtorius univerſaliſſimas cauſas ignavi & ruſtici ingenii eſt, medias vero inquirere, & ad proprias niti quantum homini datum, Philoſophi certe eſt. Nihil igitur in viſceribus terræ inveniri poteſt, alendo igni ſubterraneo idoneum, niſi materia ſit quædam ſulphurea, ut deducitur ex Plinio, & aliis qui hac de re ſcripſerunt: Neque alia inveniri poteſt materia, quæ non ſit pinguis & oleoſa: Nam ſulphur, ut ait quidam ex noſtris, terræ adipem, ſeu oleum appellant, quicumque metallorum naturas perſcrutantur: Quapropter Chimici affirmant ſulphur ſemen eſſe maſculinum, & primum agens, in metallorum generatione. Si igitur ſulphur, ſeu materia pinguis & oleoſa, ut naphta, & bitumen, ſunt ſolum idonea, ad ignis ſubterranei pabulum, nullæ erunt aquæ thermales ſine ejus materiæ beneficio. Præterea ſi ex igne accenſo aquæ incaleſcunt, oportebit hæc loca ſpiracula habere, ut ignis accenſus beneficio aëris fruatur, ſine quo conſervari non poteſt. Quare

Lib. de propri. elemen. Lib. 3. natu. quæſt c. 54. Lib. 35. natu. hid. cap. de ſulphu. Juſtin. lib. 4.

Cap. de ſulp. Virgil. in Æthna. Ovid. 15. Metam. Claudi. de rap. Proſer. Matthiol. cap. de ſulph. Senec. cap. de pumi.

re in omnibus locis, in quibus thermales aquæ ſcaturiunt, ubi ignis accenſus non apparet, dicendum eſt ejuſmodi aquas, ſulphuris fodinæ benificio incaleſcere, quod ſine ignibus accenſis, id poteſt efficere; tam vehemens enim calor, ut ait Matthiolus, cap. de ſulph. in ipſius fodinis percipitur, ut oporteat eas eſſe in luce, & in aperto; alioquin odor fœtidus, & calor vehemens, metallicos foſſores præfocaret, licet accenſi ignes, nulli conſpiciantur. Si igitur in terræ viſceribus nihil eſt, quod ſine accenſis ignibus, calorem aquis mineralibus calefaciendis ſufficientem contineat, niſi ſulphuris fodina; quis negabit in locis, in quibus nulli ſunt ignes accenſi, aquas thermales ab ea calefieri? Ego quidem exiſtimo omnes, qui de cauſa caloris mineralium aquarum ſcripſerunt, in hanc ſententiam diſceſſiſſe, ſi ſulphuris fodinas inviſiſſent, aut teſtibus hac de re ocularibus, fidem adhibere voluiſſent; nec futilibus argumentis irretiti, eam evertere conati eſſent. Si ex eo quod aquæ fluunt per fodinas, inquiunt; ſulphureas, ipſæ incaleſcerent, oporteret neceſſario, ut omnis aqua ſulphurea, eſſet calida: Atqui multi ſunt fontes ſulphurei actu frigidi. Conradus Geſnerus deſcribit unum, loquens de balneis Helvetiorum. Fontes Cellenſes in Germania, ſunt similiter frigidi, ſunt & fontes de la Trolliere, & de Bardon, in regione Boiorum: Concludendum itaque, ſulphur nullo modo cauſam eſſe caloris aquarum mineralium. Miror hos ſcriptores, cæcutire in re tam clara, & perſpicua: Quis enim ignorat ferrum candens ab igne remotum refrigerari? Quis etiam non videt fontes illos, ſulphuris fodinas, aut loca proxima præterfluentes, in via refrigerari, procul à fodinis ſcaturientes, & à principio intrinſeco? aqua enim ſua natura frigida eſt. Afferunt etiam adverſarii, Plinii, & Vitruvii authoritatem, ut probent aquas minerales non habere calorem à ſulphure: Illum quidem aſſerentem, aquas reperiri, quæ licet calidæ, non ſunt medicinales. Hunc vero quaſdam eſſe aquas guſtu ſuaves, licet calidas: Unde nituntur inferre adverſarii, aquas minerales mediante ſulphure non calefieri; quia eſſent medicinales, & guſtu inſuaves, propter ſulphuris odorem. Tripliciter ad illas authoritates reſponderi poteſt. Primo aquas calidas multis in locis reperiri non medicinales. Secundo, quod in loco ex quo fluunt aquæ, ut

Lib. 31. c. 6. nat. hiſt.
Lib. 8.

in

in inſula Lipari, uno ex locis de quibus loquitur Plinius in quo ſunt aquæ calidæ non medicinales; ignis accenſus magis ſucco-ſum, & aquis communicabile abſumat in pabulum: Hæc enim inſula, ut refert ipſe Plinius, non ardet niſi mediante ſulphure. Tertio, & melius, dicimus aquas ſæpe fluere non per fodinas ſulphuris, ſed juxta eas; ita ut calor tantum ipſius communicetur ſine aliis qualitatibus, quia calor longius ſe producit aliis qualitatibus. Quod ut probetur, & hoſtem proprio ſuo gladio jugulemus: Audiamus Vitruvium, cujus authoritatem ipſe attulit. Cum in imo, inquit, per alumen, aut bitumen, ſive ſulphur, ignis excitatur, ardore præcandefacit terram, quæ eſt circa ſe, ſupra ſe autem fervidum emittit vaporem; & ita ſi qui in his locis, quæ ſunt ſupra, fontes dulcis aquæ naſcantur, offenſi eo vapore effervescunt inter venas; & ita profluunt incorrupto ſapore. Quid magis ad rem & clarius ſcribi poteſt, ſive de guſtu, ſive de ſolo calore aquis tantum communicato! Dabimus tamen ignes accenſos, ubi reperiuntur, aquas poſſe calefacere; verum non erunt medicinales, ut in prædicta inſula, propter rationem jam dictam, aut quod per loca igne incaleſcentia, tranſeant aquæ, in quibus nulla ſunt mineralia, ut eorum ſubſtantia, aut virtute communicata, medicinales evadant. Tertia ratio quæ affertur, ut probetur mediante ſulphure, calorem aquis mineralibus non communicari, hæc eſt, & valde infirma. Nullum remedium, inquiunt, quantumcumque calidum, calorem non communicabit, niſi reducatur de potentia in actum. Atqui licet infundas aquam ſupra ſulphur, & adhuc novum ſulphur immittas, ſimul miſcendo, & agitando quantumcumque volueris, nequidem tepida fiet aqua, quod conceditur: Quia autem iſti viri, conſiderant ſulphur jam factum, amiſſo extra fodinas actuali calore, nullum dabimus reſponſum, niſi ut adeant ipſas fodinas, in quibus videbunt, quomodo ſit redactum de potentia in actum, & qualis in eis calor foveatur.

Cap. de ſulph.

Cap. VI.

De Balneo, & ejus partibus.

Aquæ Barbotanenſes, balnei fama præcipue celebres, poſtulant ut aliquid de balneo dicamus, de quo Medici diſſerunt agentes de rebus, quas Non naturales vocant, inter quas evacuatio quintum occupat locum; non minus utilis quam ceteræ, ad ſanitatis conſervationem. Cùm enim tres ſint coctiones alendo corpori neceſſariæ, impoſſibile erat, quin in qualibet gignerentur excrementa, quæ tanquam nutritioni inepta, ſegregari oporteret; ideo excrementa primæ coctionis, vacuantur per inteſtina. Secundæ habent ſua receptacula; unum quidem cyſtim fellis; alterum vero ſecundum communem opinionem, ſplenem; & tertium, poſtquam deferendo ſanguini, per partes univerſas corporis deſerviit, attractum à renibus, & per ureteras deſcendens in veſicam, foras emittitur. Tertiæ coctionis excrementum, quæ fit in omnibus partibus corporis, ipſis bene habentibus; vel ad cutem tranſmittitur per poros vacuandum, modo per ſudores, modo per inſenſibilem tranſpirationem; vel per cæcos meatus rejicitur, per alios ductus vacuandum, prout materia excrementitia, loca per quæ, & calor agens diſpoſita ſunt. Sed quia natura vacuandis excrementis intenta, interdum eſt invalida, reſpectu vel ipſius excrementi, vel viarum per quas expelli debet; ab arte inventi ſunt modi, ut ipſa juvari poſſet, ſive venæ ſectionibus, ſive purgationibus, ſive aliis evacuationibus, quas lubens prætereo, ſolum acturus de balneis aquæ calidæ; frigida enim non vacuat, vias potius excrementis præcludit, balneum vero aquæ calidæ vacuatio eſt, quæ fit per totum corpus, ab excrementis, non ſolum ſub cute exiſtentibus, ut vult Georgius Agricola, ſed etiam ab eis, quæ in intimis ſedes habent: Fuliginoſos humores, ait Fernelius, loquens de balneo, non modo diſſipat è ſummis; verum etiam ex intimis corporis regionibus, tenueſque, & fluxos foras evocat; quod fit beneficio caloris balneorum, ſive naturalium, ſive arte factorum. Quæ arte comparata ſunt, antiquitus quinque locis diſtinguebantur: Primus vocabatur Tepidarium: Qui locus erat, in quo qui balneo uti vole-

volebant, veſtes deponebant, hunc Græci *apodutérion* vocabant, à verbo *apoduein*, quod exuere ſignificat. Secundus locus dicebatur à Latinis Calidarium, aut ex Seneca ſudatorium, & à Græcis *puriatérion* & *hupókauſton*, à nomine *pùr*, ideſt ignis, & *caterion*, ſudatio: Et alterum à verbo *hupokaío*, quod eſt ſuccendo. Quo quia frequenter Lacedæmonii utebantur, Laconicum dictum eſt: Unde Martialis in Epigrammatis.

Ritus ſi placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda virgine, martiaque mergi.

Locus erat concameratus, ubi ſudor, igne excalfacto aëre provocabatur, ut fit in pluribus regionibus, & in Gallia *aux Eſtuves*. Tertius locus erat ſolium calidum dictus: Et quartus ſolium frigidum, in quibus lavabantur homines in labris aqua calida plenis, in primo ſolio: in alia vero aqua frigida. Quintus & ultimus balnei locus, erat in quo ſudores detergebantur, qui nunc cum primo idem eſt, nec immergunt ſe homines in labris, præſertum aqua frigida plenis, propter adverſos caſus; mutationes enim repentinæ pariunt morbos. Ex balneis naturalibus quæ ita dicuntur, quod ſponte calida, terra naſcantur, pluris generis ſtatuuntur, quæ licet aluminoſa vel nitroſa vel alterius generis eſſe poſſint, fere ſemper ſulphurea, & bituminoſa exiſtunt: de quibus nunc ſermo à nobis eſt habendus, vires Barbotanenſium inquirendo. Hippò. aph. 51. ſect. 2.

CAPUT VII.

TAnta eſt, inquit Oribaſius, aquarum miralium differentia, ut difficilium ſit, perfectam de his habere cognitionem: Ideo ſi hac de re aliquid ſcire velimus, oportet nos ad quorumdam ſenſuum experientiam confugere, qui intra fodinas quaſi nos ducant, ut quænam ſint cauſæ, quibus mediantibus, aquæ minerales tot viribus, & tam variis dotantur, nobis innoteſcat. Nam ut ait Lucretius.

De proprietate, & viribus Aquarum Barbotanenſium, & ex quibus mineralibus ſint imbutæ. Ex lib. Herodo. de præſi.

Invenies primis abs ſenſibus eſſe creatam
Notitiam veri, neque ſenſus poſſe refelli;
Qui niſi ſint veri, ratio quoque falſa ſit omnis.

Sed quod primam hanc à ſenſibus notitiam, certam, & ſtabilem

bilem reddit, unum eſt; cum ſcilicet quæ ab aquis efficiuntur, huic primæ cognitioni reſpondent: v. g. ſi aquæ guſtum, & odorem ſulphuris habentes, edant poſtea effectus ejuſmodi aquis peculiares, certius judicium de eis ferimus; quemadmodum & de aliis aquis mineralibus: quælibet enim vires, & proprietates ſibi vindicat particulares. Nam aquæ ſalſæ, vim habent exſiccandi hydropicorum aquas, ſedant nervorum dolores à phlegmate, pruritus tollunt, livores delent à contuſione factas, corpus potæ extenuant, ſanguinem coagulatum diſſolvunt in ſtomacho, & phlegma purgant: quod ultimum, non eſt ſententiæ Hippocratis conſonum, ſi de vera purgatione intelligatur. At enim, ait, mentiuntur homines de ſalſis aquis, propter imperitiam, in eo quod per alvum ſecedere, eamque ſolvere putantur; maxime enim contrariæ ſunt ad alvi egeſtionem, & ſeceſſum, ſunt enim crudæ, & coqui non poſſunt, quare venter magis ab ipſis adſtringitur, quam eliquatur.

Lib. de aëre loc. & aquis.

Aquæ nitroſæ cum ſalſis in multis conveniunt, majore tamen virtute pollent in agendo, nec ab eis venter aſtringitur; eum potius ſolvunt, purgando per inteſtina, aperiuntque obſtructiones, & frigidam, humidamque intemperiem corrigunt, œdematibus, & ſcyrrhis, à concretione phlegmatis conveniunt. Aluminoſæ maxime adſtringunt; ideo ſtomacho cibos non retinenti magnopere proſunt, ſicut & mulieribus, fluore aliquo immoderato laborantibus, nec non iis quæ facile aborſum patiuntur: Sunt etiam maxime idoneæ varicibus, & hæmorrhoïdibus nimium fluentibus, quemadmodum & iis qui immodico ſudore defluunt. Bituminoſæ non parvum caloris gradum poſſident, parteſque, præcipue matricem, colon, & veſicam, ut quidam ſcribunt, emolliunt; verum caput gravant, & ſenſuum inſtrumenta lædunt. Quæ ſulphuris virtute imbuuntur, maxime nervis emolliendis, & calefaciendis præſtant, dolores juncturarum, & aliarum partium demulcent & tollunt ſæpiſſime; præcipue frigida exiſtente cauſa. Tumores œdematoſos, & flatulentos diſcutiunt, cutiſque vitia curant; non placent tamen ſtomacho, quia emolliunt. Aquæ vitriolatæ, ſi tota ſubſtantia vitrioli, in eis ſit diſſoluta, ſtomachum evertunt, enormes excitando vomitus; quod qui voluerit expe-

perietur, ſi bibat aquam in qua vitriolum ſit diſſolutum: Sed aquæ minerales, quæ vitriolatæ dicuntur, ſive ſint alterius generis, non habent vires à perfectis mineralibus, uti videntur extra fodinas, ſed ex quamplurimis ſimplicioribus, ex quarum miſtione magis compoſita emergunt, vitriolum enim habet mineralia ex quibus componitur: Habet primo ſal petræ, ſeu nitrum, quod prima omnium & præcipua eſt materia, non ſolum mineralium, ſed & vigetabilium, & ſenſibilium; habet præterea vitriolum ſuum phlegma, ex materia terreſtri, & valde aſtringente, licet emetica, proveniens; habet ſuum ſpiritum, qui pellucidus eſt, & albus: Habet ſuum oleum, ſeu liquorem, vicem olei gerens, qui rubicundus eſt, & ultimus prodit in diſtillatione: Habet denique vitriolum ſuum caput mortuum, ſeu partem terreſtrem liquoribus valde dilutam; diſſolvitur enim omnino in aqua, quæ ſi per aliquot dies reponatur, ſubſidet in fundo quid viride: quod maxime emeticum eſt; aqua vero quæ ſupernatat nullo modo: quidam enim, qui aquam vitriolatam arte conficere volunt, accipiunt vitrio. ℥ij. & aquæ ℔12. ſimul miſta, ſubſidere ſinunt ſubſtantiam illam viridem; quod autem ſupernatat purum, exhauriunt ad potum, non tamen in tanta quantitate, ut fit de aquis naturalibus. Ex quibus intelligitur, vitriolum aliud eſſe in facto eſſe, ut loquuntur, & aliud in fieri, ex quo præcipue aquæ vitriolatæ ſuas vires accipiunt, quarum multæ ad ignem evaporatæ, nequidem de vitriolo quidquam relinquunt, licet vitriolum facile aqua diſſolvatur. Ideo haud dubie crediderim aquas, quæ vitriolatæ creduntur non omnes, imo perpaucas, vero vitriolo imbutas eſſe; ſed à quadam materia, quæ virtutis ſimilitudine vitriolata dicitur, cujus ſubſtantia, quæ ſaltem oculis percipiatur, non diſſolvitur in aquas, ut vitriolum. Ita de quibuſdam aliis mineralibus philoſophandum. Hæ igitur aquæ quæ vitriolatæ dicuntur, meatus aperiunt, urinas movent & quamplurimæ ventrem; jecoris, & hypochondriorum calorem temperant, & ſi quis ſtomacho infenſus humor in eum influat, ut ſæpe fit à capite, mitigando abripiunt mirandum in modum. Quæ ferratæ vocantur, ſimili fere virtute dotantur; habet enim ferrum ſuum vitriolum, quo aperit obſtructiones; magis tamen roborant, & minus ardores

 tem-

temperant. Quæ viribus cupri ſunt participes, oris ulceribus, oculorum fluxionibus & gutturis, ulceribuſque malignis conveniunt; ad potum tamen non adhibentur, licet ſuum in ſe habeant vitriolum, ſicut ferrum, colore tamen diſſimile; propter, ut credo, ſuam æruginem, quæ partibus internis noceret, quod non facit rubigo ferri: Ideo aquæ ferratæ minerales, multo ſunt præſtantiores, propter vim beneficam ſui vitrioli; ut videre eſt in variis ſui præparationibus, ex chalybe factis, & ex rubigine anchorarum, unde proſunt ſpleniticis, & menſibus albis, ſeminiſque fluxi involuntario; & ſicut vitriolum Martis ſtomachicum eſt, ita & aquæ ferratæ. Quæ per fodinas plumbi ducuntur; contra ulcera maligna, & difficilis curationis; cancros, ſiſtulas, & lepram recentem, maxime ſunt idoneæ. Quæ de argenti fodina ſuas vires habent, refrigeratoriæ, & exſiccantes æſtimantur, caput roborant, & quidpiam habent cordi roborando idoneum: Non tamen ut illæ quæ per auri fodinas fluunt, quas etiam miſerere, & arthritidi prodeſſe quidam ſcribunt.

Sic rapit unda fluens, quod foſſile condit abyſſis.

Attente nunc perpendens, Barbotanenſium Aquarum proprietates, & uniuſcujuſque foſſilis, quas ſupra enumeravimus; nullus erit, ſi tantillum juxta aquas adfuerit, hujus rei ſollicitus, qui non dicat illas, ſulphure maxime eſſe imbutas, deinde bitumine, cum quadam qualitate nitroſa. Odor teſtis eſt locuples ſulphuris, ſicut & bituminis: Nam ſi quis, cœlo præcipue frigido, & nubiloſo, deſcendens ad aquas, ſtatim labra, ſeu cupas adeat, & in his inclinato capite, naribus ſpiritum attrahat, illico ſulphuris odor ſe offeret, ac ſi ſupra carbones accenſos ſulphur eſſet injectum. Si quis autem, antequam probet, cujus odoris ſint aquæ, præter labra, aut lutum deambulet, non ita facile ſulphuris odorem, aut bituminis percipiet; quia, ut inquit Ariſtoteles: Omne ſenſorium debet eſſe denudatum ab omni qualitate ſenſibili. Sapor aquarum ſulphurearum, exigui eſt ponderis, ſi comitem ejus odorem non habeat; Neque enim illi datum eſt à natura, ut guſtu quemadmodum odore, ceteris prævaleret: quod ſi bibendo aliquid de ſulphure percipitur, hoc magis eſt ex odoratu, ad quem bibendo

bendo penetrat odor, quam ex guſtu. Cum igitur de ſubſtantia ſulphuris nihil aquis invehatur, eo quod ut vitriolum, alumen, aut nitrum in eis non diſſolvatur; ſufficit ut odore, quo maxime ceteris prævalet agnoſcatur. Præter hæc habemus ea quæ ab ejuſmodi aquis efficiuntur; nam quæ ſulphureis tribuuntur, ita eis conveniunt, ut parum hac in re periti, de his ſententiam ferre poſſint. Bitumen, licet longe minore quantitate, ſulphuris comes eſt, ſimul enim ut plurimum inveniuntur, tanquam ejuſdem naturæ; unde naphtha, modo ſulphur liquidum, modo bitumen liquidem, à quibuſdam vocatur. Ejus odor maxime percipitur in cupa, quæ inter tres media eſt: Multoties enim caput inclinans in eam, nihil ſentiebam niſi odorem moleſtum, & bituminoſum; nam hæc cupa non habebat ſuperſiciem albam, quæ aqua non attingitur ſicut aliæ duæ, præcipue infima, quæ tota circumalbeſcit, ita ut diceres, primo aſpectu, alicujus mineralis eſſe ſubſtantiam, qualis nitri, aluminis, aut ſalis alicujus mineralis: Sed quadam ejus portione avulſa, guſtanti nullius erat ſaporis, nec carbonibus injecta crepitabat ut ſal, nec ignem concipiebat ut nitrum, nec ebulliebat ut alumen, nec aliquid edebat quod minerale redoleret; unde vitioſi ligni mucorem eſſe arbitratus ſum. Nitrum, ſeu potius qualitatem quamdam nitroſam, aquis Barbobotanenſibus ineſſe, fatendum eſt; dico qualitatem non autem ipſum nitrum: quia cum aquas vocamus nitroſas; non eſt ideo credendum, verum in eis eſſe nitrum, quod hodie non amplius invenitur. Nam aquæ Encautianæ, quæ communi conſenſu, valde nitroſæ putantur, viribus tantum nitri ſunt præditæ, nec quidquam de eo in ipſis invenitur, etiam ex ſcriptoris relatione. Quarumdam plantarum ſuccus, nitrioſus appellatur, imponiturque de eo aliquando in enematibus, ut ejus nitroſitate, ajunt, natura excitetur ad excretionem; nitrum nihilominus verum non habet. Quare ſufficit aquis, ut nitroſæ dicantur, nitri quaſdam vires habere, à quocumque hoc minerali accidat: Eodemque modo philoſophandum de aquis nitroſis, ut ſupra diximus de vitriolatis. Quapropter licet nitrum in Aquis Barbotanenſibus non inveniatur, non minus propterea nitroſæ cenſendæ ſunt, cum ventrem ducant; quadam enim nitroſitate

 pur-

purgant aquæ, & quo magis ventrem movent, eo magis nitroſæ dicuntur; ſicut quæ urinas potenter movent, multum vitriolatæ æſtimantur. Quod ſi ab effectibus, de aquis judicandum eſt, cum nulla alicujus mineralis ſigna ſe produnt, ſive odore, ſive guſtu, ſive ſubſtantiæ portione; cum Aquæ Barbotanenſes urinas ducant, jure merito dici poſſunt, vim aliquam vitriolatis ſimilem habere, licet multis aliis infirmiorem; quidam per ſeceſſum non purgantur, multum tamen per urinas, ut affirmabant; aliis vero venter ſubducebatur, ex eorum relatione, ac ſi potaſſent de aquis Encautianis. Ex his conſtat Aquas Barbotanenſes, eſſe præcipue ſulphureas, deinde bituminoſas, & virtutem quandam nitroſam, cum quadam vitriolata, ipſis ineſſe, quæ neque ex nitro, neque ex vitriolo pendent, ut ſupra diximus, ſed ex varia ſalium natura, quibus ſinus terræ feraciſſimus eſt. Ego quidem fide mea poſſum aſſerere, ſpacio trium, & quatuor dierum, occupatum in aqua deſtillanda, neque vitriolum, neque nitrum, nec quidquam aliud quod minerale redoleret; nec aqua ex magna quantitate, in parvam redacta, ullum ſaporem habuiſſe neque odorem etiam ſulphuris, ſed ſimilem extitiſſe aquæ fontis ſimili modo conſumptæ: Verum quidem eſt ex fundo cupæ inferioris, avulſa arena è loco, ubi erant aquarum ſcaturigines, me inveniſſe per medium, lapillos quoſdam vitrioli cyprii colore non abſimiles; qui quidem color pedetentim evanuit, albis remanentibus lapillis tanquam creta: In qua re conſideranda parum immoratus ſum, guſtando, & ſuper carbones imponendo, ſicut & alios lapillos rubros, & ſubrufos; ſed cum eſſent inſipidi, nec fumum, nec crepitum in igne emitterent, nec liquarentur, nullius apud me fuere momenti, aliud non habent fundamentum, niſi colorem illum fugacem. Nam cum quis perſuadere nititur, mineralem quamdam aquam eſſe, vel nitroſam, vel vitriolatam, vel ſulphuream, vel alterius alicujus mineralis qualitate imbutam, ut probabile judicium afferat audientibus ſe, oportet locupletes habere teſtes, ſaltem unum qui tanquam primum mobile, alios approbari faciat: Tanta eſt enim rerum ſympathia, non ſolum in coloribus, ſed & in aliis qualitatibus; ut ſi quis uni infirmo ſigno credat, periculum

eſt,

eſt, ne arrogantis, aut imprudentis ignorantiæ inſimuletur. Ideo prætermittam, quod inconſiderate à quibuſdam aſſeritur, has aquas vitrioli adſtrictione famem excitare, cum nullus ſapor aſtringens percipiatur in aquis; deinde quod virtus aſtringens vitrioli ſit in ejus phlegmate, quod maxime vomitorium eſt; adde quod multi affirmaverint mihi, ſe in egreſſu luti, ſtomachum languidum perſenſiſſe, & debilem; propter, ut opinor, ſulphuris, & bituminis vim emollientem. Idem dicendum de his, qui aliquid de auro aquis ineſſe credunt, eo quod argenti ſignati monetæ, in luto demerſæ flaveſcant, & quod multis in locis juxta ripam, aquæ quaſi deauratæ conſpiciantur. Si ex his, hoc verum eſſet, quantum auri liquati effluerет ex fontibus, non eſſet in Indiam proficiſdum; cum nullus ſit cavus licet parvus, nec ripa juxta fontes, & lutum, nec per rivulos, in quibus color ille pſeudoaureus non appareat: color quidem ſed re ipſa nihil. Dii immortales! quam rudes & imperiti, talia ſibi imponentes: Neſciunt ex ſulphure monetam argenteam infici, & aquam pluviam è fimo effluentem, tali colore ſæpiſſime eſſe tinctam, propter oleum materiæ putreſcentis. Sic aquæ minerales, propter ſulphuris, & bituminis materiam quamdam pinguem, & oleoſam colorem aureum in ripis, & alibi repræſentant. Ego quidem riſi ſæpiſſime, multos audiens, etiam Medicos, de aquis mineralibus diſſerentes, qui temere, & pro arbitrio, ſibi fingebant, aliiſque imponebant, aquas per varia mineralia defluere, eorumque quamplurimis viribus eſſe imbutas; quaſi in aperto vidiſſent omnia. Itane vero de rebus abſtruſis judicandum. Cunctæ res difficiles, inquit Sapiens, non poteſt eas homo explicare ſermone. Quod ſpectat ad aquas minerales, certius judicium debet ſumi, ut jam ſupra diximus, ex his quæ ab ipſis efficiuntur, niſi in ſulphureis, quæ ſatis odore innoteſcunt: Tanta eſt enim in viſceribus terræ, mineralibus & metallis conficiendis, præparata, & præparanda materia, quæ aquis vires impertit, ut impoſſibile ſit eam dijudicare, niſi eo modo quo ſupra diximus; virtutis præcipue in corporibus noſtris productæ conſideratione, cum alia deficiunt, aut ex ſimul junctis cognitione ducta. Si quis autem temere aliquid proferat, reſ-

Eccleſiaſt. cap. 1.

 pon-

pondendum ſecundum commune juris effatum, quod, de iis quæ non apparent, & quæ non ſunt, idem.

Caput VIII.

De morbis, quibus curandis, Aquæ Barbotanenſes ſunt idoneæ

POëtæ, ſub fabularum ſpecie, veritatem includentes, aſſerunt curioſitatem imprudentis, & incautæ illius Pandoræ, omnium malorum, quibus hominum genus eſt obnoxium, cauſam extitiſſe; ita ut omnium animalium in fortunatiſſimum fuiſſet, ſi divinæ artis ſuæ inventione, huic calamitati levamentum non attuliſſet Apollo; unde apud Poëtam de ſe ipſo loquens, ait.

Ovid. lib. 1. Metam.

Inventum Medicina meum eſt, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.

Sed ut ad veram mythologiam veniamus, Deus ille maximus, & optimus, non ſolum voluit ut terra, mediante ſolis influxu plantas, & alia infinita produceret, ſed ut in aquis, etiam recuperandæ valetudinis neceſſaria invenirentur, ut patet in agro Barbotanenſi, & in aliis quamplurimis locis, in quibus elementum aquæ, vim foſſilium ſibi vindicans, præcipue in luto Barbotanenſi, mirabilia operatur: quem locum ſine inſimulatione vitii, cui Sicilianos obnoxios eſſe ſcribit Q. Curtius, aliis præſtare, jure merito affirmaverim, propter ſingularia quædam; ſive ratione luti, in quo totum corpus immergi poteſt, cum opus fuerit, quod in quamplurimis balneis negatur, ſive propter labra idonea, ad lavandum corpus è luto emergens, ſine aquæ tranſlatione, ad eam calefaciendam, ut fit in quibuſdam locis, ſive ratione caloris luti, balnei, qui ſatis eſt moderatus, quod in balneis optandum. Nam ut ait Galenus: Balnea juſto calidiora, horrere corpus, contrahique exiles eorum matus cogunt; ita ut neque madeſcere, ab extrinſecus accedente humore poſſint, neque excrementi, quod intus latet, quidquam emittere: quia balnea admodum calida, ſimul, & cum impetu humores crudos agitant, aut qui acrimonia quadam præditi ſunt, quod cauſa horroris eſt, & pororum conſtrictionis, ut ipſe alio loco ſcribit. Quapropter balnea Barbotanenſia, & ipſum lutum, calore ſatis moderato prædita,

Lib. 3. de tuen. vale. cap. 1.

dita, pedetentim meatus aperiunt, ſenſimque humores liquando, per poros evacuant, præter vim peculiarem quam habet lutum; unde quamplurimis morbis idonea ſunt hæc balnea, ut arthritidi, & aliis juncturarum affectibus, cauſam præcipue habentibus frigidam, quibus ita prodeſſe vidimus, ut lutum tranſlatum, licet de viribus amittat, magno doloribus arthriticis fuerit levamento ſuper impoſitum. Non minorem vim habet lutum, pro iis quibus juncturæ, vel annorum ſerie, vel alia de cauſa induratæ, difficulter movebantur. Quoad primum, vidimus hominem ſeptuagenarium gradus difficile aſcendentem, & deſcendentem, qui tibiarum articulationes, velut in juventute reſtitutas, mihi aſſerebat. Pro ſecundo vero, exempla ita ſunt numeroſa eorum, qui ex longinquo venerunt equos conſcendere non valentes, aut quampiam corporis partem movere, ex vulneribus acceptis; vel ex aliis caſibus adverſis, qui mirabilem vim luti ſenſerunt, adeo eſt efficax in tendonibus, & partibus nervoſis emolliendis, roborandis. Quod ſi quis propter vetus malum aut affectus magnitudinem, non omnino ſanus evaſerit; levatur tamen affectio, & flexibiliora fiunt membra: Non minores ſunt ejus vires in ſpaſmo curando: Poteſt etiam adhiberi membrorum tremori, verum & paralyſi, licet in hac à quibuſdam non probetur, eo quod lutum hujus balnei emolliat: Sed inſcitiæ accuſandi ſunt: Paralyſis enim, ut diximus, non eſt membri mollities, niſi per accidens, defectu ſcilicet ſpirituum, quibus partes firmantur: Ideo lutum prodeſt paralyticis, humorem ſiccando, & vias aperiendo, per quas fertur animalis ſpiritus ad partem paralyticam. Hac ipſa exſiccatione, prodeſt lutum mulieribus, quæ facile aborſum patiuntur, propter cauſam ab Hippocrate allatam, apho. 45. ſect. 5. Idoneum eſt etiam lutum mulieribus viro junctis, quæ non concipiunt, propter rationem aphori. Quæ frigidos, & denſos locos habent, utero non concipiunt: Et quæ præhumidos habent gravidari nequeunt: Hæc enim balnea, ſed præcipue lutum, partes calefaciunt, & humiditates ſuperfluas, impedientes conceptionem abſumunt. Qui calculo in renibus laborant, his Aquis omnibus modis uti poſſunt, & potu, & balneo, & luto, multi enim ad hoc probant balnea ſulphurea, imperant-

Lib. 1. cap. 5. de para.

que

que pannos in aquam immerſos ſuperponere, ſed in balneis luto utendum eſt. Qui vero ulceribus laborant in renibus, potus aquarum tantum convenit, balneum enim noceret, humores agitando, & partem affectam calefaciendo, quæ incaleſcens humores ſuperfluos attraheret. Quoſdam temperamento melancholicos, ab obſtructionibus ſpleniticis putatis curatos eſſe nobis compertum fuit: quales autem ſint iſti ſplenitici in quibus durities etiam aliqua, in regione viſceris percipiebatur; vide lib. 3. cap. 2. de ſplenit. Febribus intermittentibus laborantes, non parum emolumenti percipient à balneo, in declinatione febris adminiſtrato: Hoc autem Galeni authoritate. Porro autem, inquit, balneum in remiſſione febris adminiſtratum corpore jam mediocriter tranſpirante, non exiguum commodum affert, omnia ex eo, tum fuliginoſa excrementa, tum humida educens. Non ſolum autem his omnibus conveniunt balnea, ſed etiam quamplurimis aliis morbis frigidis, ut hydropi, qui ex intemperie calida alicujus viſceris non proceſſit: colicis doloribus à flatu; & à pituita vitrea, & ab omni inteſtinorum refrigeratione. Difficultati ſpirandi ſine febre, à phlegmate pulmones gravante. Doloribus in quavis parte exiſtentibus, etiam cum febre, luto in modum cataplaſmatis calide ſuperpoſito. Tumoribus aquoſis, flatulentis, œdematoſis, & ex morbi Neapolitani reliquiis. Non omittendum aquam balnei multum profuturam, doloribus capitis inveteratis, fatuitati, & memoriæ labenti, ſi eo modo quis utatur, ut docet Matthiolus, loquens de balneis patriæ ſuæ, ſupponendo ſcilicet caput fonti, vel vaſi, dum locus non eſt idoneus, aqua fontis accepta, calido, capitis partem dolentem, aut totum caput, dum opus eſt, irrorando ex bipedali altitudine, per ſemihoræ ſpatium, mane, & ſero, ante paſtum, quinque aut ſex diebus continuis: quod ſi quis, ex hoc remedii genere, male habuiſſe circa montes Pyreneos mihi relatum fuerit, exiſtimandum eſt, jam antea in capite mortem conceptam habuiſſe. Adde quod Medicina interdicit topicis, niſi prius adhibita ſint univerſalia. Hoc remedii genus ita adminiſtratum, Neoterici vocant, *Douche*. Poſſem hic quamplurimos alios deſcribere affectus, quibus curandis hæ thermæ ſunt idoneæ: Sed

ex

ex his quæ ſupra enumerata ſunt, facilis erit cognitio reliquorum.

CAP. IX.

De modo utendi luto, & Aquis Barbotanenſibus.

LIcet in morborum curatione, primum, & præcipuum ſit, idoneum invenire remedium, poſtquam præceſſit eorum cognitio: nihilominus parum hoc conferret, ſi modus utendi neſciatur. Nam, ut inquiunt Medici, tria ſunt quibus ars tota medendi conſtituitur, remedii genus, quantitas, & utendi modus. Non ſufficit ideo ſcire, quibus morbis balnea ſint idonea; ſed & quomodo his utendum, ne quemadmodum accidit quamplurimis, id etiam nobis eveniat, qui ſine ulla corporis præparatione balneis utentes, magis incommodi ab eis percipiunt, quam emolumenti; quia, ut ait Fernelius: Balneum craſſiores humores quos non diſcuſſerit, colliquat, & tanta vi concitat, ut in alias plerumque partes jactati confluant: Qui fit ut balnea calida, periculoſa ſint corporibus plethoricis, & pravis ſuccis abundantibus, nec non gravi aliquo morbo laborantibus, præcipue ſi viſcus aliquod ſit vitiatum, aut valde debile factum, eo quod, ut ait idem Fernelius, liquatus humor in partem languidam decumbens, in phlegmonis diſcrimen adducit. Quapropter antequam quis adeat balnea, conſulat prius Medicum ſuum, ut omnibus recte præmiſſis, ſperatam à balneis accipiat utilitatem: Nam licet ejuſmodi affectibus ſupradictis quiſpiam non laboret; permulta quæ veniunt conſideranda, ante balnei uſum ſi ab ægrotis ignorantur, portionem quamdam humoris crudi, in primis viis hærere ſæpe contingit, quæ calore balnei, cujus proprium eſt; à centro ad ſuperficiem attrahere, per totum corpus raperetur; unde graves interdum morbi oriuntur. Quare ſemper ante balnei uſum præparanda ſunt corpora venæ ſectione, ſi opus fuerit, & purgantibus, quorum vis ad ſecundam ſaltem regionem pervenire poſſit: Poſtea vero: morbi tempore, ætate, & anni tempeſtate permittentibus, intrepide lutum ingredi fas eſt, vel aquas perpotare; quod ſemper uſum balnei præcedere debet, cum utroque præſidio utendum eſt, de qui-

Gggg bus

bus nunc mihi eſt ſermo futurus, præcipue de luto, quo Balnea Barbotanenſia præcipue commendantur. Qui igitur veniet, propter aliquam infirmitatem lutum ingreſſurus, prout ex itinere ſit fatigatus, & ex longinquo venerit, unius diei ſpatio quieſcat, aut ſaltem reliquo die: Poſtmodum eligens diem idoneum, ſine tempeſtate, & pluviis, ſurgat prima luce parum deambulando, ut calor partium interiorum excitetur, qui vim luti efficaciorem reddet, & ut natura ſe accingat ad veſicæ, & ventris præcipue exonerationem, qua deficiente, enemata ſunt injicienda, antequam quis ſe in lutum demergat, quod debet fieri oriente ſole, aut tardius, ſecundum anni & diei conſtitutionem, jejunoque ventriculo. Nam accidit interdum, ſi quis citius quam par eſt, ſe mane in lutum demittat, ut ſuperior ejus pars, antelucano frigore refrigerata pectori non parum noceat, cogatque ex luto exire, hoc autem præcipue menſe Octobri, quod maxime cavendum eſt, ne bonum vertatur in peſſimum. Quanto autem tempore ſit immorandum in luto, cum quis in illud ſe demerſit: Pro his qui non coguntur totum corpus immittere; tempus, eorum voluntati præfiniendum relinquo, monentes eos ut caveant à ſole, & quod vapor aquarum mineralium, inter res ſanas non habetur: Pro his verò, quos oportet totum corpus in lutum demittere, propter affectus quibus partes ſuperiores detinentur; ſi Oribaſio credere velint, debent numerum dierum præfinire, ex vicibus quot in lutum ſunt ingreſſuri, morantes prima vice in luto, v. g. per ſemihoram, ſecunda per horam, paulatim procedendo uſque ad duas horas, & finiendo ut inceptum eſt. In aquis enim, ait, à principio diu immorari, non eſt utile, neque etiam frugiferum, ad finem uſque permanere, eodem temporis ſpatio, propterea quod confert, & incipere ab hoc præſidio, & deſinere convenienter rationi, quo etiam modo exercitationibus utimur & abſtinemus. Ego quidem conſulerem aliquo modo hæc obſervanda; ut ſcilicet, cum quis per ſex dies continuos, ſe in lutum demergere cupit, immoretur prima vice, per horæ circiter ſpatium, ſecunda, per horam & dimidiam; tertia, per duas horas, eodem poſtea modo deſinens ut incepit. At hæc non obſervantur, imo quidam prima die immorantur in luto

In collect. ex Herodo. de aqu. ſpon. naſcenti.

luto per tres horas, & amplius, ut cuidam ſaltatori ſolitum erat, qui horas quinque, & ſex inſumebat, manens in luto, ut agiliori tripudiationi flexibiliora haberet membra: quod nullo modo probandum, non ſolum propter aquæ exhalationem, quæ prodeſſe non poteſt: ſed multo magis, quod longior mora in balneis calidis, in ſyncopes diſcrimen adducit, perſpiratione aëris frigidi, quæ arteriarum diaſtole attrahitur impedita. In balneis, inquit Galenus, diutius verſantes exolvimur, ac tandem morimur; idque non ob evacuatum ex toto corpore ſpiritum, ſed quod perſpiratio, tam quæ per univerſum corpus, quam quæ per os fit offendatur, calidum ſpiritum attrahens. Unde accidit, quod in locis, in quibus thermæ plus juſto ſunt calidiores, non poſſumus in eis diutius immorari ſine periculo; quapropter ſtatim atque ſudor in fronte percipitur, aut angor enaſcitur, egrediendum, alioquin ſyncope accideret, & periculum vitæ. Quod etiam ſi in thermis Barbotanenſibus, hoc parum timeatur, propter moderatum earum calorem, niſi forte in corpore valde debili, poſſet tamen longa mora, illud efficere in robuſtis: ideo qui in lutum ingrediuntur, eo modo ſe gerant ut ex Oribaſio ſupra ſcripſimus: ſic enim paulatim aſſueſcentes, vires ſuas quiſque agnoſcet, & poſtera die, quantum temporis in luto ſit immorandum, eum docere non oportebit; neque fortaſſe, his obſervatis, conqueretur de ſtomachi languore, in exitu ex luto, quod fere accidit ex longa mora in ipſo, iis præcipue qui à natura imbecilles ſunt ſtomacho, ut ſunt, teſte Celſo, magna pars urbanorum, & omnes fere literarum ſtudioſi. Sed ut hoc præcaveatur, unguendus eſt ſtomachus oleo de nuce moſchata, in ingreſſu, & exitu è luto, à quo non tantum propter urbanitatem, ſed multo magis ne corpus refrigeretur, præcipue cum à ventis perflatur locus, à luto ad cupas; tunc enim corpore ſindone involuto, eundum ad lavandum, & à luto detergendum in cupis, deinde in lectum ſe recipere, ut ſudor effluat, eoque die bonum eſt continere ſe intra cubiculum, inclementi præcipuè exiſtente cœlo. Nam toto die quo in lutum ingreſſi ſumus, & ſudor provocatus eſt, cutis meatus aperti ſunt; ita ut vel minimum frigus incautos occupet, unde tuſſes, fluxiones, lateris dolores, & inter-

interdum febris ex conſtipatione pororum. Abſterſis ſudoribus, ſorbendum juſculum, manendum in quiete, expectando prandium quod ſumi debet hora elapſa, aut paulo tardius, prout inclinata eſt dies, in quo ſcilicet prandio, nihil adhibendum niſi quæ facilis ſunt digeſtionis, ut vitetur cruditas, quæ balneis utentibus valde noxia eſt: ideo fugiendi ſunt fructus crudi, iiſque præcipue quos horarios vocant, quia non multo tempore ſervantur, faciliſque ſunt corruptionis. Caſeus interdicitur, præſertim vetus, & qui pinguis vocatur ex Arvernia allatus, eo quod humores gignant glutinoſos. Caro boum, anſerum, leporum, difficilis eſt coctionis, etiam anſerculorum, ſicut & avium in aquis degentium; modicum tamen de his guſtare non interdicimus: Omnium tamen, qualiſcumque generis obſoniorum, ſatietas vitanda, præcipue in cœna. Poſt prandium, lætis confabulationibus, per horam tempus terendum, à qua ſi quis parum dormire velit ſuper cathedram, vel ſcamnum, permittitur, præcipue aſſuetis, aut foliis luſoriis tædium levet, non multum tamen pecuniæ perdendæ exponat, quod eſt carnificina. Si quis circa horam quartam poſt meridiem, ut quidam faciunt, aut quintam, cum inclinatio diei in veſperum longa eſt, ut menſe Junio, iterum velit in lutum ingredi, ſi vires ferant, non peccabit, dummodo frugaliter prandeat, nihilque poſtea comedat: Debiles vero hoc interdicitur: Melius enim eſt domo egredienti, per portam exire, quam per feneſtram ſe demittere, licet via ſit brevior. Nunc ſatis ſuperque loquutus, de his quæ ante balnei ingreſſum, & poſt egreſſum ſunt obſervanda, tempus eſt ut in gratiam eorum, qui interdum de aquis bibere cupiunt, aliquid dicamus de potu earum: qui quidem potus, cum utroque præſidio utendum eſt, debet uſum balnei anteire, quia corporis præparationi, ad ſuſcipiendum balneum, inſervit. Quibus igitur erit in animo bibere, tria obſervari oportet quæ ſupra diximus de balneo, ſeu luto differentes; quieſcere ſcilicet in adventu; parum deambulare ante primam aquæ potionem, ut eadem utilitas, quæ dicta eſt de balneo, percipiatur: Super autem omnia, viæ aquis ſunt expediendæ medicamento purgante, ut facilior ſit earum tranſitus: quod ſi hoc requiritur in aquis, quæ validiores ſunt aquis Barbotanenbus,

ſibus; quanto magis neceſſaria erit purgatio, ante earum potionem, cum in multis purgandi virtus debilis exiſtat, licet idem non ſit de diuretica; qui enim in luto demerſi ſunt, vim ejus etiam percipiunt, in frequenti mictione. De quantitate autem aquæ quolibet mane ſumenda, & quo modo, eadem omnibus ratio præſcribi non poteſt, cum hoc ex viribus aquarum, & natura bibentium, ſit deſumendum: quædam enim aquæ in quibuſdam cito per tranſeunt, & ventrem ducunt, aut urinas, pro ratione aquæ potatæ, aliis difficile, fereque omnes retinentur: quidam magnam aquæ quantitatem exhauriunt ſine incommodo, alii vero nequaquam, eaſque evomunt. Non eſt igitur ſe gerendum in potu aquarum, quemadmodum illi quos arguit Plinius, qui gloriantur de magna quantitate aquarum ebibita: Vidi, inquit, ita tumefactos à retentis aquis, ut annulorum digiti à carne tegerentur: quapropter non eſt certandum poculis, cum tantum agitur de aqua potanda, ſed pedetentim vires ſuas quiſque experiri debet, ut omnia recte fiant. Antiqua, & ab omnibus hujus regionis recepta potandi ratio, hæc eſt; ut per totum diei matutinum tribus vicibus aquæ bibantur, incipiendo ſummo mane prima vice, tantumque aquæ bibendo, quantum ſtomachus ferre poteſt ſine incommodo. Audivi tamen quoſdam alibi, conſulentes ut duobus aquæ cyathis epotis, bis, aut ter, aulæ ſpatium deambulatione conficiatur, deinde tantumdem bibatur, & ita deinceps, quouſque ſuccedat expectata excretio, per ventrem aut per urinas: quod nunquam probare, potuit mihi venire in mentem. Si quis enim trabem, cum duobus tantum hominibus è loco dimovere contenderet, etiam ſi per plures dies eos adhiberet, nihil proficeret: Sed ſi tantum ſemel ſufficientem numerum, onerique movendo pares adhiberet, eorum labor incaſſum non foret. Sic in potandis aquis mineralibus, tantum aquæ hauriendum una vice, quantum ſufficit ut venter, aut urinæ pro ratione moveantur, & ſtomachus ferre poſſit ſine incommodo. Ego quidem, iis qui nunquam aquis uſi ſunt, ſoleo imperare, ut quatuor plenos cyathos ebibant prima vice, & poſtea deambulando, naturam excitent ut adſit aquis: Cum enim helleborum citare voles, inquit Hippocrates, move corpus: Ideo aquis mineralibus, qualibet vice epotis, imperantur deam- Aphor. 4. ſect. 15.

bulationes, quæ quidem alacres, & expeditæ eſſe debent, dummodo ſudor non moveatur. Poſt ſemihoræ ſpatium à primo aquarum hauſtu, ſi ſtomachus ſine labore, aquam epotam pertulerit, ex quatuor aquæ cyathis, prima vice ſumptis, ad ſex uſque doſim augere oportet in ſecunda potatione, deinde iterum ad deambulationes ſe conferre per horæ ſpatium, qua elapſa, ad tertiam aquarum potationem veniendum, quæ octo cyathis, decem, & amplius conſtare debet, prout ſtomachus ſe geſſit in primis potationibus, eaque doſi ſtandum aliis diebus, in qua venter perbelle dejicit, aut veſica, tantum aquæ dejiciens, aut meïens, quantum de ea epotum eſt, aut circiter. Qui vero aquis potandis quolibet anno ſunt aſſueti, tanta cautione non indigent: ſed eo modo ſe gerant, ut præcedentibus annis eos experientia edocuit, in omnibus bene proceſſiſſe. Tertiæ potationis aquarum actione perfecta, quæ hora decima compleri debet, propter ſolis ardores, cum menſe Maïo, vel Junio aquæ potantur, juſculum ſorbendum, ut mos eſt, & poſt horam aut circiter prandendum. Quod ſi à prandio venter non ſit inflatus, percipiatque ægrotus viſcera, ac ſi aquas non bibiſſet, res ejus non male ſe habent, etiam ſi dejectiones, aut urinarum excretio, votis non omnino reſponderint, poſteraque die pergendum in potu ut antea. Si autem tertia die potatis aquis, major earum quantitas intra corpus ſubſiſteret, abſtinendum eſt omnino à potu, ſumendo poſtera die hydragogum validum, ut aquæ paſſim ſtagnantes penitus educantur. Si quis autem peteret à me, ex quo labri fonte, ex tribus, aqua potanda ſit; licet quidam ex uno fonte, alii ex altero bibant; ſitque aqua in omnibus ejuſdem virtutis: Eligerem tamen fontem labri, ſeu cupæ inferioris; quia ex tribus quas ego vidi, melius erat concinnata: Præterea quod in ea, ſingularia quædam invenerim, ut habetur cap. 7. Adde quod ejus aqua non ſit tepida, ut illa quæ fluit ex ſuperiori cupa; ideo ſtomacho magis amica, tepida enim ipſum debilitant, & cient vomitum. Quapropter, cum è longinquo aquas pro ægrotis advehendas curamus, calefaciendas jubemus ante potum, in lagenis in cacabum aqua calida plenum demerſis, licet aquæ in proprio fonte non ſint calidæ, calide tamen potæ, & ſtomacho magis placere, & melius ventrem ſubducere experientia

no-

novimus, ad quod etiam juvat tantillum ſalis in ſcyphis injicere, dum aqua bibitur; licet aquæ ſalſæ ventrem potius aſtringant ex Hippocratis, & Galeni teſtimonio, quibus aſtipulatur experientia: Quod quidem verum eſt, ſicut & de ſale, per ſe ſumptis; non autem de modico ſalis cum purgantibus admixto: Quare autem hoc, & cur Meſue, inter purgantia quaſdam ſalis ſpecies recenſuerit, vide Pharmaciam noſtram theoricam. Lib. 5. cap. 39. de ſal. Quod ſi bibendo vomitus accidat, non eſt cohibendus omnino, ſed ſtatim à vomitu, tantum aquæ iterum bibendum eſt, quantum vomitu rejectum: Dictum enim fuit mihi, hominem quemdam, potata aqua cupæ inferioris, tria fruſtula vomuiſſe, ſoricibus non abſimilia. Oportet jam, ne quidpiam in hoc capitulo deſideretur, ut in tribus ſatisfaciam eis, qui balneo, ſeu luto utuntur. Primum an liceat ante ingreſſum in lutum, cibum capere; quibus reſpondemus, non licere, ſi totum corpus in illud ſit demittendum: Nemo enim Medicorum ignorat, cibum ſemicoctum, calore luti ad inteſtina raptum iri, citiuſque quam par eſt, ejus ſimul diſtributione facta, cruditates gigni, & obſtructiones; liceret tamen debilibus ſorbere juſculum. Qui vero partibus inferioribus tantum ægrotant, ut pede, tibia, genu, qui totum corpus in lutum immergere, ſi velint, non coguntur, ſi dies eſſet provecta, parum jentare non interdicerem. Secundum eſt, an ſomnus noceat ipſo die, quo quis eſt lutum ingreſſus; ſive ſtatim à cupæ egreſſu, ſive poſt prandium. Quoad primum, tantum abeſt ut noceat, quin profuturum exiſtimandum eſt. Lib. 4. de ſanit. tuen. Nihil enim, inquit Galenus, æque concoquit, aut malos ſuccos diſcutit, ut ſomnus à balneo. Pro ſecundo dicendum eſt, quod ſi poſt horam à prandio ſomnus urgeat, præcipue dormire ſolitos; non eſſe contra præcepta ſanitatis, per ſemihoram, aut horam integram, ſomnum capere: Non quidem in lecto, quia ſomnus fit nimis profundus, & plus quam par eſt producitur; ſed ſupra ſcamnum, aut cubito innixus ſupra cathedram ſedens, etiam ſi hora eſſet meridiana, dummodo ſomnus capiatur longe à paſtu: Neque enim ad literam accipiendum eſt, ſomnum fuge meridianum. Ad tertium & ultimum, utrum melius ſit ſudare ante ingreſſum in lutum, an poſt egreſſum, & luto abſterſo in cupa lavatoria. Reſponde-

demus hoc petentibus, tempus ſudandi magis idoneum, eſſe in egreſſu cupæ, poſt luti abſterſionem; quia corpus tunc temporis eſt ad hoc omnino paratum, calore luti, & aquæ, apertis cutis meatibus: Si autem ſudor ante balneum moveretur, ſubtilibus humoribus ſudando vacuatis, non tam facile calore luti craſſiores diſſolverentur.

Caput X.

Quæ ſit anni tempeſtas magis idonea thermis adeundis.

ANtiqua in quibuſdam rebus agendis conſuetudo, tantum poteſt, etiam apud homines eruditos, ut & ipſi vulgi opinione ducantur, quamvis infirmis nitatur rationibus: Unde exiſtimo quoſdam Medicos hujus regionis, ſequentes ſine delectu communem aſſenſum, affirmaſſe tempus magis idoneum thermis, & aquis mineralibus utendis, eſſe menſe Septembri, potius quam verno tempore, eoſque qui hoc tempore utebantur, non tantum percipere emolumentum, quemadmodum autumni principio; poſt ſcilicet feſtum Nativitatis Beatæ Mariæ, à quo poſt ſex, aut octo dies dat Arcturi exortus, autumni principium. Hoc autem aſſerunt, quia vere aquæ pluviæ, in hac regione, & nivis liquatæ, juxta montes Pyreneos, aquis mineneralibus immiſtæ, eorum vim infringebant. Sed falluntur apertiſſime; nam ſi hoc eſſet, hi fontes, hoc tempore, abundantius fluerent: nihilominus ſive hiberno tempore, ſive verno, ſive æſtivo, eodem ſemper modo fluere animadverti. Quod dilucide oſtendit, fontes iſtos ducere aquas ex profundo, qua liquatæ nives, & pluviæ non perveniunt; cum etiam ex ipſo Seneca, terra non madeat altius ab ejuſmodi aquis, bipedali menſura. Pervulgata quoque apud fere omnes ſententia, licet Ariſtoteli contraria, affirmat fontes aquæ vivæ, & perennes, ex mari aquas accipere: Hoc aſſerunt Sancti Patres, & fere omnes Philoſophi, naturæque arcana indagantes; hoc autem ex Sapiente, dum ait: Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant. Quod optime Plinius agnovit, dum lib. 2. hiſt. natur. cap. 56. loquitur de aquæ rotunditate, & quomodo poſſit ad excelſiorum montium cacumen pervenire. Seneca fuſe

Lib. 3. quæſt. nat.

Eccleſiaſt. cap. 1.

ſe ante illum, hac de re ſcripſerat, aitque neminem magnopere laboraturum, in perſcrutando unde tot flumina, & fontes perenniter fluentes ſuas aquas accipiant, ſi conſideremus, aquarum eſſe unum ex quatuor elementis; & ideo quartam partem rerum ſublunarium, cujus comparatione, omnes aquæ quæ in terra ſunt, aut ſuperfluunt, nihil ſunt. Non tamen propterea dicendum eſt, nullos eſſe fontes ab aquis pluviarum; ſed non ſemper eodem modo fluunt, & ſi valde ſicca ſit tempeſtas, areſcunt; quod non accidit fontibus aquarum mineralium. Licet etiam aquæ pluviæ his ſe aquis interdum immiſceant, hoc eſt tantum in ſuperficie, & cito foras proſilit, continua ejuſmodi fontium, ſcaturiginis aquam ſuppeditantis diuturnitate. Quod ſi hoc locum habeat in fontibus aquarum mineralium, locorum qui in radice montium Pyreneorum ſunt poſiti, ubi pluviæ ſunt valde frequentes, & nivis diuturnitas, quanto minus Aquæ Barbotanenſes, his miſtionibus erunt obnoxiæ, cum illic pluviæ non ſint ita frequentes, ut in horum montium confiniis, nec interdum, in quibuſdam annis, terræ facies nive cooperiatur? Verum quidem eſt lutum, continuo aquæ reſilientes effluxu, ex ſcaturiginibus quæ in ipſius fundo exiſtunt, non tam facile ut alii fontes, poſſe in priſtinum ſtatum reduci, propter luti impedimentum, & quod ſit aperto, excipiendis pluviis paratum: Verum ſi tectum eſſet, & foſſis munitum ad derivandas pluviarum aquas; poſtera die à pluviis, non abſtinerem ab ingreſſu in lutum, ceſſante pluvia; licet autem pluviæ, cum diuturnæ ſunt, ſint conſiderandæ, quocumque tempore decidant, ſintque ſemper aquæ minerales, potentioris virtutis ſicca tempeſtate quam pluvioſa; propterea tamen non exiſtimandum eſt, ver eſſe autumno minus idoneum, pro uſu aquarum mineralium; nam & ratione ſui, & ratione noſtri, longe præſtat autumno. Primo quidem aquæ, veris tempore, ſunt potentioris virtutis, quod præter rationes afferendas, confirmatur ab Oribaſio qui ſcribens de tempore, quo aquis mineralibus utendum eſt, ait: Atque illud quidem tempus, loquens de hyeme, aquarum vires firmat. Quod ſi hyems, propter frigus, terræ ſuperficiem condenſando, calidos vapores retinet in ejus viſceribus, quibus vires aquarum firmantur: Nunquid di-

Lib. 10. col. lect. cap. 5.

dicendum æſtate debilitari, evaneſcentibus calidis vaporibus æſtivo calore attractis, & terræ ſuperficie rarefacta; unde viſcera terræ incaleſcunt hyeme; & frigent æſtate: Ideo dicendum eſt, autumnum aquas non excipere tam potentibus viribus imbutas, quemadmodum ver excipit; quod etiam reſpectu noſtri, magis eſt idoneum aquarum uſui, quam autumnus. Nam veris tempore jam fractis frigoribus humores excrementitii per hyemen, & alio tempore geniti, tanquam in latebris, ſævitia temporis intus deliteſcentes, moveri incipiunt; unde hoc tempore fiunt præcipue venæ ſectiones, adhibenturque purgantia ad morbos præcavendos, quod non ita conſuetum eſt menſe Septembri; quia hoc tempore corpus noſtrum ſiccius evaſit, exhauſta caloribus æſtivis humiditate, minuſque ideo aptum ad calida balnea ſuſtinenda: His de cauſis, in regionibus calidis, & quibus tempeſtates, præcipue ver, & æſtas, non ſunt inconſtantes, ut in regione iſta, pluviis hoc tempore valde obnoxia, & tonitruis cum grandine; veris tempus eligitur, præcipue menſis Maii; tum bibendis aquis mineralibus; tum balneis adminiſtrandis, magis accommodatum. Dicendum igitur vere, & autumno ſuam tempeſtivitatem ſervantibus, autumno ver longe præſtare, in his auxiliorum generibus adminiſtrandis: Neceſſitate tamen urgente, non eſt ver expectandum, ſi autumni tempore morbus hoc poſtulet, nec veris occaſionem prætermittere. Cum autem in hac regione ver ut plurimum ſit pluvioſum; ita ut raro eligi poſſit tempus idoneum utendis aquis, & balneis calidis, niſi menſe Junio, qui in hac regione pro vere habendus eſt, ante feſtum Sancti Joannis: Ideo quamplurimi eligunt potius autumnum; qui ſicut & ver non ſunt conſideranda ſecundum menſium nomina, ſed ſecundum tempeſtatis conſtitutionem; ut ſcilicet ver ſit, cum frigus deſinit, & pluviæ non fiunt; autumnus vero, cum non amplius urget calor æſtivus, quouſque pluviæ decidant large menſe Octobri: Non poteſt enim certum tempus ad hoc præfiniri; ſed ſecundum anni conſtitutum, & regionis ſe gerendum, in quibus ver citius aut tardius accidit.

Laus Deo omnipotenti, Virginique immaculatæ.

IN-

INDEX RERUM

In hoc opere contentarum.

A.

ABſceſſus recti inteſtini miranda curatio. pagina 297
Abſceſſus poſt partum factus in hypochondrio à natura feliciter ſanatus. 474
Ejus cognitio. 475
Acida bilem temperant. 7
Affectus ſoporiferi cura. 70
Ano relaxato remedium. 294
Aphonia, & Ecſtaſis à vermibus, & eorum cura. 496
Apoplexia. 62
Quæ pars in ea afficiatur. 76
Ejus cura. 70
Cauſa illius. 63
Utrum in ejus cura inciſio venarum jugularium tentanda. 72
Arcani corallini vis, in avertenda podagra. 406
Ardori urinæ mirabile arcanum. 340
Arteriotomia valde efficax, in pertinacibus capitis doloribus. 17
Arthritis quid ſit. 373
Ejus cauſa antecedens & conjuncta. 374
Variæ de his Authorum ſententiæ. 375
Aſthma quid ſit. 127
Quotuplicititer ſumatur. 128
Ejus cura. 135

B.

BUbonis peſtiferi attractivum. 529,
Venerei attractivum. 514

C.

CAchexia. 239
Quid ſit. 240
Proxima cauſa. 240
Curatio. 241
Calculum è renibus in veſicam delapſum, poſſe in ea detineri per plures dies, nullis ſe ſignis manifeſtantem. 500
Caput, pituitæ metropolis. 20
Capite robuſtis, perennes non fieri fluxiones. 20
Senſus frigoris in capite, fluxionum futurarum ſignum. 20
Caput, roborans eximium. 32. 410
Capitis dolor, poſt ptyaliſmum 40. dierum remanens, & nodus in tibia, eorumque curatio. 516
Carbonum vapor interficit. 78
Carbunculi lethales. 504
Curandi modus eos certiſſimus. 505
Carus quid ſit. 63
Quomodo curandus. 74
A lochiis retentis, 510
Catalepſis quid ſit. 69
Non eſt affectus ſomniferus. 69
Ejus cauſa. 69
Cataphora, ſeu coma, quid ſit. 62
Cephalæa, & hemicrania, cauſam ſemper aliquam habent in capite. 6
Quotuplex ſit. 6. Curatio. 7
Colicus dolor. 245
Ejus differentiæ ab ileo. 245
Quid ſit ileon. 245
Unde dictus. 245
Quare colon facilius aliis inteſtinis patitur. 246

Differentia inter colicum dolorem & iliacum. 246
Differentia colici doloris, & nephritici. 247
Cauſæ colici doloris. 248
Signa cauſarum. 248
Colica notha, ſeu pictonica. 247
Cito interficiens. 510
Colici doloris inaudita curatio, ex oxycrati frigidi enemate. 510
Criſis futuræ dignotio ex capitis dolore 12
Mors 13
Qua finietur excretione. 13

D.

Deglutiendi difficultas. 455
Ex pica, & chloroſi neglecta, lethalis. 498
Diætam ſudorificam, rheumatiſmo, & arthritidi convenire. 27. 35. & 408
Diapedeſis quid ſit, & quas cauſas habeat. 178
Signa. 181
Diarrhœa quid ſit. 271
Unde fiat. 271
Quid in ea conſiderandum. 271
Diarrhœæ malignæ. 277. 497. 511
Diauroſis quid ſit, & quas cauſas habeat. 179
Signa. 179
Dolor capitis. 1
Quare mulieres huic magis obnoxiæ. 1
Quibus modis ſedetur. 2
Modus procedendi in curatione. 1. & 2
Dolor ſtomachi. 187
Doloris cauſa proxima, continui ſolutio. 189
Quibus modis curetur. 193
Dyſenteria quid ſit. 282
Signa quibus noſcitur quæ inteſtina afficiantur. 283
Cura. 284
Cura in dyſenteria epidemica. 297
Dyſuria proprie quid ſit. 333
Dyſuria ſtrangurioſa. 333

E.

Empyema nothum, ſeu hydrops pectoris, à lochiis retentis, & lactis repercuſſione. 480
Epilepſia quid ſit. 84
Cauſa. 85
Species. 85
Unde ſomnus profundus in ea. 85
Curatio. 91
Spiritus antiepilepticus. 91
Diſtinctio epilepſiæ à veneficis inflictæ, ab ea quæ fit à cauſis naturalibus. 89
Exanthematum generationis modus. 521

F.

Faciei inflatio cum febre acuta, lethalis in duobus juvenibus, prima hebdomada nuptiarum. 512
Febris quartana. 434
Febris intermittentis ſedes. 440
Febres continuæ ex intermittentibus factæ, longe aliis periculoſiores. 436
Febris quintanæ ſimplicis, & duplicis obſervatio. 475
Febris continuæ criſis per gangrænam in facie. 477
Fluxio in pulmones cum febre acuta. 143
Diſtinctio à peripneumonia. 145
Fluxio in genere. 17
Ejus origo. 19
Quorum morborum cauſa univerſalis. 19
Poſſe fieri clanculum, & ſine ſenſu, à capite ad pedes uſque. 20
Cauſas fluxionum tres potiſſimum eſſe. 20
Modus generationis fluxionum. 23
Septem requiri in genere, ad fluxionum curationem. 24
Fluxiones à capite venas ſubire, & in eis ſanguinem corrumpere. 376

Gan-

G.

GAngræna ex criſi. 477
Ex fluxione à capite, facta in ventrem, juxta umbilicum. 477
GonorrhϾ virulentæ, nova, facilior, & ſecurior methodus curandæ. 512
Gravidarum ſigna. 348

H.

HÆmorrhoïdes. 342
Quos morbos avertant recte fluentes. 342
Quos invehant ſuppreſſæ. 342
Cura non fluentium. 343
Cura nimium fluentium. 344
Remedium præſtantiſſimum in ſedando earum dolore. 345
Hemicrania in febribus, unde. 1. 15
Hiera totum ventrem ab excrementis liberat. 7
Helmontii error circa fluxiones. 18
Hydrops. 220
An fiat ſolo jecoris vitio. 220
Unde fiat tympanites, & aſcites. 222
Unde anaſarca. 222
Unde fluxus ventris in eo, ſine levamine. 224
Unde ventris ſiccitas. 225
Curatio. 225
Hydrops pectoris. 480
Hyſterica paſſio. 362

I.

JEcur præcalidum non eſſe fluxionum cauſam; ſed potius frigidum. 22
Quid faciat jecur præcalidum, reſpectu fluxionum. 22
Ileon vide Colicus dolor.
Ilei à tumore juxta ileon inteſtinum hiſtoria. 496
Proprietas in eo enterorum vervecis, in ſubducenda alvo. 496
Iſchias. 422
Quibus differat ab aliis doloribus arthriticis. 423
Curatio. 425
Iſchuria quit ſit. Obſervatio de ea memorabilis. 327

L.

LActis uſus in dyſenteria. 287
In arthritide. 391
Lapis veſicæ. 331
Ejus ſigna. 332
Lapidem frangi poſſe remediis in veſica. 331
Lapis renum. v. Nephritis.
Lapidis in uretere, per plures menſes hærentis hiſtoria. 328
Laudanum paratu facile, & parvi ſumptus. 290
Lethargus quid. 66
Unde dictus. 66
Curatio. 75
Utrum in principio conveniat purgatio. 76
Lethargus veſicatorio capiti admoto ſanatus. 509
Lues venerea. 490
Lumborum doloris, à nephritico dignotio. 319
Lumborum dolor cum febre continua, & peſſimis aliis ſymptomatibus, & ejus cura. 471
Lumbis dolentibus, quot ſint partes in ea regione conſideranda. 316
Lumbrici. 298
Quot genera. 299
Quæ mala invehere ſoleant. 299
Signa ſubeuntium. 303
Lumbricorum in febribus epigeneſis dignotio. 300. & 301
Curatio. 302
Lumbricis fugandis, & enecandis, plurimum valere mercurium crudum exhibitum. 303

Mercurii dulcis laus contra eos. 301

M.

MAgiſterium cranii humani. 95
Maraſmus cum diarrhœa, non cognitus, à vermibus. 505
Medicus non debet ſemper fidere relationi ægrotantium, & quare: 3
Menſes retenti. 347
Quibus de cauſis retineantur. 349
Quare fiant mulieribus menſtruæ purgationes. 348
Curatio. 349
Menſes nimium fluentes. 354
Cauſæ. 354
Curatio. 355
Mercurii dulcis laus. 301
Quomodo utendum. 302
Morbilli. 454

N.

NEphritici doloris, ab eo qui fit in lumbis dignotio. 319
Nephritici doloris, à colico dignotio. 319
Nephritis quid ſit. 316
Quomodo agnoſcenda ab aliis doloribus. 317
Quomodo colici dolores magis urgeant, ex Galeno, quam Nephritici. 319
Cura doloris nephritici. 322
Prophylaxis. 324
Nephritis ſine ullo ſtomachi conſenſu. 503
Nephritici dolores ſine calculo 501. 507
Nervorum exortus cognitio, neceſſaria in cura paralyſis, & convulſionis. 104

O.

OPiſthotoni curatio. 10
Orthopnœa quid. Non diſtingui ab aſthmate, & dyſpnœa, niſi ſecundum magis, & minus. 128

P.

PAralyſis. 102
An ſit membri mollities in ea per ſe. 102
Cauſæ. 102
Species. 103
Cognitio ex nervorum exortu. 104
Curatio. 108
Paregoricum medicamentum, quid ſit. 137
Peripneumoniæ veræ à notha diſtinctio. 145
Pituitæ putrefactæ, & puriformi, à vero pure dignotio. 486
Pleuritis. 158
Signa patognomonica. 159
Non eſſe ſemper inflammationem. 160
Pleuritis occulta, quid ſit. 146
Pleuritis putatus morbus, à vermibus. 493
Podagræ cura aperta. 415
Podicis dolor in dyſenteria, & ejus ſedatio. 297
Pthiſis. 171
Unde nomen. 171
Ejus ſpecies. 171
Quomodo fiat. 172
Curatio. 173
Pulvis arthriticus Paracelſi. 105
Pulvis cachecticus. 243

Q.

QUartana Medicorum opprobrium. 434
Non eſſe tentandam in principio ejus eradicationem. 435
Quomodo tractanda. 436
Ejus ſedes, & aliarum intermittentium. 437
Signa earum focum indicantia. 439

Unde

Unde cunctatio, & anticipatio paroxiſmorum. 438
Unde reditus. 437
Curatio quartanæ methodica. 447
Sectio ſalvatellæ pedis in ea. 446
Specifica remedia curandæ quartanæ. 443

R.

Ranunculi vis admirabilis in auferendis capitis doloribus, & aliarum partium. 12. 15
In arthriticis. 420. 425
Rene altero obſtructo, alium non eſſe inutilem, ab exemplis. 469
Reſpiratio quibus modis lædatur. 127
Dupliciter lædi reſpirationis organa. 127
Primum reſpirationis organum eſſe pulmonem. 128
Rheumatiſmus quid ſit. 427
Unde nomen. 427
Ruere in omnes corporis partes. 228
In quibus ab arthritide differat. 429
Ejus curatio, & quibus differat ab arthritide. 429
Rheumatiſmus, dolor nephriticus putatus. 495
Robur partibus nobilibus inditum. 20

S.

Sanguini ſiſtendo probatum Galeni medicamentum. 71. 72
Sanguinis ſputum. 178
A quibus fiat partibus. 178
Quibus modis rejiciatur. 178
Signa cujuſque. 179
Remedium probatum ad ſanguinis ſputum. 182
Cujuſque modi curatio. 182
Sanguis quot modis dejiciatur. 289
Schneideri error circa fluxiones ſeu catarrhos. 19
Duabus hiſtoriis arguitur. 50
Somnus quid. 69
Quotuplex. 69
Soporiferæ affectiones, differre tantum ſecundum magis & minus. 63
Cerebri ſubſtantiam in eis primario affici. 66
Spirandi difficultas quid ſit. 127
Quot ſpecies. 128
Splenetici qui dicantur. 203
Quomodo tales evadant. 204
Eorum curatio. 208
Stomachi dolor. 187
An ipſe, aut vicinæ partes doleant indagatio. 188
Cauſarum dolorem efficientium ſigna. 192
Curatio. 195
Sputum ſanguinis v. ſanguinis ſputum.
Sputum fervet interdum in gutture non plenum. 171
Stranguria quid ſit. 333
Stranguria dyſurioſa. 334
Sudorifica. 27. 29
Varia ad ſudandum inſtrumenta. 30. 31
Syrupus magiſtralis Authoris, de quo paſſim in hoc opere fit mentio. 218

T.

Tabaci nimia pulveris per nares attractione, mors. 50
Teneſmi remedia. 290
Tumoris pervicacis, febre accedente augeſcentis, & recedentis, cauſæ cognitio, & curatio. 496

V.

Variolæ. 454
Similia quædam habent principia cum morbiliis; graviores tamen ceteris paribus. 455
Peſſima ſigna in principio. 455

Tempus eruptionis. 455
Dignotio variolarum in exitu à morbillis. 456
In proceſſu. 459
Differentia inter morbillos & rubiolam. 455
Variolas præcipue, & morbillos, Antiquis fuiſſe incognita. 455
Horum cauſæ. 457
Ut infans paucas habeat variolas, & ſalutares. 462
Curatio. 461
Utrum venæ ſectio illis conveniat ante eruptionem. 461
Ne maculæ appareant in facie. 462
Veneris uſus immoderatus, caput impenſe debilitat. 21
Hiſtoriæ. 511. & 512
Ventris dolor, certa quadam noctis hora recurrens; cauſa cognita, curata. 42
Ventris dolor pertinax & acutus, qui colica pictonica videbatur, & ejus cura. 492
Ventris dolor à fluxione, qui propter aborſum, ab utero putabatur, ejus dignotio, & cura. 491
Vermes. v. Lumbrici.
Morbià vermibus ſtupendi curatio. 488
Veſicatorii perpetui utendi modus. 27
Hiſtoria de eo ad evertandas fluxiones. 41
Ulceribus mentulæ ſanandis, egregium medicamentum. 514
Ulceris linguam perforantis ſanatio. 514
Ulceris naſi pinnam, à depaſta uvula corrodentis curatio. 479
Ulceris poſt uvulam naſo abſumpto curatio. 478
Ulceris laryngis cura deſperata, modus curandi, ingenioſe excogitatus. 515
Vomica, ſeu abſceſſus juxta renem in peritonæo factus. Ulcus renis putatus, & falſo; unde mors eſt ſubſequuta. 506
Uteri præfocatio, ſeu hyſterica paſſio. 362

FINIS.